*31.K.30

MENTEM ALIT ET EXCOLIT

K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

*31.K.30

ACTA
ERUDITORUM
ANNO
MDCC XXI
publicata.

Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,

Proſtant apud JOHAN. GROSSII Hæredes,
JOH. FRID. GLEDITSCHII B. FIL.
&
THOMAM FRITSCHIUM.

Typis BERNHARDI CHRISTOPH. BREITKOPFII.
A. M DCC XXI.

* 31. k. 30

Digitized by Google

Lectori Benevolo Salutem!

ANni jam abierunt quadraginta, ex quo B. OTTO MENCKENIUS, prolato in exteras oras litterarum commercio, Virorumque eruditiſſimorum Societate inſtituta, Acta Eruditorum condere ſingulisque Calendis in publicam lucem emittere cœpit. Qua in re quantæ Viro optimo difficultates ſuperandæ initio fuerint, non ignorant illi, quibus perſpectus fuit illius temporis ſtatus litterarius tum in hac urbe, tum in Germania prope univerſa. Neque enim inficiantur librarii noſtri, ſe tum primum de libris, qui extra Germaniam, in Italia nimirum, Gallia, Anglia, Belgio, prodierant, comparandis cœpiſſe cogitare, ſuaque adeo & commoda debere Actis noſtris, e quibus Germani demum, quid apud exteros præſtaretur in re litteraria, didicerant. Multi tamen haud dubie Autores indicti nobis manſiſſent, quorum ſcripta nec publice proſtabant, nec comparari ullo labore aut ſumptu poterant, niſi curaſſent ipſi ſedulo, ut illa ad nos mature transmitterentur. Cumque non ignoremus, fuiſſe, qui vel viam tutam omnino nullam invenire potuerint, vel invidis manibus crediderint libros, ad nos nunquam perlatos, non inconſultum duximus hoc loco publice monere, ut, ſi quis ad nos recte curari optet ſua ſcripta, is faſciculos, JOHANNI BURCHARDO MENCKENIO, O. F. Lipſiam inſcriptos, Romæ tradi curet Pagliarino, Librario, Londini fratribus W. & J. Innys, pariter Librariis, & Amſtelodami

Paulo Heeger, *mercatori non incelebri, ut & Francofurti ad Mœnum, quo libri in Gallia ac paſſim in Germania impreſſi commode advehuntur*, Jo. Phil. Andreæ, *Librario; ſimulque non gravetur ea de re per publicos tabellarios monere* MENCKENIUM *noſtrum. Siſtimus vero heic Tomum Actorum quinquageſimum, ſi ſeptem Supplementorum Tomos, Indicesque generales tres computaveris, tantumque abeſt, ut is antecedentibus Voluminibus vel librorum optimorum apparatu ac delectu, vel recenſionum, quod citra jactantiam dictum cupimus, concinnitate cedat, ut potius, auctis ſubinde & commerciis, & collegarum numero, non parum profeciſſe ac melius indies conſuluiſſe rei litterariæ videamur. Equidem factum eſt, nobis propemodum invitis ac repugnantibus, ut eriſtica quædam, Mathematicorum imprimis, ſcripta inſerta fuerint huic Tomo; aſt uti ab ejus generis litigiis jam pridem abhorremus, ita fidem publice nunc damus, minime nos paſſuros deinceps, ut acrius depugnantibus palæſtra in Actis noſtris pateat, ſperamusque viciſſim, ceteros Diariorum & Tranſactionum Autores non minus ob omni verborum acerbitate abhorrituros. Erunt forte etiam, qui Nova Litteraria, vitasque eruditorum parcius in his ultimis Tomis comparere, querantur: enimvero jam antea indicavimus, creſcente indies & librorum & novorum litterariorum copia, conſultius nobis viſum eſſe, tum Calendis tum ſeptimanis ſingulis Nova Litteraria, Latina, quibus exteris imprimis conſulatur, & vernacula, ab illis quidem omnino diverſa, ſigillatim in lucem prodere. Quod inſtitutum cum hactenus litteratis haud diſplicuerit, qui hac ratione rem eo a nobis deductam intelligunt, ut Acta noſtra cum Novis Litterariis conferentibus nihil fere deſideretur eorum, quæ in Rep. Litteraria, qua patet, univerſa & aguntur & promittuntur; in eo ſtrenue continuando nullis porro laboribus aut ſumptibus parſuros nos eſſe pollicemur. Ceterum in eo nunc verſamur, ut* Quarti Decennii Actorum Erud. nec non Supplem. Tomi VI & VII Indicem generalem *conficiamus, quem intra paucos Menſes proditurum minime dubitamus. Vale. Dab. Lipſiæ Calendis Dec. MDCCXXI.*

No. I.

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipſiæ
Calendis Januarii, Anno MDCCXXI.

Oſt-Frieſiſche Hiſtorie und Landes-Verfaſſung.

i. e.

HISTORIA FRISIÆ ORIENTALIS ET STAtus Regiminis Territorialis, II Tomis, juſſu Ser. Principis Oſt-Friſiæ edita.

Aurici, apud Samuelem Böttger, 1720, fol. Alph. 21 pl. 19.

SI in omni Hiſtoria eruenda optime verſantur ii, quibus integrum eſt Archiva Principum excutere, non parum utique debebit orbis literatus Ill. Brenneiſenio, Ser. Principis Friſiæ Or. Cancellario, qui Principis ſui juſſu novam Hiſtoriam Friſiæ Orientalis ex ipſis tabulis publicis incredibili labore ac ſtudio concinnare aggreſſus eſt. Non defuere quidem Autores, qui iſto labore antehac ſunt defuncti, inter quos imprimis Ubbo Emmius celebre inter eruditos nomen adeptus. Is poſtquam ab Edzardo II Scholæ Nordenſi fuiſſet præfectus, nactus eſt exemplum Chronici Friſiæ Orientalis, ab Egeri Beninga, Grimerſumano Nobili, lingua patria conſcripti, & A. 1706 demum, pluribus licet vitiis inſperſis, ab Antonio Matthæo in Analectis publicati, quod Emmius idiomate Latino donavit, eoque in exarandis *Decadibus de Rebus Friſiæ* uſus eſt; quibus acceſſit poſtea Tr. *de Statu Reipublicæ Friſiæ Orientalis.* Verum in eo opere, ſummo omnium plauſu tunc accepto, ignorantiam Juris publici & vindictæ partiumque ſtudium prodidit Emmius, quandoquidem ob ſuſpicionem dogmatum Calvini officio motus, Johannis Comitis, Edzardo nimium adverſi,

partibus favet,& uſurpatam ab Emdana civitate libertatem falſis argumentis extollit. Eadem cum ipſo chorda oberrant Autores utriusque *Apologiæ* ab Emdanis promulgatæ, ut & *Joannes Althuſius*, Syndicus Emdanus, cuju impias de jure Imperantium opiniones ſatis confutavit *Huberus* libro *de jure Civitatis.* Maxime vero in eo culpandus eſt Althuſius, quod Codicis Legum Friſiæ Orientalis (Oſt-Frieſiſches Accords-Buch) Partes duas priores, potioribus documentis truncatas, edidit, & partitionibus ineptis vel Notis in margine adjectis, ſenſum plane contrarium elicere conatus eſt. Quo factum,ut & alii horum veſtigiis inſiſtentes, *Autor* nempe *Singularitatis Oſt-Friſiæ*,& exteri etiam nonnulli,tam pudendos errores in Hiſtoria Friſiorum,maximo Principum detrimento,commiſerint, & turbæ hinc ſæpius a ſubditis fuerint excitatæ. Aliam viam ingreditur Illuſtris Autor noſter, qui in hac Hiſtoria dextre & accurate verſatur, quod vel iis patebit, qui indices locupletiſſimos Operi præmiſſos evolverint. Sed ipſum librum, quantum licet, breviter perluſtra-
L. I. C. I. bimus. Poſitis igitur ex notitia Imperii principiis de genuino habitu Superioritatis Territorialis, Autorem *Singularitatis*
2. refellit, quod libertatem Friſiorum ex Diplomate Caroli M. deducat, ab Emmio jam falſitatis convicto, & Superioritatem a Dominis Friſiæ uſurpatione introductam tradat, quæ potius, ſicut in aliis Germaniæ territoriis, paulatim invaluerit. Neque enim aliter ſe res habuit antiquiſſimis temporibus, ſi li-
3. bertatem Friſiorum, ab Emmio adeo jactitatam, reſpicias, cum non Friſii ſoli, ſed omnes Europæorum populi, a prima origine liberi, ſerius aliorum poteſtati ſe ſubmiſerint, ſub Carolovingis vero Friſii non publicam libertatem, ſive jus imperii, ſed privatam tantum obtinuerint, ne ſcilicet mancipiorum loco haberentur; denique Privilegia Caroli M & Sigismundi Friſiis parum ſint glorioſa, cum pertinaciam illorum & animos
4. rerum novarum cupidos prodant. Præterea quemadmodum ſummi Germaniæ Principes bonis patrimonialibus quondam contenti, reliqua Officialium nomine rexerunt, quorum terræ in exiguas ditione diſcerptæ in ampliſſima tandem territoria excreverunt; ita cum Præfecti Imperiales inteſtinis turbis

impe-

impedirentur, nobiliſſimi Friſiorum caput erigere, atque reli-
quos ſibi ſubjicere cœperunt, Grotio & Werdumio teſtantibus.
Hinc Friſia Orientalis in tres Civitates & octo Diſtrictus eſt di-
viſa, quorum Domini *Satrapæ* nominabantur, in Dominiis ſuis
Jura Belli & Pacis, Fœderum, Sequelæ, Collectandi, Telonii, Sa-
crorum, Protectionis in Clerum aliosque, propria autoritate
exercentes, ſubditis ad homagium præſtandum obligatis, prout
ipſi Status Friſiorum haud diffitentur. Hi Satrapæ diſtrictus
jure allodiali tenuerunt, quos venditione, teſtamento, vel do-
natione in alios transferre licebat: nemo illorum alteri ſubje-
ctus, quilibet juris dicendi poteſtatem absque populi conſenſu
Judici inferiori demandabat. Et hi omnes de rebus commu-
nibus in Conventu Provinciali conſultabant, res Imperii vero
non ſinguli, ſed univerſi curabant. Atque hæc eſt vera origo
Superioritatis territorialis Sereniſſimis Principibus hodienum
competentis, in qua explicanda Emmius turpiſſime labitur, cu-
jus tamen figmenta turbulenti ingenii homines avide poſt-
ea exceperunt. Iſtas vero Satrapias & Civitates acquiſiverunt
Principes Friſiorum, antequam Comitum dignitate ornarentur,
quod non ex voluntaria ſubjectione Ulrico I facta, ſed aliis
potiſſimum Juris titulis eſſe repetendum, ex ſequentibus pate-
ſcet. Namque terræ Dominorum de Brœk ex conventione C 5.
cum heredibus Focconis Ukenæ ad Dominos de Gretſyhl per- S. 1.
venerunt, Emmio fruſtra ſuſpectæ Tutelæ eos accuſante. Em-
da jure belli Satrapis erepta, at univerſo populo applaudente 2.
Gretſyhlianis ſubjecta eſt. Iſti quoque pagum Mormerianum 3.
virtute bellica a Brœckiis ſibi vindicarunt. Falderanum diſtri- 4.
ctum jure uxorio accepit Ulricus I, cui poſtmodum Imelus
pacis conciliandæ gratia Oſterhuſano ceſſit. Inter majores Sere- 5.
niſſimæ Domus primus eminuit Edzardus, cui rebus fortiſſi-
me geſtis Dominium Gretſyhlæ, Nordenæ, Berumi, Aurici,
Stickhuſenæ, Lehræ ut & Urbis Emdanæ obtigit. Hanc enim,
ab Hamburgenſibus adjutus, dolo militari cepit, & ab iisdem ur-
bi præſidium imponi paſſus, haud multo poſt A. 1439, ex le-
gibus Conventionis cum illis initæ, eam prorſus in poteſta-
tem ſuam redegit. Succeſſit ipſi jure ſanguinis, non electio- 6.

 nis,

nis, Frater Ulricus, qui binis matrimoniis Eſenſem Dynaſtiam
aliasque ceſſionis jure ditionibus ſuis adjunxit, arcibus & pluri-
bus ædificiis territorium ornavit, ejusdemque Regimen 1453
adeptus, anno ſequenti a Friderico III Romanorum Imperato-
C. 6. re Comitum dignitate decoratus eſt. Rejiciuntur hic Emmii
commenta, quaſi Ulricus Friſios falſo apud Cæſarem accuſa-
verit, inveſtituram clandeſtine impetraverit, &, cum auſus non
eſſet literas Imperatoris publice producere, neceſſum habuerit,
alias, multo tamen reſtrictiores, Anno 1463 emendicare, quæ
omnia ex Beninga, atque ipſis documentis hic ſubnexis facilli-
7. me refutantur. Nec fidem merentur, quæ *Singularitatis Au-*
tor narrat, Friſiam nempe Orientalem hodienum eſſe liberri-
mam, ſummam enim poteſtatem Ulrico fuiſſe delatam, *ſal-*
vis cuique juribus ac Privilegiis, qua tamen formula non ob-
ſtante, univerſas Superioritatis partes ipſum exercuiſſe, expe-
rientia, Imperii Procerum aliorum exemplis ſuffulta, teſtatur.
8. Ex quo facile liquet, ad ſucceſſores Ulrici, Thedam, Ennonem I
Edzardum I, Ennonem II, Annam, Edzardum II, ſub quo mo-
tus inteſtini cœperunt, eadem jura memorata fuiſſe devoluta,
quod Autor quidem, ut frivolis adverſariorum objectionibus
S. 1 obicem ponat, IX Sectionibus ſigillatim perſequitur. Etenim
ut a jure circa ſacra ordiamur, hi ſoli juribus Reformandi,
Leges & Judicia Eccleſiaſtica conſtituendi, Clerum ordinandi,
viſitandi, Scholas & Orphanotrophia condendi, iisdem de pro-
ventibus proſpiciendi, aliisque, fatentibus adeo Emdanis, uſi
2. ſunt. Neque minus illis competebat ſuprema jurisdictio in
cauſis Civilibus & Criminalibus, jus fiſci, & quæ eo referri
ſolent, jus item terras aggerum ope ab inundationibus tuendi,
ut & paſcua occupandi, gratiam faciendi delinquentibus, imo
immedietatem Imperii affectandi, cui quidem Albertus Ani-
moſus Saxoniæ Dux ac Friſiorum Gubernator fruſtra ſe oppo-
3. ſuerit. Hactenus dicta magis firmantur per homagium Co-
mitibus præſtitum, & ſucceſſionem hereditariam ad Primoge-
4. nitos reſtrictam, ut & tutelam teſtamentariam, Leges in ter-
5. ritorio promulgatas, & officiales a Comitibus conſtitutos, Co-
6. mitia item Provincialia, jus tributa imponendi, Reverſalibus

non

non obſtantibus, jura teloniorum, monetandi, Judæos reci- S. 7.
piendi, veniam ætatis, Nundinas ſolennes, Privilegia non reli- 8.
quis ſolum, ſed etiam Emdanis concedendi, Collegia Opificum
confirmandi, delectum militum ex ſubditis habendi, cenſuram 9.
librorum, ut alia nunc taceamus. Hinc progreditur Autor,
atque publica documentorum fide demonſtrat, Emdanos alios-
que Jura iſta omni conatu inter turbas inteſtinas, ex disſidiis
fraternis Joannis & Edzardi II, litibus item Religionis cauſa
motis, Belgarum motibus & Emdanorum figmentis ſub finem
Seculi XVI enatas, labefactare fuiſſe auſos, Sereniſſimos vero
territorii Dominos exercitium Superioritatis in ſupremam
quoque Curiam, vigore Decretorum Imperialium, illibatum re-
tinuiſſe. Denique cum Emmius jurium Nobilium nullam men- C. 10.
tionem fecerit, alii vero, poſteaquam Emdani Dynaſtiis aliquot
fuiſſent ditati, eadem nimium evehant, Ill. Autor media via
inceſſurus, omnia Jura Statibus Friſiæ Provincialibus compe-
tentia iisdem omnino tribuit, eoque conditionem quoque eo-
rum eandem ac reliquorum ſubditorum eſſe aſſerit. His ita
expoſitis, Ill. Autor tractatus integros ab adverſariis in lucem
emiſſos, & documenta, quibus fides dictorum corroboratur, ſub-
junxit. Deprehendimus inter iſta ſcriptum de *Singularitate* p. 237.
Friſiæ Orientalis, animadverſionibus Autoris eidem ſubjunctis; L. 2 p. 1.
documenta, quæ ſtatum Friſiorum illuſtrant, priusquam Do-
mini territorii Comitum dignitate fuiſſent ornati; Acta de L. 3 p. 49.
Conſtitutione Regiminis ſub Ennone atque filiis Edzardo & L. 4 p. 95.
Ulrico Comite, ut & ſub Regimine tutelari Thedæ Comitiſſæ ac
Filiorum Ennonis I & Edzardi I, item Ennonis II, Annæ & Ed- L. 5 p. 148.
zardi II, quibus inſerta *Gnaphæi Elegia de Friſia Orientali*, ex qua
Hiſtoria antiqua & media haud parum illuſtrari poteſt; *Conſi-*
lium item *Brunneri de Nullitate Privilegii Friſici de non appel-*
lando. Sequuntur documenta ſingularia, ex quibus Superiori- L. 6 p. 269.
tas Comitiſſæ Annæ atque Edzardi II, maxime circa reditus pu-
blicos, tum in univerſo territorio, tum præcipue Emdæ, Nor-
denæ, Aurici abunde comprobantur, præterea de cauſis inte-
ſtinorum motuum Acta publica ſubnectuntur. In Tomo II L. 7 p. 329.
exhibentur conventiones, leges publicæ & ſcripta, quæ impri-

mis ob diſcordias Friſiorum ſunt confecta, ut Jura Principibus competentia dilucide hinc appareant. Libro I ſiſtuntur lites inter Edzardum II & Fratrem ejus Joannem; ut & Ennonem III ac Ordines Provinciales agitatæ ab A. 1588 usque ad annum 1611, quo tempore maxima rerum converſio facta
p. 128, 181. eſt; Concordata A. 1599; Ordinatio proceſſus & Politica anno 1545 promulgata, & 1599 denuo confirmata; Deſcriptio
212. Ordinis ſive Evtaxias in Eccleſia Emdana, cum aliis Legibus eo pertinentibus; Transactiones Hagæ Comitum inter Enno-
303. nem III & Emdanos A. 1603, & Oſterhuſæ 1611 initæ; Ru-
344. dolphi II Diploma Primogenituræ A. 1595; quibus illa, quæ
407. ulterius ſub Ennone III, ab A. 1611 usque ad annum 1620, acta fuerunt, Lib. II ſubnectuntur. Liber III complectitur acta inter Rudolphum Chriſtianum, Ulricum II & Ennonem Ludovicum & Ordines Provinciales usque ad annum 1656; Lib. IV
750. Documenta ſub Georgio Chriſtiano confecta, maxime Hagenſis & Emdana Transactio, cum Receſſu Finali anno 1662 & 1663; Lib. V Acta ſub ejusdem viduæ Chriſtianæ Carolæ Regimine tutelari ad annum usque 1690, ex quibus elucet,
931. quanta iniquitate Status territorii Sereniſſimæ Tutrici inſul-
990. taverint, eique multa injuſte extorſerint; Libro VI continentur Acta inter Chriſtianum Eberhardum & Georgium Albertum Principes atque ſtatus Friſicos, imprimis Transactio Hannoverana anno 1693 facta. Denique Lib. VII Appendix Documentorum ad Edzardi II, Ennonis III, Ennonis Ludovici, & Georgii Chriſtiani tempora pertinentium finem operi imponit, quibus omnibus annotationes ab Ill. Autore hinc inde inſperguntur.

SINGULARIA AD LEGEM MAJESTATIS, itemque de ſilentio in hoc crimine; accurante NICOLAO HIERONYMO GUNDLINGIO, JCto. &c.

Halæ, ſumt. Novi Bibliopolii, 1721, 4.
1½ Alph.

Illu-

ILluſtris Gundlingius, qui nunquam non in eo eſt occupatus, ut cum de omni eruditione, tum de Arte Boni & Æqui, ut ipſe Celſus Jus noſtrum appellat, bene mereatur, nuper in animum induxit, de Lege Majeſtatis commentari, argumento amplo, ancipite, vario, quod quatuor capitibus ita præſtitit, ut *primo* Hiſtoriam Legis Majeſtatis Romanæ usque ad Arcadium Imperatorem conderet, *ſecundo* ejusdem apud Germanos hiſtoriam erueret, *tertio* in facti quæſtionem: An merum leges Gentium, Romanæ Germanicæque ſilentium puniverint in crimine læſæ Majeſtatis? inquireret, *quarto* de jure puniendi ſilentium diſpiceret.

Legis Majeſtatis apud Romanos veſtigia ſub Regibus ap- C. I.
parent, (in omni enim populo eſt majeſtas, &, quod inſignis §. 1 & 2.
ſit hominum malitia, inter omnes gentes illius læſæ pervul-
gatum crimen) merito tamen differendi initium facit Vir Il- 3.
luſtris a *XII Tabulis*, quarum verba, Tabula equidem IX, ita
reſtituit J. Gothofredus: *Si qui perduellem concitaſſit, civemve*
perduelli transduit, capital eſto. Cautum etiam fuit de noctur- 5.
nis cœtibus non agitandis, quod XII. Caput *Lex Gabinia* firma-
vit: *Qui coitiones clandeſtinas in urbe conflaviſſet, more majo-* 6.
rum capitali ſupplicio multetur. Reliquerat vocis ſuffragium in 7.
perduellione Lex Caſſia, ſed ſuſtulit, & perduellionis etiam ju-
dicio invexit Tabellas *Lex Cœlia.* Poſt *Apuleja* lata eſt, & pœna 8.
irrogata iis ex illa lege, qui minuerant Majeſtatem. *Varia* ſuc- 9.
ceſſit, qua L. Varius, tribunus ſeditioſus, jubebat quæri, quorum
dolo malo ſocii ad arma ire coacti ſint. Sed & hic *Cornelii Sullæ* 10.
dictatoris nomen celebre eſt, qui varia ad Legem Majeſtatis
pertinentia conſtituit, Tribunos, qui legum ferundarum pote-
ſtatem ſibi ſumerent, hujus criminis reos voluit, ne quis finito
imperio poſt triginta dies maneat in provincia, ne educat ex-
ercitum, ne bellum ſua ſponte gerat, neve in regnum injuſſu
populi aut Senatus accedat, ſtatuit, ne proſcriptorum liberi ad
honores admitterentur, ut & mulierum in illa accuſatione vox 11.
audiretur, ſervisque dominos deferre liceret, ut denique nulla 12.
dignitas ſeu fortuna a quæſtionibus cruentis eximatur, quan- 13.
do majeſtas pulſata defenditur, ſi veriſimiliter dicendum eſt, 14.

idem

§. 15. idem edixit. Corneliæ Legi ſucceſſit *Julia*, qua illa emendata
16. & ſuppleta eſt. Quis vero ille Julius? num Cæſar, an Augu-
ſtus, Cæſaris Filius? Sane ipſe Cæſar, teſte Cicerone Philippi-
ca I cap. 9, ex quo loco diſcas ſimul, Cæſarem crimen, quod
more majorum capitale erat, aqua & igni interdictione puniri
20. voluiſſe, mortem enim ille ex ſuæ philoſophiæ placitis æru-
mnarum requiem, non cruciatum habebat, ex quo colligas, ſe-
veritatis iſtud fuiſſe, quod alii, qui hæc neſciunt, clementiæ Cæ-
ſaris adſcribent. In his Reipublicæ & Imperii confiniis locum
ſortitur notabilis quæſtio, an illa in crimen perduellionis &
majeſtatis læſæ diſtinctio reipublicæ temporibus jam obtinu-
23. erit? Negantium partes Celeberrimus Vir adverſus Jacobum
Menardum, doctiſſimum Balduini diſcipulum, egregie tuetur.
Sed redeamus ad temporis ordinem, qui nos ad Imperatores
Romanos deducit, quos inter, prout aut boni fuerunt Princi-
pes & indulgentes, aut mali & ſeveri, varie fluctuavit & Lex &
24. crimen. Auguſtus ſtatim, ſtuprum in domum ſuam commiſ-
25. ſum, & libellos famoſos hac lege complexus eſt, exemplo mi-
26. nus laudabili. Sub Tiberio aperta eſt feneſtra delatoribus, di-
28. cta & facta quævis crimini data, juxta ſtatuam Cæſaris ſervum
cædere, veſtem mutare, ſuam ſtatuam alia Cæſaris altius locare,
numum vel annulum principis imagine ſignatum latrinæ vel
lupanari inferre, matellam eo ornatu apprehendere, poſt-
quam ſub Auguſto ſemel receptum eſt, Majeſtatem per conſe-
30. quentiam lædi. Cajus Tiberio atrocior hoc pœnæ per leges ad-
31. didit, ut conjurati inſepulti projicerentur. Benigniores fuere
Claudius, Veſpaſianique, Trajanus & Hadrianus, qui fere legun-
tur, majeſtatis legem exerceri prohibuiſſe, quod tamen ita acci-
33. piendum non eſt ac ſi illius criminis publica fuerit impunitas;
34. minime vero, *crimen*, ut ait Modeſtinus de Alexandri Mammeæ
temporibus, *non in occaſionem, ſed in veritate habebatur, & ob*
lubricum linguæ homines non facile ad ſupplicium traheban-
tur. Inter bonos tamen Marcus Antoninus Philoſophus crimen
40, 41. morte extingui noluit. Nolebat & Tiberius, mota ſemel accu-
ſatione, dum rei viverent, exſtinctorumque morte vel naturali
42. vel voluntaria, bona publicabat. D. Pius heredes defunctum de-

ſen-

ſenſuros audiri voluit. Audiebat & Marcus, ſed eosdem, accuſatione in dudum defunctos inſtituta, reſpondere pariter & defendere jubebat, ſi non defenderent, aut non ſatis, defunctos condemnari volebat, ex principiis philoſophiæ Stoicæ. Cum §. 47, 48.
enim Porticus ſceleſtos homines diceret propria mente punitos jam & damnatos ſibi ipſis jus dixiſſe, bona eorum merito fiſco inferebantur, ad quem omnes damnatorum facultates antiquo jure pertinebant. Mitigavit hujus legis rigorem Perti- 49.
nax, qui ſub ſequentibus Principibus recruduit, ita ut Magnus An- 50.
toninus, qui Caracalla eſt, reſcripſerit: *ex quo quis tale crimen contraxiſſet, neque alienare, neque manumittere poſſe, nec ei ſolvere jure debitorem*, lege dura, quæ tamen ſcripta eſt. Severos Principes lenis ſecutus eſt Alexander Mammeæ, qui judicem, contra conſtitutionem Alexandri pronunciantem, hac lege te- 55.
neri, &, quod magis mireris, per genium Principis pejerantes 57.
in noſtrum crimen incidere noluit. Quæ ſequentium Principum in talibus fuerit mens, dicere non licet deficiente hiſtoricorum fide, nec fingere. De Claudio, optimo principe, nulla 59.
atrociter exercitæ legis ſupereſt ſuſpicio, admodum tamen tru- 61.
culentum Aurelianum, lenes & mites Tacitum & Probum novi- 62.
mus. Diocletianus etiam propenſiori animo fuit in ſuos, ſe- 64.
veritatemque noſtræ Legis imminuit. Servi iterum auditi in 65.
dominos ſub Maxentio, teſtis etiam unus, & homines leves. In alia omnia abiit Conſtantinus M. delatoribus inprimis infen-
ſus. Magnentius etiam lege noſtra abuſus, nec ſane lenior Con- 69.
ſtantius, a placidis Patris moribus prorſus alienus. Julianus nul- 70.
lam hoc quoque nomine maculam contraxit, a qua non im- 73.
munis eſt Valentinianus, qui præter alia ſævitiei indicia ſervos 74.
in dominos promiſcue torqueri voluit, quod in noſtro crimine etiam Gratiano placuit. Beatiorum morum fuit Theodoſius 78.
Magnus, qui celeberrima conſtitutione maledicta in Imperato- 80.
rem confecta, non, quod aliqui volunt, impunita dimiſit, ſed ad ſe referri voluit, ut de venia aut pœna ipſe ſtatuat. Theodoſius filium habuit Arcadium, a quo celeberrimam legem: *Quisquis* profectam eſſe, nemo ignorat. Vix quidpiam in ea novi conſtitutum eſt, præter quaſi perduellionis crimen, ſi Se- 84.

nator principive militans occidatur, quod ab Eutropio, ſummo Imperii ſub Arcadio Adminiſtro, & domini domino, a Stilicone tamen & aliis malevolis ſibi metuente, profluxiſſe, magna
§. 85. veri ſpecie dicitur. De pœna, quam perduellionis liberis inflixit Eutropius, docte & accurate doctiſſimus Vir, ſed, quæ hic commemorare nihil attinet.

C. II. Hæc Romani conſtituerunt, quorum legem adoptaſſe videntur
§. 2. Viſigothi, Epiſcopis, ut ſancta ſit Regis perſona, annitentibus,
3. & Oſtrogothi, quorum Rex Theodoricus inſidias Liberio Patricio ſuo ſtructas gladio ultus eſt. Sed legibus quoque Germa-
5. nicis crimen hoc fuit capitale, apud Longobardos lege Rotha-
6, 7. ridis, apud Francos Salica. Apud Bojos perduellis Regi ad ſu-
13. pernam contemplationem damnabatur. Lex Ripuaria & Lex
16. Saxonica pariter hujus criminis reos capitali ſententia puniendos dicunt. Lex Alemannica ei, qui hoſtili animo in ducem aut rempublicam aliquid moliebatur, mortem, aut exilium injungit, quam pœnam etiam duci perduelli moribus ſtatutam fuiſſe, celeberrimus Autor ex Eccardo de Caſibus Monaſterii S. Galli acute conjicit. Et ſecundum iſtas Germaniæ leges & mores ſæpius fuiſſe judicatum, non ſub Merovingis modo, aut Carolingicis Principibus, ſed & ſub reliquis diverſarum gentium Imperatoribus, iſtorum temporum monumenta ſatis loquun-
17, 18. tur. Ita ſub Ottone M. Conradus Lotharingiæ Dux, Guntra-
21. mnus Alemanniæ Comes, ſub Ottone III, Henricus Bavarus, ſub
22. Conrado Salico, Erneſtus privignus, ſub Henrico III, Conradus
28. Bavarus, & Godefridus Lotharienſis, ſub Henrico IV, Otto Göt-
26. tingenſis & Ecbertus Saxoniæ Marchio, ſub Conrado III, Hen-
30. ricus Superbus, ſub Friderico Ahenobarbo, Henricus Leo, ſub Ottone IV, Otto Wittelſpachius, ſub Friderico II, Henricus Filius, triſtia dedere exempla, quos tamen omnes pari jure, aut pari ſententia damnatos nemo dixerit: hoc vult Conſultiſſimus Vir, conſtare ſaltim ex tot exemplis, majeſtatis quæſtionem
34. nunquam non in Germania viguiſſe. Sed & Henricus VII Ro-
35. bertum Apuliæ Regem proſcripſit, Ludovicus Bavarus Pontificis Romani de electione ſua iniquiſſima decreta probantes reos majeſtatis dixit, Carolus denique IV Legem Arcadii Aureæ Bul-

læ inſeruit. Cauſam ignorabunt, qui neſciunt, Pontificem iſto §. 37.
tempore omnem moviſſe lapidem, ut Franciæ Metropolitanis, Dapiferis, Mareſchallis, Pincernis præcipuum illud eligendi jus eriperet, quibus moliminibus, ut iretur obviam, Carolus Aureæ Bullæ non modo inſignia illa elogia, quibus corporis ſui membra, luminaria magna, columnæ Imperii, intimioris admiſſionis conſiliarii appellantur, & quibus ornari, & a reliquis regni Baronibus ſegregari, & antea maximopere gaviſi ſunt, & tum vehementer gaudebant, inſeruit, ſed novo etiam munimine, Le-
ge Arcadii ad ipſos, tanquam Germaniæ Senatores, prorogata, 38.
autoritatem eorum firmavit. In reliquos equidem Germaniæ 40.
Principes læſæ non ſuperioritatis, ſed majeſtatis crimen committitur, ſed a ſuis unice ſceleſta factione coeuntibus, in Ele-
ctores, non ſecus ac in ipſum Imperatorem a quibuscunque. Ce- 41.
terum, qui diſcernendum ſit crimen fractæ pacis a crimine læ-
ſæ majeſtatis, num Carolus V in pœna perduellium immanior 43.
fuerit, quo perduellium bona pervenerint olim, quo nunc per- 44.
veniant, in ſequentibus accurate docetur.

Nunc de ſilentio in hoc crimine, quod an gentes puniverint, C. III.
facti quæſtio eſt. Fecere id Macedones, lege majeſtatis duriſſima §. 2.
uſi, fecere Spartani. An Romani? Ad Arcadii legem & vocem 4.
conſciorum in ea occurrentem nonnulli temere provocant, qui 7.
tamen monendi ſunt, *conſcios* ſæpiſſime *conſocios* ſignificare,
adjuvas, participes. Laudat tamen Themiſtius Theodoſii cle- 8.
mentiam, quod conſcios puniri noluerit, quod priores Principes id feciſſe arguit. Et de Valente Zoſimus apertis verbis id
tradit. Nec etiam mentem conſtitutionis *Quisquis* fuiſſe, Eu- 13.
tropii architecti ingenium ſatis indicat. Leo Magnus in Aſparis 14.
filio ſilentium punivit, Juſtinianus in conſcios *ἀπρ͂άκτως* inqui- 24.
ſivit, Alexius Comnenus indicium criminis jurisjurandi for- 26.
mula complexus eſt. Idem apud Germanos factitatum eſt, quod 27.
variæ veteresque formulæ: *Secundum meum ſavirum, quan-* 29.
tum ſciero & potuero, &c. loquuntur. In Galliis Ludovicus XI 38.
de ſilentio puniendo legem tulit, an renovavit? Thuanus ſane
triſti documento comprobavit. Eodem jure uſi ſunt Floren- 40. ſeq.
tini, & Pontifex Maximus, Danicæ quoque Leges, Svecici mo-

res, Polonorum Senatorum jusjurandum eo tendunt, Angli puniunt ſilentium, quamvis mitius, & apud Belgas, quod mireris, Grœnefeldius capite plexus eſt, quod inſidias Principi Mauritio a Stautenburgio fratre ſtructas tacuerit.

C. IV. Puniunt Gentes ſilentium, quo Jure? nullo, ſi plures audias
§. 4. magna ſpecie ejusmodi ſupplicia oppugnantes. Themiſtii argumentum eſt, invitos nos audire, claudi poſſe ora & oculos, non aures; ſed oratorium. Nec quispiam punitur, quod audiat, ſed quod id, quod audivit, non dicat. Baldus præſentem, nec conſentientem, abſentem fingit, ſed fingit, nolle præſentiæ nihil
5. detrahit. Alii amicitiæ vincula urgent, ſed quæ non debent fortiora eſſe patriæ amore, ſine virtute etiam nulla ſunt. Alii
6. dicunt, ea præcipi hic a JCtis, quæ mortalium nemo conſequi poſſit. Et fatendum eſt, hominibus quamvis vulgi auram & vagos rumuſculos denunciandi neceſſitatem non eſſe imponendam; videant tamen omnes, ne vagum vocent, quod eſt certum, aut levem autorem dicant, de quo judicare nequeunt, aut con-
8. ſcios ſeſe negent, quod non crediddiſſent. Aſt, ais, ebrius fuit, ſumme iratus fuit; quid id ad te? Si taces, periculum tuum
9. eſt. Sunt, qui tormenta allegant delatoribus ex Lege Conſtantini metuenda. Fidendum tamen potius judicis prudentis arbitrio, maxime cum noſtri fori interpretatio ipſum reum, uno
10. teſte oppreſſum, quæſtioni ſubjicere videatur. Nec culpam di-
12. cimus ſilentium alicujus temporis, ut opes, conſilia, machinæ
14. perduellium detegantur. Metus potentiæ, calumniæ & inde proventuræ infamiæ non excuſabit. Circumſpectione omnino in talibus opus eſt & prudentia. Quid vero ſi Pater, ſi Filius, ſi Conjux accuſandus? Nihil mutat celeberrimus Vir; Patriæ ca-
19. ritas omnes caritates ſuperat. Quid Principem indulgentem
20. hac in re deceat, alia quæſtio eſt. Sed an ſciviſſe crimen eſt?
23. minime; ſed id periculum, quod imminere ſciebam, indicio meo non avertiſſe. Silentem intellectu errare, non peccare voluntate, ſophiſma eſt. Non errat qui ex propoſito negligens eſt,
24. ſed peccat. At Deus peccata permittit: ille vero eſt ens liberrimum, cui civem ad reipublicæ ſalutem tuendam obligatum
26. inepte comparabis. Jure itaque damnatus Philotas, jure Thuanus,

nus, jure Grœnefeldius, de quibus Illuſtris Vir prolixe tradit, & quid Principibus, ſi ad clementiam impellantur, quid Sacerdotibus, ſi perduellis crimen fateatur, faciendum ſit, egregie & vere explicat. §. 27. 35.

Dedimus Epitomen ſingularium Gundlingianorum, in qua brevitatis ſtudio, & pro inſtituti ratione quamplurima neglegximus, quæ Lector variæ eruditionis amans ſibi minime negligenda ducet, & inter ea nonnulla digna notatu, ſed in hoc libro non facile quærenda. Si exemplis opus eſt, ea, quæ de Legibus Tabellariis, de pœnis diverſi generis honeſtiorum humiliorumque, de frumentariis, &, qui in horum locum ſucceſſerunt, Agentibus in rebus, capite primo, de Udone Comite, de canis vocabulo in conviciis haberi ſolito, de Ecberto Friſiæ Saxoniæque Marchione, capite ſecundo, non ubivis obvia allata ſunt, huc referimus. C. I. §. 6. 53. 64. C. II. §. 19. 20. 23.

GUIDI PANZIROLI, JCTI, DE CLARIS LEGum Interpretibus Libri IV: acceſſere JO. FICHARDI Vitæ recent. JCtorum; MARCI MANTUÆ Epitome Vir. Ill. JO. BAPT. de GAZALUPIS Hiſt. Interpr. & Gloſſat. Juris; CATELLANI COTTÆ Recenſio inſignium Jur. Interpr. MATTH. GRIBALDI MOPHÆ Catal. Interpr. Jur. Civ. & ALBERICI GENTILIS de Juris Interpretibus dialogi VI; cura D. CHRISTIANI GODOFREDI HOFFMANNI.

Lipſiæ, apud Jo. Frid. Gleditſchii B. Fil. 1721, 4.
Alph. 4.

OPtimum conſilium cepit Conſultiſſimus *Hoffmannus* noſter, quod, cum Panziroli opus de claris Legum Interpretibus, jam pridem in librariis fruſtra quæſitum, prelo denuo ſubjiceret, alios quoque Jureconſultorum Biographos, raro hodie proſtantes, eodem faſciculo conjunxit. In Præfatione, quam præmiſit (nam libros ipſos jam antea editos recenſere ſuperſedemus) oſtendit Clariſſ. Editor, quantum interſit vitas

JCtorum habere perſpectas, cum jus ſæpe non tam ex voluntate Legislatoris, quam ex *opinionibus* JCtorum, de quibus prolixius agit, æſtimetur. De *Panzirolo*, quem ad editionem Venetam anni 1655 expreſſit, fatetur quidem, eum minime videri ultimam manum libro impoſuiſſe, quod & ſtyli inæqualitas aſperitasque & hiatus ac repetitiones prodant, quibus accedit, quod ultimo Libro, quem de Academiis inſcripſit, ſitim Lectoris provocaverit magis, quam reſtinxerit; nihilominus tamen eximium ejus in hiſtoria Juris, præſertim recentiori, uſum eſſe, luculenter demonſtrat. Nec plura de Panzirolo addimus, niſi quod dolemus, ſublatis licet pluribus ſphalmatibus, quæ in antecedentem editionem irrepſerant, retenta tamen nonnulla fuiſſe, quamvis illa emendanda aliorum potius judicio permittere, quam proprio genio & hariolationibus indulgere maluiſſe, Cl. Editor videatur. Succedunt *Jo. Fichardus*, Francofurtanus, qui jam ante Panzirolum *Vitas aliquot JCtorum* edidit Patavii 1565, & hoc multo inferior, *Marcus Mantua Benavidius*, JCtus Patavinus, qui quæ in rem ſuam putavit, e Gloſſatoribus vetuſtis & Juris Interpretibus excerpſit & rudi ſtylo digeſſit, judiciis aliquando eorum additis, quorum haud tuta fides. Pauciora ſunt, quæ ſubjunxit Editor e *Jo. Baptiſtæ de Gazalupis*, ſeu *Caccialupi*, libro *de ſtudendi methodo*, Lugd. 1543 edito, ejusque *Documento* quinto, quo de librorum lectione agit, excerpta. Nec multo prolixior eſt *Catellani Cottæ*, JCti Mediolanenſis, *de Juriſperitis* tam antiquis Romanorum quam recentioribus tractatio, ex ejusdem *Memoralibus*, quæ Lugd. 1573 prodierunt, deprompta nec lectu indigna. Quibus *Matthæi Gribaldi Mophæ*, JCti Cheriani & Profeſſoris Juris Ticinenſis, *Catalogus aliquot Interpretum Juris*, qui judicia acuta de ſingulis, ſingulis diſtichis comprehenſa, exhibet. Ultimus exſtat *Albericus Gentilis*, cujus dialogi *de juris Interpretibus* prodierunt Londini 1582. Nec indignus is videtur, qui in hac collectione locum inveniat: etſi enim humaniorum literarum & Critices, imo etiam Hiſtoriæ ſtudium, JCto negligendum ſuadeat, nihil tamen ſerio egiſſe videtur, qui magnam ipſe ubique in his literis doctrinam prodit. Ceterum ſpem facit Conſ. Editor, ſe

vitas

vitas JCtorum, quæ ſigillatim ſubinde prodierunt, ceu palantes chartas, exemplo Frid. Jac. Leickheri, in eundem faſciculum congeſturum, quo rem haud ingratam facturum eſſe literatis omnibus, præſertim Juris peritis, certiſſime perſuaſi ſumus.

HISTOIRE DU DROIT ROMAIN &c.

i. e.

CLAUDII JOSEPHI FERRERII, ADVOCATI Parliamenti & Doctoris Facultatis Juridicæ Pariſienſis regentis, Hiſtoria Juris Romani, ejusdem originem, progreſſum, uſum in Galliis, excellentiam, & diſcendi ordinem continens.

Pariſiis, apud Ant. Warinum, & L. A. Amaulry, 1718, 8. Alph. 1 pl. 16.

EOdem fere tempore, quo in Germania noſtra Clariſſimi Viri, Struvius, Hofmannus, aliique in Juris Romani hiſtoria ornanda fuerunt occupati, de eadem in Galliis bene mereri voluit Conſultiſſimus Ferrerius, cujus libellum ſerius ad nos allatum ſcriptis noſtratium, anno cIↄ Iↄcc xix Menſe Septembri exhibitis, nunc ſubmittimus. Condit autem Autor ſuam hiſtoriam ſecundum temporis ordinem, ut in talibus fieri aſſolet, & capitibus duobus & triginta, de diverſis publici ſtatus apud Romanos ſpeciebus, de Jurisprudentia Romana ſub Regibus, de Republica Romana & Conſulum creatione, de Tribunis plebis, de Decemviris & XII Tabulis, de eo, quod XII Tabulas ſecutum eſt, de Legibus, de Plebiſcitis, de Interpretatione prudentum, de Edictis Prætorum, de Jurisprudentia Romana ſub Cæſaribus, de ſucceſſione Cæſarum ad Juſtinianum usque, de Juſtiniano Imperatore, de Senatu Romano, de SCtis, de reſponſis prudentum, de JCtis celebrioribus, de collectionibus Legum ante Juſtinianum, de Codice Juſtiniani, de Pandectis, de Inſtitutionibus, de Codice repetitæ prælectionis, de Novellis, de Jurisprudentia in Oriente poſt Juſtinianum, de ejusdem fatis in Occidente, de uſu Juris Romani in Galliis, de vero ſenſu decretalis: *ſuper ſpecula*, de Arti-

Articulo LXIX Conſtitutionis Blæſenſis, de excellentia Juris Romani, de celebrioribus Interpretibus Juris Romani, de requiſitis illorum, qui juri Romano operam dare volunt, de methodo diſcendi, de allegandi denique modis & ſcripturæ compendiis, quibus JCti uti ſolent, copioſe & in multis ſane bene diſſerit; neque tamen diffitendum eſt, paſſim eſſe, ubi meliorem ordinem, majoremque curam & doctrinam deſideres. Ne hoc absque cauſa dixiſſe videamur, exemplis nonnullis utendum erit. C. II traditur, Sextum Papirium, Tarquinio Superbo regnante, Leges Regias in unum volumen collegiſſe, ex Enchiridio, ut exiſtimo, Pomponii, ſed dudum eſt, quod Rupertus & alii Viri docti demonſtraverint, non Sextum Papirium, ſed ſextum Papirii librum a JCto eſſe allegatum, ut ea nunc taceamus, quæ noviſſime Clar. Heineccius de Gajo Papirio, Juris Civilis autore, attulit. C. V, ubi de XII Tabulis ſermo eſt, *Ciceron*, L. I de Oratore, ait Noſter, *dit a leur louange, qu' elles renferment tout ce qu'il y auoit de bon & d' utile dans les livres des Philoſophes*, quod quam a mente Ciceronis ſit alienum, ex ipſis eloquentiſſimi Romuli Nepotum verbis conſtat. *Bibliothecas*, ait hic, *mehercule omnium philoſophorum unus mihi videtur XII Tabb. Libellus, ſi quis legum fontes & capita viderit, & autoritatis pondere & utilitatis ubertate ſuperare.* De Succeſſionibus & Plebiſcitis idem c. VI admodum confuſe, illud vero c. X falſe, quod in maximo Prætorum numero duodecim quotannis illum magiſtratum gesſerint, cum vel ex Pomponio conſtet, Auguſtum conſtituiſſe ſedecim, Divum Claudium duos fideicommiſſarios addidiſſe, detraxiſſe unum Titum, ſed Nervam addidiſſe fiſcalem, decemque & octo Prætores in urbe jus dixiſſe. Ædiles
p. 172. curules a *curru* appellatos eſſe, paucis perſuadebit: nec ſatis accurate Breviarii, quod Aniani dicitur, Autorem facit ipſum Anianum, cujus ille Vir Spectabilis modo recognitor fuit atque ſubſcriptor.

c. XXVI. Ceterum non ubivis obvia ſunt, quæ Conſultiſſimus Autor in nonnullis capitibus de uſu Juris Romani in Galliis commentatur. Ampliſſimum illud Regnum diviſum eſt in Provincias Juris ſcripti (*les Pays de Droit Ecrit*) & in Provincias juris conſuetudinarii

(*les*

(*les Pays Coutumiers*)ſunt illæ Aquitania, Provincia, Delphinatus, aliæ, verbo omnes illæ, qui Parliamentis Toloſano, Burdegalenſi, Gratianopolitano, Aquenſi, & Palano ſubſunt, & Lugdunenſis ager, provincia Forenſis, ager Bellojovienſis, & magna Arverniæ pars, quæ regiones Parliamento Pariſienſi parent. Sunt nempe Provinciæ, quæ ab Italia propius abſunt, & cum antiquiſſimis temporibus, cum Francis ſubjicerentur, jure Romano uterentur, illud Regum beneficio ſervarunt, & hodienum ſervant. Reliquæ conſuetudinibus ſuis reguntur, ita tamen, ut inſignis Juris Romani uſus ſit in iisdem, quod ex exemplis & ſuffragiis celeberrimorum Juris patrii Interpretum Coquillii, Mornacii, Loiſavii, aliorum firmatur. Pauca enim ſunt capita in iſtis conſuetudinibus conſtituta atque deciſa, in reliquis Judici & Advocatis ad rationis dictamina in Lege Romana, ut Noſter loqui amat, literis mandata eſt confugiendum. Merentur tamen ea legi, quæ de controverſia olim inter illu- p. 304.
ſtres Viros Petrum Lizetum & Chriſtoph. Thuanum enata afferuntur, quorum ille tacente conſuetudine legem Romanam loqui, hic prius vicinæ provinciæ aut Pariſiorum conſuetudinem audiri volebat. Immo ſunt in Galliis, qui ſibi perſuadent, tantum abeſſe, ut maxima & perpetua fuerit Juris Romani in Galliis autoritas, ut per aliquod ſaltem tempus & Pontifex & Rex illius doctrina ſuis interdixerint. Provocant hi partim ad decretalem Epiſtolam Honorii III, *Super Specula*, cujus fragmentum cap. XXVIII, X: de Privilegiis exſtat, & Pariſiis Jus Civile legi aut doceri prohibet, partim ad Conſtitutionis Blæſenſis A. 1579 editæ Articulum LXIX, qui, repetita decretalis illius prælectione ordinem JCtorum Pariſinum publice Jus Civile prælegere, & honores illius cauſa conferre vetat. Sed Conſultiſſimus Ferrerius ſui Collegii jura egregie hic tuetur, & illius decretalis fragmentum male decerptum perperam accipi, Clericis a Pontifice Romanarum legum ſtudio interdici, ne temere ſecularibus, quod ajunt, negociis immiſceantur, non Laicis idem injungi; Blæſenſem autem Articulum a Cancellario Chivernio in Aurelianenſium gratiam præter fas, & inſciis ordinibus eſſe inſertum, nec, quod ibi temere poſitum, unquam uſu invalu-

iſſe, ſapientiſſimi potius Regis Ludovici XIV edicto, ordinis juridici jura denuo firmata eſſe atque munita, cum rationum pondere, tum exemplorum autoritate luculenter adſtruit.

HISTOIRE DU DROIT CANONIQUE &c.

i. e.

*HISTORIA JURIS CANONICI ET REGIMI-nis Eccleſiaſtici, per Dn. ** Parliamenti Advocatum.*

Pariſiis, apud Ant. Warinum & Gabr. Amaulry, 1720, 8.
Alphab. 1 pl. 11.

DUplex eſt argumentum Libelli, cujus titulum dedimus, eoque tendunt omnia, ut Juris Canonici ſtudioſo, de Juris illius maximam partem peregrini autoritate in Galliis, & de primis & evidentibus principiis juris circa ſacra in illa liberrima gente regii conſtet; utrumque tam breviter, ſimul tam clare ac perſpicue, tum etiam docte explicuit Conſultiſſimus Autor, ut inſignem omnino laudem mereatur. Ordo operis hic eſt, ut primum diverſas collectiones, quæ Jus Canonicum conſtituunt, recenſeat, tum Libertatem Eccleſiæ Gallicanæ & ſumma Capita, quibus innititur, exponat, mox Juris Canonici definitionem & diviſiones tradat, & ordine deinde de Juris Canonici fontibus V. Scriptura Sacra, Conciliis, Epiſtolis Paparum decretalibus, Opinionibus SS. Patrum, & Conſtitutionibus Principum, fontiumque illorum in Galliis autoritate & uſu differat.

p. 3. In Hiſtoria Juris Canonici quatuor veluti Epochas conſti-
tuit Cl. Autor, & initio quidem a Sanctiſſimo noſtro Servatore
facto, primam habito Niceæ Concilio, alteram falſis Iſidori Mer-
catoris decretalibus, tertiam Juris Canonici reſtauratione, quar-
tam noſtra ætate finiri aſſerit, ita ut prima Juris Canonici ori-
gines, ſecunda Jus verum & vetus, tertia hujus juris innovatio-
nem & depravationem, quarta illius veteris reſtitutionem con-
10. tineat. Ex prima Epocha exiguæ ſuperſunt reliquiæ, ſi Noſtro
17. credas, in Apoſtolorum Canonibus ſervatæ; in ſecunda confe-
cti ſunt Codices Eccleſiarum, Romanæ, Græcæ, Gallicæ, ad
ter-

tertiam pertinent quisquiliæ Iſidori Mercatoris, & collectiones reliquæ, hoc tamen luto conſpurcatæ, Burcardi Wormatienſis, Ivonis Carnotenſis, & Gratiani Cluſini, decretales itidem Gregorii IX, Sextus Bonifacii VIII, Clementinæ & Extravagantes cum Joannis XXII, tum communes, pariter omnes Iſidori veneno infectæ; quartam denique exornant principum & gentium placita, quibus Juris Canonici deterioris attentatis obviam itum eſt, conſultumque libertati Eccleſiarum, in Galliis equidem Pragmatica ſanctione Ludovici IX, alia Bituricenſi ſub Carolo VII confecta, Concordatis a Leone IX cum Franciſco I, initis, Ordinatione Blæſenſi Henrico III regnante edita, qua Concilii Tridentini nonnulla, ſed autoritate regia, ſunt adoptata, Edicto Ludovici XIII A. 1637 promulgato, *(Edit pour le Controle des Beneſices)* & alio Ludovici XIV A. 1646 de Inſinuationibus Eccleſiaſticis emiſſo. Jucundiſſimus foret labor, omnium harum conſtitutionum hiſtoriam, uti a Viro rerum patriarum peritiſſimo hic tradita eſt, latino ſermone explicare, ſed inſtituti ratio, & alia, quæ dicenda, id vetant.

p. 27. 52. 56. 61. 70. 85. 90.

Libertas Eccleſiæ Gallicanæ his propagnaculis munita, & ab injuriis ſummi Pontificis egregie defenſa, duo complecti videtur: *Ingenuitatem*, & *Jura Communia. Ingenuitas* eſt jus ſeſe a novo jure, quod veteri diſciplinæ contrarium eſt, defendendi. Amiſſum eſt illud jus in orbis Chriſtiani partibus, quæ obedientiam profitentur *(le Pais d'Obedience)* ſed in regionibus, quæ liberæ ſunt, *(les Pais de Liberté)* ſummis duabus poſitionibus abſolvitur: 1 *Obediendum eſſe legitimis paſtoribus*, aliter enim ordo in eccleſia conſiſtere nequit, 2 *Iisdem non eſſe obediendum*, ſi eccleſiæ jura atque privilegia mutanda eſſe & violanda doceant. *Jura*, quæ hic vocantur *Communia*, (forte *Specialia* rectius appellares) ad tres potiſſimum claſſes ſunt redigenda; *vel* enim pertinent ad diſtinctionem inter duas ſummas poteſtatis, ſacram & civilem, ſibi invicem non ſubjectas, ſupremum puta Regis Jus in temporalibus, ſummum ejus imperium in omnes, etiam in perſonas eccleſiaſticas, Jus Regis omnes ſubjectos protegendi, & ab injuriis, etiam Eccleſiaſticæ poteſtatis, defendendi, quæ omnia nec amitti nec præſcribi

92. 93. 93. 95.

poſſunt; *vel* ad res veteri jure Canonico conſtitutas & conceſſas, v. c. Jus Regis circa nominationes ad beneficia eccleſiaſtica,& alia jura omnia, quæ regi circa illos modos competunt, quibus Curia Romana ex diverſis regnis tanta commoda, proventus tam inſignes & lucra conſequi, & in ſuam rem vertere ſolet, cujus generis jura omnino perdi poſſunt, ſed a Francicis Regibus nunquam perdita ſunt, *vel* denique ſunt privilegia varia, perſonis, ut apertius loquar, graduatis, aut univerſitatibus, ſingulis etiam perſonis aliis, & locis indulta, & ſimilia, quæ ad Jura Regni & Eccleſiæ omnino pertinent, quod maximam partem ſint veſtigia veteris Juris Canonici, & ſuorum
p. 99. omnium cauſam tueri, Regii juris & officii ſit. Habent nonnulla adverſæ partes Patroni, quæ contra dicant, ſed omnino talia, quæ facili negotio confutantur à noſtro Autore & diſpelluntur.

Nititur hæc Eccleſiæ libertas ſuis certis & indubitatis rationibus, quas à noſtro Autore ad tria capita redactas videas,
112. naturam Regiminis Eccleſiaſtici, diverſitatem utriusque poteſtatis ſummæ Sacræ & Civilis, & Legum illarum qualitatem eſſentialem. Quod ad naturam Regiminis Eccleſiaſtici attinet, habet Eccleſia Regem unum & æternum Jeſum Chriſtum DEI Filium, habet Leges ab iſto rege ſibi traditas, habet & poteſtatem Clavium, jus ingens, ſibi concreditum, ſed ita ut exercitium illius poteſtatis ſit penes verbi miniſtros: inter hos Miniſtros eſt quidam ordo, illum appellant Hierarchiam, neque tamen ulli in alterum eſt quoddam dominium, *vos autem non ſic*, nec, quod abſurdum dictu, in ipſam & univerſam Eccleſiam, parti in corpus, filio in matrem, hæc potius ſuis, hæc fidelibus, hæc Epiſcopis, hæc Epiſcopo ordine primo, Papæ Romano præeſt, judicat, & in iis, quæ ſui juris ſunt, dominatur. Sunt omnino, qui poteſtatem Petro datam urgent; ſed Cl.
121. Autor ſententiæ Auguſtini ſubſcribat: *claves non homo unus,*
129. *ſed unitas accepit Eccleſiæ*, & potius Gregorii VII, Pontificis Rom. vocem audiendam eſſe, ait, *Matrem & Dominam ſuam eſſe Eccleſiam*, quam Cajetani, qui *Servam natam reſpectu Papæ* dicere non erubuit. Ex natura itaque Eccleſiaſtici Regiminis

minis fluit, non paſtorem quempiam, nedum peregrinum, ſed Eccleſiam univerſam Eccleſiæ Gallicæ præeſſe & dominari.

Jam ex diſcrimine, quod eſt inter duas poteſtates, Sacram p. 131.
& Civilem, Libertatem Eccleſiæ Gallicanæ colligas. Uti enim poteſtas Eccleſiaſtica non ſubeſt ſeculari, ita nec ſecularis Eccleſiaſticæ. Si ubique locorum in una eademque perſona jun- 142.
ctæ eſſent illæ ſummæ poteſtates, uti ſunt Romæ in Papa, nihil eſſet diſcordiarum, nec ſi unaquæque ſuos limites noſſet, & intra illos ſe contineret; ſed cum Reges equidem & Principes facile a ſacra poteſtate ſeſe abſtineant, idem tamen impetrari non potuit a Pontificibus Romanis in barbaris illis ſeculis; voluerunt hi Reges ſuæ poteſtati in omnibus ſubjicere, quorum adeo jura nunc contra ſedis Apoſtolicæ mancipia defendenda ſunt. Facit hoc egregie poſt alios Conſultiſſimus Autor, & Bellarmino inprimis reſpondet, qui agmen ducit doctior reliquis & moderatior. Iterum non licet ob prolixitatem hæc ordine exponere, dabimus tamen ſpecimina, & ſalivam movebimus lectori. Bellarminus ait, Principes & Reges ſubeſſe Pontifici Romano in temporalibus, ſaltim indirecte, idque ex eo colligi, quod Regibus & Principibus a ſummo Pontifice poſſit communione ſacra interdici. Ad hæc Noſter: fingas, poſſe Pon- 149.
tificem, poterit ideo quivis Epiſcopus, & quilibet Regum unicuique ſuorum Antiſtitum, ſaltim indirecte, ſuberit, qua doctrina jura imperantium & parentium prorſus confundi ſatis manifeſtum eſt. Mors moralis duplex eſt, alia civilis, alia, ut 150.
ita dicamus, ſpiritualis, quo facto ita mortuus ut membrum mortuum & putridum a reliquo Eccleſiæ corpore abſcinditur. Hæ duæ ſpecies ſunt diſtinctiſſimæ. Morte civili functus non 151.
ideo habetur pro excommunicato, & excommunicatus non amittit ſtatum civilem. Qui itaque principes illum amitterent & imperantium jura, quæ paganis etiam principibus ſarta tecta ſervantur. Et eſt ſocietas alia naturalis, alia utilitatis, alia 153
voluntatis & familiaritatis, ad hanc pertinent, quæ habet Apoſtolus de excommunicatis, & hujus intuitu ſint nobis ejusmodi homines, *ut ethnici & publicani.* Sed nunc videndum eſt, an Reges & Principes interdictis eccleſiaſticis ſint puniendi? Ne-

gat hoc Conſultiſſimus Autor fortiter, & quidem argumentis
p. 155. aliis ſepoſitis ex triplici capite: 1 S. Auguſtinum clariſſimis verbis id negare, ſi metus ſchiſmatis ſubſit, qui major eſſe non
157. poteſt, quam ſi Regi ſacris interdicendum eſt. 2) Excommunicationis Regum exemplum non extare ante Seculum IX quamvis ſapientiſſimi Patres prioribus Seculis Eccleſiæ præfuerint, imperaverint autem Principes Conſtantius & Valens Arriani, Conſtans Hæreticus, ſacrilegus, fratricida, Leo Iſaurus Iconomachus, alii, ſane magis digni ejusmodi pœna, quam omnes
162. illi, quos deterior ætas vidit excommunicatos. 3) Fulmina ejusmodi Romana a temporibus Ludovici Pii ad Henrici IV ætatem in Galliis fuiſſe bruta, invalida, & ab univerſa Eccleſia ſpreta & rejecta.

170. Denique qualitas legum eſſentialis eſt, ut conveniant illis, quibus dantur. Jam vero ſatis conſtat Eccleſiam fuiſſe unam, uſam tamen nunquam non diverſis ritibus & moribus. Alios alia decent, aliis alia placent. Hæc bene poſita mutare, nocivum eſt. Qui ſibi mos ut geratur, vult, dominari videtur, qualem dominatum Eccleſiæ, liberæ imprimis, reſpuunt. Non omnibus omnia conveniunt, qui hoc non obſtante ſibi obtemperari vult, injuſta vult ſuæ libidinis cauſa, cujus tamen generis jugum Eccleſia ſibi imponi nec paſſa eſt, nec pati potuit.

Pio & prudenti zelo tanta jura ſunt cuſtodienda, cujus ſimul regulas ſatis egregias ſubminiſtrat Clariſſimus Autor. Ad nomen deinde Juris Canonici, definitionem & diviſionem explicandam converſus, his traditis, fontes ejusdem juris accuratius
175. intuetur, & ordine ſingulis capitibus, de Scriptura Sacra ſecun-
216, 219. dum placita ſuæ Eccleſiæ, de Conciliis omnis generis, de Con-
233. ciliorum generalium convocatione, de perſonis, qui Jus habent
245. in illis comparendi, de Præſidio Conciliorum Generalium & ea
259. habendi modo, de autoritate Conciliorum, & quod ſuperiores ſint Papa, quod argumentum ampliſſimum & maximi momen-
296. ti duobus capitibus exponitur, quod Concilia generalia ſuam
301. autoritatem immediate a Deo conſequantur, de confirmatione
315. Conciliorum generalium a Papa facienda, de Epiſtolis decreta-
325. libus ſummorum Pontificum, de Conſtitutionum Apoſtolicarum

diver-

diverſis ſpeciebus, de opinionibus SS. Eccleſiæ doctorum, de po- p. 345.
teſtate Regum circa res Eccleſiaſticas, de limitibus autoritatis 349.
Regiæ circa res Eccleſiaſticas, de poteſtate denique Regum, qua 362.
Canonum ſunt Protectores, docte, accurate, moderate, & pru- 385.
denter diſſerit. Non ſine fructu legimus hæc omnia, quamvis plura hic diſſerere non licet. Notabuntur hæc Romæ atro calculo, nec in omnibus ſatisfacient iis, qui jura Principis circa ſacra norunt, &, quam nihil juris Romano Epiſcopo in alias Eccleſias concedendum ſit, intelligunt. Ita tamen ex ſuæ Eccleſiæ placitis jura eccleſiaſtica defendit Conſultiſſimus Advocatus, ut Inſtitutiones Juris Canonici Gallici, quas in præfatione ſperare jubet, quantocyus videre geſtiamus.

DISCOURSES HISTORIQUES, CRITIQUES, &c.

hoc eſt,

JACOBI SAURINI DISSERTATIONES HIſtoricæ, Criticæ, Theologicæ & Morales ad præcipuas V. & N. T. hiſtorias. T. I & II, ad Pentateuchum, una cum figuris æneis.

Amſtelodami, apud Henr. du Sauzet, 1720, 8. maj. Alph. 3 pl. 15.

AUtor jamdudum domi clarus ob ſingularem in ſacra cathedra eloquentiam, quam & tribus Gallice conſcriptis voluminibus Chriſtiano orbi probavit, bibliopolæ precibus permotus accinxit ſe ad erudite illuſtrandas univerſi ſacri codicis hiſtorias. Tomis igitur his duobus (quorum prior editio auguſtiſſima forma longeque pluribus ornata figuris æneis paucis menſibus ante prodierat in publicum,) explicandas ſuſcepit præcipuas quinque librorum Moſis hiſtorias hac vſus methodo, ut præſtantiſſimorum Interpretum ſententias una cum ipſorum rationibus exhibeat, iisque accurate expenſis vel eligat eam, quam ſatis clare demonſtratam duxerit, vel doceat, nondum rem perductam eſſe ad liquidum, ſed uſurpandum vetus illud: NON LIQUET. Cumque complura hic loca occurrant, quibus Cl. Autor ſuum N.L. adſcripſit, facile apparet,

cum

eum vitare ſtuduiſſe dogmaticorum interpretum temeritatem, lectoribusque commendare Scepticiſmum ſive Pyrrhoniſmum exegeticum & criticum, eumque rationalem. Vid. ipſe in *Indice ſubjecto* v. *Difficultez*, *Queſtions*, & *Pyrrhoniſme*. Ut lectores noſtri videant, quomodo conatus iſte doctiſſimo Autori ſucceſſerit, aliquot utriusque Tomi Diſſertationes perluſtrabimus, earumque ſummam non indiligenter exponemus. Univerſarum Diſſertationum (ſunt autem ſeptuaginta,) *prima* eſt *de creatione mundi*, eaque totum primum Geneſeos caput perſtringitur. Obſervat hic, a Moſe non proditum eſſe memoriæ, utrum DEUS materiam hujus univerſi creaverit primo die, an jamdudum antea; de luce primæva nullius Interpretis ſententiam eſſe ſatis certam atque claram; nec de aquis ſupra cœleſtibus certi quicquam definiri poſſe; probabile eſſe, ſtellas eſſe totidem Soles ſuis quemque mundis nobis incognitis deſtinatos; Moſem, dum Solem & Lunam vocat *duo magna luminaria*, ſatis perſpicue indicare, ſibi non eſſe propoſitum, exactam tradere Phyſicam; incertum eſſe, an verba: *Deus dixit: Fiat lux*, capienda ſint de verbo ſubſtantiali ſive ſecunda Trinitatis perſona; æque incertum eſſe, an per *ſpiritum ſuper aquas motum* intelligatur tertia perſona Trinitatis; tempus creationis angelorum definiri e ſacris literis non poſſe, illud tamen certum eſſe, quod longo intervallo ante hunc viſibilem mundum creari potuerint; utrum vere, an autumno, creatus fuerit mundus, conſtitui non poſſe; ſcopum Moſis præcipuum eſſe in hoc capite primo, ut ethnicum dogma de æternitate mundi deſtruat, ac verum firmumque jaciat religionis fundamentum.

Diſſert. V ad Geneſ. IV *de cæde Caini* verba Evæ non explicat de Meſſia, ſed ita reddit: *acquiſivi hominem a DEO*. Unde fratres primi ſciverint, alterius oblationem Deo gratam eſſe, alterius ingratam, vix definiri poſſe putat, propendens tamen eorum in ſententiam, qui credunt, ignem de cœlo miſſum conſumſiſſe Abelis ſacrificium. Nec, quo ſigno DEUS de ſecuritate proſpexerit Caino, definire audet. Cum vero Cain legitur metuiſſe homines, ipſius fratricidium ulturos, aſſentitur

titur iis, qui rationibus ſubductis colligunt, jam magnam hominum multitudinem exſtitiſſe illo tempore. Nos ad hanc diſſertationem pace Cl. Autoris obſervamus, eum nobis dubitare debuiſſe videri, ubi certi quid definire ſuſtinuit, & contra Septiciſmum exercuiſſe, ubi dubitatio tolli & certa vel ſaltim ſumme probabilis ſententia proponi poterat. Scepticum ſcilicet agit in quæſtione illa, unde Cain ſciverit, ſacrificium ſuum Deo diſplicere; e contrario pro certo ſtatuit, Deum & ante & poſt fratris occiſionem immediate allocutum eſſe Cainum. Fortaſſe ad utramque quæſtionem reſpondiſſet aliter, ſi vulgo neglectum *Lutheri commentarium in Geneſin* conſuluiſſet. Is enim erudite obſervat, Deum in ſacris literis dici *loqui cum aliquo*, cum per prophetam quempiam aliquid denunciat. Unde ſtatuit, Deum per Adamum, quem divino ſpiritu agitatum fuiſſe vix dubitari poteſt, cum Caino locutum eſſe, & poſita hac hypotheſi totam de Caino hiſtoriam reddit lucidiorem. Vid. Lutherus lib. cit. f. 64-72. Hinc jam clarum eſt, unde Cain ſciverit, ingratum Deo eſſe ſuum ſacrificium. Nam ex ſuperiori hypotheſi, quæ ſane ſumme probabilis eſt, ſequitur, Adamum tanquam prophetam nomine Dei filios ſuos eſſe allocutum, eosque docuiſſe, alterius pietatem ſinceram ſacrificio declaratam Deo valde probari, alterius vero hypocriſin Deo, qui non ſacrificium, ſed interiora animi reſpiciat, eſſe inviſam maxime. Fortaſſe etiam Cl. Autor ſcepticiſmum exuiſſet in loco *de ſigno Caini*, ſi Cl. Ortlobii de hoc loco Diſputationem hic Lipſiæ A. 1701 editam inſpexiſſet. Is enim hanc ſuam paraphraſin: *Sed dixit illi Deus: Certe ſi quis interfecerit Cainum, is ſeptuplo vindicabitur. Et dedit hoc Deus Caino in ſignum, quod nemo ipſum ſit interfecturus*, id eſt, his verbis, fide quippe digniſſimis, Caino ſatis clare confirmavit, ipſum a nullo interfectum iri; tam docte illuſtrat, ut facile extorqueat aſſenſum lectoribus. Sed miſſa poſthac ἐπικρίσει noſtra, progredimur ad ſimplicem recenſionem Diſſertationis *decimæ*, quæ eſt *ad Geneſ. XI de turri Babelis & confuſione linguarum.* Hic dubium e verſu ſecundo petitum, ubi homines in Chaldæam leguntur iviſſe ab oriente, cum tamen Chaldæam ex Armenia petituris eun-

dum ſit meridiem verſus, ita ſolvit, ut, rejecta eorum opinione, qui τὸ *Kedem* habent pro nomine proprio regionis cujuspiam, lectori liberum relinquat, utrum Bocharti an Druſii ſententiam ſequi velit, quarum utraque magna probabilitatis luce radiet. Hic enim verba Moſis ita interpretatur, quod homines exierint non ab oriente, ſed verſus orientem; ille docet, Geographos Aſſyrios *orientem* vocaſſe, quicquid terrarum trans Tigrim eſt, *occidentem*, quicquid cis Tigrim. Porro Moſem hoc loco eum in ſenſum Cl. Autor interpretatur, quod illo ævo una eademque lingua uſi fuerint univerſi homines: eamque ſtatuit primævam fuiſſe linguam, quæ facile conſervata ſit ob longævitatem hominum eorumque in una eademque regione cohabitationem. Ceterum hinc progreſſus ad quæſtionem, an Hebraica ſit primæva illa lingua, fatetur quidem, non ſolum Rabbinos & Eccleſiæ Patres ita ſentire, ſed etiam ſummos criticos, Bochartum, Seldenum, Buxtorfium, ipſe tamen cenſet, eorum argumenta haud difficulter poſſe refutari, docerique, linguam Hebræam non eſſe primævam illam, ſed Cananæorum linguam. In ſequentibus conſiderans ſcopum turrim Babelicam exædificantium, nil quidem certi ſtatuit, videtur tamen non abhorrere a ſententia Teniſonii, archiepiſcopi Cantuarienſis, qui in libro Anglico *de idololatria* contendit, turrim illam fuiſſe ſymbolum Solis, in cujus cultum, homines eam exſtruxerint, eamque ſententiam perdocte illuſtravit. Ad linguarum confuſionem quod attinet, Cl. Autor ſtatuit, Moſem ſatis innuere, ſe enarrare miraculum, adeoque certum putat, homines deſiiſſe ſe invicem loquentes intelligere.

Diſſ. XIII de Melchiſedeco eſt ad Geneſ. XIV. Hic obiter perſtrictis opinionibus de Melchiſedeco manifeſto falſis & ineptis, diutius immoratur duabus ſententiis, quarum utraque ſectatores habet haud ſane gregarios. Alteri nimirum ſtatuunt, Melchiſedecum fuiſſe regem eundemque ſacerdotem veri Dei; alteri, eum fuiſſe ipſum Chriſtum. Exponit igitur Cl. Autor primo fundamenta eorum, qui priorem amplexantur ſententiam, ſimulque recitat ipſorum reſponſiones, quas opponunt iis, qui iſtam ſententiam ex Epiſtola ad Hebræos impugnant.

gnant. Producit etiam rationes, quibus inductus eorum ſententiam cenſeat repudiandam, qui Semum vel Chamum crediderunt latere ſub nomine Melchiſedeci. Hinc fatetur, ſi ſolus Geneſeos locus ſupereſſet de Melchiſedeco, ſe non dubitaturum, quin Melchiſedecus fuerit Rex quidam urbis Salem. At cùm iterum ejus mentio fiat in Epiſtola ad Hebræos, hinc objectiones adverſus priorem ſententiam exponit accurate, oſtenditque, deſcriptiones Melchiſedeci in iſta epiſtola non videri convenire in merum hominem, ſed ſolius Chriſti proprias eſſe. Jam recenſet eorum fundamenta, qui putant, Melchiſedecum fuiſſe ipſummet Chriſtum, nec prætermittit ſilentio objectiones huic ſententiæ oppoſitas ab aliis. Ad ultimum concludit, ſe non poſſe certi quid hic definire, cum utraque ſententia ſibi videatur laborare difficultatibus nondum perſpicue ſublatis.

Diſſ. XVIII, de everſione Sodomæ, Geneſ. XIX. Hic, ducem ſecutus Hakſpanium, non audet affirmare, in verbis iſtis: *Deus pluit a Deo*, latere myſterium Trinitatis. Sententiam eorum, qui ſtatuunt, Loti uxorem mutatam fuiſſe in ſtatuam ſalinam, facile refelli poſſe cenſet. Hinc exhibet ſententiam Clerici & Witſii una cum utriusque argumentis, concludens tandem, Witſium juſto vehementiori zelo exarſiſſe in ſententiam Clerici, non autem ſolide eam refutaſſe.

Diſſ. XLI ad Geneſ. XLIX *de benedictione Jacobi ad filios.* Nos præteritis cæteris hujus Diſſertationis argumentis, ſolum *de Schilo* locum contemplaturi ſumus. Varias igitur poſtquam attulit atque examinavit interpretationes vocis *Schilo*, e quibus omnibus nullam cenſet ſatis eſſe demonſtratam; ipſe tandem quatuor nixus hypotheſibus, quas recitare longum nimis foret, iſtam exhibet illius loci paraphraſin: *Tribus Judæ eminebit inter cæteras tribus & autoritate præfulgebit, donec venerit Meſſias e patriarcharum ſemine naſciturus. Ex quo tempore venerit ille Meſſias, gloria tribus Judæ erit illuſtris in univerſo orbe, quandoquidem Rex, (id eſt, Meſſias,) qui prodibit ex illa tribu, toti imperabit orbi.* Cum vero graviſſima difficultas, quæ contra hanc paraphraſin objici poſſit, ſit illa, quod tribus Juda

non ſemper habuerit reges & legislatores usque ad adventum Chriſti, (quæ difficultas etiam Cl. Joncurtio viſa eſt inſuperabilis, cujus de h. l. Diſſertationem recenſuimus A. 1716 p. 445) reſpondet Noſter, Jacobi prædictionem eſſe disjunctivam, ejusque hunc eſſe ſenſum, quod tribus Juda ſemper habitura ſit *aut* poteſtatem regiam, *aut* poteſtatem legislatoriam. Atqui alterutram ſemper habuiſſe tribum Juda, demonſtratum eſſe cenſet Cl. Autor a Martino Helvico, e cujus Diſſertatione *de vaticinio Jacobi*, quæ T. VIII Bibl. Crit. Angl. exſtat, argumenta hic repetuntur. Hinc refutat aliorum interpretationes, cum Chriſtianorum, & hos inter Joncurtii, tum Judæorum.

Diſſ. XLVI, de magorum miraculis, Exodi VII. Alii naturali ſolertiæ & humanis artificiis tribuunt illa miracula; alii Diabolo. Autor noſter utriusque partis fundamenta exhibet, rem ipſe in medio relinquens, ſimul tamen oſtendens, quot quantisque abſurditatibus aditum aperiat opinio eorum, qui ſtatuunt, Diabolum oculos tum faſcinaſſe ſpectatorum, ut pro ſerpente habuerint, quod ſerpens non erat. De cetero liberum cuique eſſe ſtatuit, utram amplexetur opinionem, cum utroque modo miraculis Moſis ſua conſtet autoritas, Moſe quippe vincente Magos, illisque iſtam exprimente confeſſionem: *Hic eſt digitus Dei.*

Diſſ. LIII, de vitulo aureo, Exod. XXXII. Hujus capitis verſu quarto phraſis occurrit ambigua, quæ poteſt ſignificare cum *formavit aurum cælo*, tum *colligavit aurum in marſupio.* Poſteriorem defendit ſenſum Bochartus, priorem Jo. Clericus, uterque tam probabili ratione, ut judice Noſtro & hic locum habeat Scepticiſmus criticus. Idem Scepticiſmus Cl. Autori locum videtur habere in quæſtione, quid cauſæ permoverit Aaronem, ut in ſymbolum Numinis eligeret vitulum ſive juvencum. Repetit igitur hoc loco diverſas Interpretum opiniones, ſed expenſis ſingulorum rationibus id ad ultimum hinc conficit, quod, quis veriora protulerit remque acu tetigerit, ignoretur. Interjectis quibusdam Cl. Autor delatus ad votum Moſis, quo
p. 192. v. 31 & 32 optat *ejici e libro vitæ*, Placetti, quem ſingulari plane elogio ornat, ſubſcribit paraphraſi, quæ hæc eſt; *Aut, mi*

Deus,

Deus, ignoſce populo Iſraelis, aut celeri morte rebus humanis me eripe, ne cogar audire ludibria inimicorum tuorum. Qua occaſione docet, Myſticorum doctrinam de amore DEI commodum proprium non reſpicienti & S. Scripturæ & rationi rectæ prorſus adverſari. Quid? ne Eliæ quidem Saurini, (cujus exſtat *de amore Dei* liber, recenſitus nobis A. 1701 p. 507) ſtatuentis, hominem tanto amore complecti Deum debere, ut paratus ſit æterna excidere ſalute, ſi ſcilicet ea re amplificari queat Dei gloria, ſententiam approbat, imo oſtendit, hanc theſin eſſe contradictoriam. Nam, inquit, hæc theſis ſupponit, Deum eſſe ens adeo amabile, ut dignus ſit, pro quo vel æternam noſtram ſalutem impendamus. Atqui ſi Deus exigeret a nobis jacturam ſalutis æternæ, minime omnium foret ens amabile, ſed ens barbarum & crudeliſſimum.

Diſſ. LIV longam continet tractationem de tabernaculo Moſaico a p. 197-328. Hic ſingulas deſcribit partes tabernaculi, & quæſtiones ubique occurrentes diligentiſſime excutit doctiſſimeque. Nobis brevitatis ſtudium vix unam permittit conſiderare quæſtionem, poſtremam ſcilicet, qua Spenceri hypotheſin expendit, ſtatuentis, Deum conſtrui tabernaculum juſſiſſe ad ſimilitudinem cerimoniarum Ægyptiarum, eaque re ſe genio Iſraelitarum accommodaſſe, quos alia ratione non potuerit avellere ab idololatria, cui in Ægypto degentes adſueverint. Initio itaque recitat rationes, quibus ductus Spencerus ita ſenſit. Deinde ſuum exponit de Spenceriana hypotheſi judicium, decemque recitat rationes, quæ ipſum ire vetent in ſententiam Spenceri. Ceterum ingenue agnoſcit, Spencerum eximia fuiſſe eruditione præditum, nec ſine nota dimittit illos Theologos, qui Spencerianam hypotheſin clamitant eſſe impiam & fundamenta labefactare religionis. p. 304. ſqq.

Diſſ. LXIII, de ſerpente æneo, Num. XXI. Longius jam provecti ſumus in recenſione hac noſtra. Quare paucis indicamus, Cl. Autorem in præſenti Diſſertatione & præclare oſtendere abuſum Theologiæ typicæ circa iſtum ſerpentem, & erudite diſquirere, an Moſis de ſerpente æneo narratio lateat in fabula de Æſculapio, quod quidem ipſi admodum probabile

videtur, eam ob cauſam uberius edifferenti, quæ in veterum monumentis leguntur de Æſculapio ejusque cultu.

Diſſ. LXX, de morte Moſis, Deut. XXXIV. Hiſtoriam de morte ac ſepultura Moſis non ab ipſo Moſe ſpiritu prophetico perſcriptam, ſed diu poſtea a propheta quodam fuiſſe additam, inde manifeſtum eſſe putat, quod hic legitur, *neminem cognitum habere ſepulcrum Moſis in hunc usque diem.* Sunt, qui non ab ipſo Deo, ſed a ſuis, volunt ſepultum fuiſſe Moſem. Horum rationes lectoribus ſuis proponit Cl. Autor, iisque tacite ſubſcribere videtur. Diſputat etiam de loco Epiſtolæ Judæ v. 9, ubi Michael archangelus ſcribitur cum Diabolo contendiſſe de Moſis corpore. Alii literali ſenſu id capiunt, alii allegorico. Utrorumque rationes Cl. Autor recitat, & ceteris omnibus præfert ſententiam Clerici annotationibus ad Hammondum inſertam, quam tamen paulisper emendat. Totum hoc opus concluditur Elogio Moſis, quo cum fata viri hujus mirabilia, tum eximiæ virtutes, deſcribuntur ſcitiſſime.

SPECIMEN THEORIÆ MAGNETICÆ, QUO ex certis principiis magneticis oſtenditur vera & univerſalis methodus inveniendi longitudinem & latitudinem, confectum a CHRISTOPH. EBERHARDO, Londini Octobr. 31 A. 1718, nunc vero juris publici factum a S. B. W.

Lipſiæ, apud Jo. Chriſt. Martini, 1720, 4.
Plag. 8 cum figuris.

Cum poſt multos variosque aliorum labores, ad inveniendam, ope magnetis, longitudinem & latitudinem geographicam, animum appuliſſet Cl. Autor, id ſibi imprimis agendum judicavit, ut obſervationes, ſi quas poſſet, colligeret, inter ſe compararet, ſagacique ratione pertentaret, quas diverſi celeberrimi homines, diverſis in locis, diverſisque temporibus, circa varias acus magneticæ directiones, feciſſent ac memoriæ prodidiſſent. Iſtiusmodi igitur auſpiciis uſus, hæc fere ſunt quæ de viſceribus terræ hariolatus eſt: *reperiri ibi maximas*

cavi-

cavitates; in iis præter alias res includi duos nucleos magneticos; horum alterum dici poſſe Europæo-Aſiaticum, alterum Americanum; polum arcticum nuclei Europæi decem gradibus a polo terræ arctico diſtare, & polum arcticum nuclei Americani octo gradibus; polum nuclei Aſiatici antarcticum non excedere quadrageſimum gradum latitudinis auſtralis, & polum nuclei Americani antarcticum uſque ad ſexageſimum gradum pertingere; propter illam polorum poſituram fieri non poſſe quin etiam æquatores, ceterique circuli paralleli & meridiani iſtorum nucleorum, cum inter ſeſe tum a circulis terræ cognominibus diſcrepent, proportione ſcitu perquam neceſſaria nec difficulter inveniendа; denique laudatos nucleos etiam motu differre & magnitudine, ita ut quantitas materiæ nuclei Europæo-Aſiatici, quem exempli cauſa proponit, *integrum ferme ſemidiametrum terræ adæquet, totaque ejusdem periodus 1232 annis motu circulari & regulari ab oriente in occidentem abſolvatur.* Diximus de Eberhardi noſtri placitis: quæ quibus rationum concluſionibus approbet, ſi quis ſcire velit, hoc ſpecimen ponemus: *Non eſſe unum nucleum magneticum, ſed duos, ſic,* inquit, *demonſtro: Si quis in mare pacificum veniat, habebit hoc tempore declinationem acus magneticæ verſus occidentem: ſi vero verſus ortum pergat, in Braſiliam, acus declinabit orientem verſus, & ſi ulterius in ortum pergat verſus Caput bonæ ſpei, videbit acum rurſus deflectere occidentem verſus, & ſi pergat per mare Indicum, deflectionem acus videbit eſſe orientalem: Sic etiam in America Septentrionali ſupra Californiam, acus orientem verſus deflectet, e regione vero Californiæ prope Virginiam, Occidentem verſus ſpectabit, & ſic in Europa erit rurſus occidentalis, in Aſia vero Orientalis: Hoc phænomenon ſatis clare oſtendit, aliud eſſe principium dirigens in America, & aliud in Europa & India Orientali: Hæc autem principia directiva nil aliud ſunt, quam duo poli duorum nucleorum magneticorum.* Hactenus Eberhardus noſter, qui deinceps ex hypotheſibus ſuis cum omnia acuum magneticarum phænomena, tum ipſum illud problema princeps de longitudine & latitudine geographica, explicare inſtituit. Acus autem, quibus utitur, tres ſunt: una declina-

clina-

clinatione virtutem exerit ſuam, duæ inclinatione: harum altera, more conſueto, meridiem & ſeptentrionem ſpectat, altera ortum & occaſum. *Hæ acus tres ſunt exploratores*, inquit, *qui ſi miſſi fuerint per orbem terrarum, reverſi totum prodent myſterium magneticum.* Inprimis autem acum noviſſimam magni facit, cujus ope meridianos, ſeu circulos longitudinis magneticos, quam expeditiſſime reperiri poſſe contendit. *Hæc acus ſub æquatore & tropicis*, inquit, *perfecte oſtendit 360 gradus magneticos, & conſequenter 360 gradus terreſtres: extra tropicos circulum non poteſt abſolvere, hinc modo ſemiquadrantem, modo plus minusve abſolvet, & ſic eundo & redeundo determinabit, quot milliaria navis perfecerit. Hæc acus*, inquit porro, *eſt certe donum Dei; nunquam enim hominibus in mentem venit, poſſe fieri acum, quæ orientem & occidentem ſpectet: grato itaque animo accipiamus ejus munus.* De cetero ut eo majorem hypotheſibus ſuis veriſimilitudinem Cl. Eberhardus conciliaret, duas paravit mappulas, in quibus eos terræ mariſque tractus geographice deſcripſit, per quos cum iter feciſſent diligentiſſimi quidam & peritiſſimi viri, obſervatas acuum magneticarum directiones monumentis conſignarunt: mappulas iſtas duabus ligneis, planis, & magnitudini mappularum reſpondentibus ciſtulis agglutinavit: ciſtulis incluſit magnetes: magnetes ita diſpoſuit, ut ad quemcunque mappularum locum acus magnetica applicaretur, in eo eandem plane haberet directionem, quæ eſſet ab iter facientibus obſervata. Præterea totius globi terreſtris parvum exemplar confecit, in quo itidem magnetes ea ratione incluſit ac diſpoſuit, ut acus magnetica tertii generis, cum ſuper globo illo minore ſive intra tropicos ſive extra promoveretur, easdem ſitus inclinati variationes ſubiret, quas ſubire, ſecundum placita Autoris, deberet, ſi conſimili ratione ſuper ipſo globo noſtro majore promoveretur. Exhibuit hæc ſua inſtrumenta Ruſſorum Imperatori, Principi inferioris Haſſiæ, plurimisque in Belgio, Anglia, & Germania, principibus perſonis ac viris eruditiſſimis, quibus omnibus quam cumulatiſſime ſatisfactum eſſe, arbitratur S. B. W. qui opuſculum Eberhardianum in linguam germanicam tranſtulit & præfatione

auctum

auctum juris publici fecit. Noviſſime quibusdam ex noſtro numero eadem ab Autore inſtrumenta demonſtrata ſunt, præſente Illuſtriſſimo & in rebus Mathematicis mirifice verſato Comite Wazdorffio, Jun. quem honoris cauſa nominamus: demonſtrata autem ea lege ſunt, ut interiores partes oculis uſurpare fas non eſſet, quod facile patiebamur. Unum reſtat, quod pauciſſimis tangendum cenſemus, Cl. Eberhardum iis dedicaſſe ſcriptum ſuum, *qui Senatus magnæ Britanniæ conſulto cenſores conſtituti ſunt eorum autorum, qui longitudini demonſtrandæ operam navant*. Iſti clariſſimi graviſſimique viri, *cum ducenta fere de re hacce ardua ſpecimina ipſis ad dijudicandum fuiſſent oblata, nullum tamen diſquiſitione ſua, immo ne quidem aſpectu dignum cenſuerunt, donec tandem Autor noſter inventum ipſis ſuum expoſuit, quod divina procul dubio providentia noſtro ævo reſervare voluit. Laudati Domini delegati Autorem ipſum de re propoſita audire, ejusque demonſtrationem perluſtrare dignati, ad unum omnes acquieverunt, & plane nihil, quod alicujus videri poſſit momenti, exceperunt*. Non noſtræ hæ ſunt voces ac ſententiæ, ſed ejus a quo editum eſſe opuſculum Eberhardianum ſignificavimus, qui etiam illud ſeſe *idoneis autoribus relatum accepiſſe* commemorat, *navem ex celebri portu aliquot abhinc jam menſibus profectam longumque iter ingreſſam eſſe, ad tentandam theoriam novam Cl. Eberhardi, noviſque experimentis confirmandam.*

PROJECT DE LA RESOLUTION DU FAMEUX Probleme touchant la Longitude ſur Mer.

i. e.


TENTAMEN RESOLUTIONIS PROBLEmatis decantati de Longitudine maris, Autore LEONARDO CHRISTOPH. STURMIO.


Norimbergæ, ap. Petr. Conrad. Monath, 1720, 4.
Pl. 6 Tab. æn. 1 maj.

NOtum eſt, ex quantitate itineris maritimi data inveniri poſſe longitudinem maris. Cum vero modus quo naucleri eandem æſtimant, ſit valde lubricus, jam olim *Vitruvius* machinam excogitavit, qua navi applicata accuratius determinetur itineris maritimi quantitas. Eandem aliquantiſper variatam ante aliquot annos denuo commendavit *Conradus Mel*, ſed ſucceſſu parum felici: quemadmodum apparet ex Actis A. 1709 p. 281 ſqq. Meliorem *Melliana* correctionem jam circa medium ſeculi decimi ſexti tentaverat *Jacobus Beſſonius* in Theatro Machinarum, quod etiam, ubi vix lucem aſpexerat, in linguam Germanicam translatum fuit. Hujus correctionis ignarus *Sturmius*, ſi fidem aſſeveranti habemus, in eandem proprio marte incidit, & a *Beſſonio* obſcurius indicatam clariſſime deſcripſit. Nobis ſuffecerit in gratiam eorum, qui de invento judicaturi ſunt, huc tranſcribere deſcriptionem, quam Sturmius, ante annum & quod excurrit vita defunctus, figuris æneis adjecit. Ita autem ille: Omnes fere naves ita conſtrui ſolent, ut trabes, infimum ſpatium definientes, in eodem circiter plano jaceant, ad quod usque naves decenter oneratæ mari immerguntur. Unde fit, ut præſens machina in omnibus ſine omni incommodo firmiſſime ac facillime conſtrui poſſit, & tubi, quorum axis in eodem plano (nautis Belgicis eorum idiomate dicto Laſtroock) quam fieri poteſt exacte conſtituendus eſt, commodiſſima fulcra nanciſcantur. Hi tubi aquam in

TAB. I. prora per *bb* admiſſam ad latera puppis per *CC* iterum dimittunt. Mediante igitur aqua marina, navigii progreſſui reſiſtente, per alterutrum tubum *b* rota pinnis inſtructa *C* 𝕮 circumagitur, quarum altera tantum in ſubſidium addita. Utraque rota hæc *C* & 𝕮 ut tanto minori frictione motui reſiſtat, axiculis ſuis rotularum X paribus incumbit, quæ tendiculis E inſerta ſunt, hæ vero beneficio cochlearum *F* (Tab. 2) placide pro lubitu attollendæ, una ſecum dicta rotularum paria iisque incumbentem rotam pinnatam elevant, prout aquæ tubos magis minusve implent, ut huic eadem profunditate ſemper immergantur. Rota pinnata ſecum una circumducit tympanum *G*, quod unico denticulo extra

ſuam


C
U
U
D
C


R
F

ſuam rotunditatem extanti inſtructum eſt, eoque mediante rotam dentatam H centum denticulis diſtributam poſt quamvis ſui converſionem integram unico ejus denticulorum intervallo protrudit. Hæc itaque per indicem *I* orbe in 100 partes æquales diviſo rotæ pinnatæ revolutiones numerat, abſolutoque orbe integro ope ſimilis tympani *K* axi ſuo affixi aliam rotam *L* centum itidem denticulorum, hæc denique alio ſimili tympano *N* tertiam *O* eodem plane modo lente provehit. Hoc modo altera rota ſingulos centum converſionum rotæ pinnatæ complexus ab uno ad centum, tertia ſingulas earundem converſionum myriades ab uno ad centum usque dinumerat. Rota pinnata ea magnitudine fieri poteſt, ut 1800 converſiones fiant, dum navis unicum milliare germanicum mediocre abſolvit. Cavendum autem, quia rotæ dentatæ ſibi mutuo non inſeruntur, ne nuda navis concuſſione in motum cieri poſſint, ſed immotæ ſemper conſiſtant, nec niſi a ſolis tympanorum denticulis dimoveri ſe patiantur, quod vel ſola axiculorum ſaberrime elaboratorum accuratiſſima in capſulas ſuas inſertione, aut, ſi tantæ dexteritatis artifex deſit, ope elateris rotæ denticulos detinentis & poſtquam a denticulo tympani removente iterum dimiſſum eſt, confeſtim in ſequens denticulorum intervallum relabentis, obtinetur. Hactenus Autor. Adjicimus majoris perſpicuitatis gratia brevem figurarum explicationem. Sunt itaque bb tubi anteriores, ubi aqua ingreditur, cc poſteriores, per quos iterum dimittitur, *C* ℭ rota pinnata, *D* canalis aquæ marinæ, *E* fulcrum harum rotarum, *F* cochlea ad elevandum & deprimendum rotas easdem, *G* tympanam unico denticulo inſtructum; *H* rota centum denticulis diſtributa, *I* index circuitus ſingulos rotæ pinnatæ numerans, *K* tympanum alterum, *L* rota altera centum denticulis inſtructa, *M* index ſingulos centum converſionum rotæ *C* complexus numerans; *N* tympanum tertium, *O* rota tertia, *P* index revolutionum rotæ O myriades numerans; *Q* cochlea ad thecam, cui rotæ dentatæ includuntur, elevandam aut deprimendam, prout uſus tulerit; *S* cochlea ad aſſerem U elevandum vel deprimendum, *T* & *U* aſſeres, quo-

TAB. II. (beside "tervallo protrudit…")

TAB. I. (beside "rum explicationem…")

TAB. II. (beside "dem, G tympanam…")

TAB. III. rum iſto ingreſſus aquæ marinæ, hoc egreſſus impediri poteſt. Totam autem machinam in ſitu ſuo verticali Tab. III exhibet. Obtulerat Sturmius præmium aucupaturus Magnæ Britanniæ Regi, cum ſolium primum conſcenderet, ſed ubi ſpe exciderat, luci publicæ exponere decrevit inventum, cum fata duriora expertus, poſtquam forte ſua non contentus ex Academia in aulam diſceſſerat, & ſumma inopia laborans, ob inſignem animi mœrorem & ingenii vires & memoriam deficere ſentiret, prout in præfatione ipſoque opere nimis ingenue fatetur.


Vernünfftige Gedancken von der Menſchen Thun und Laſſen etc.

h. e.

MEDITATIONES MORALES DE ACTIONIBUS humanis, ad promovendam felicitatem generis humani editæ a CHRISTIANO WOLFIO, P. R. Bor. Conſil. aulico, Math. & Natur. P. P. O. Societat. Reg. Brit. & Bor. Sodali.

Halæ Magdeburgicæ, ſumtibus Rengerianis, 1720, 8. Alph. 2.

CEleb. Autor opus dividit in quatuor partes, quarum prima philoſophiam practicam univerſalem, ſecunda officia hominis erga ſe ipſum, tertia officia erga Deum, & quarta officia erga alios complectitur. Jungit theoriæ praxin, ita ut præter ſcientiam morum una jus naturæ ethicum, actionum humanarum in ſtatu naturali normam, explanet. Utramque ex principiis metaphyſicis, quæ conſtanter citat, continuo nexu deducit, utriusque rationes ſufficientes a priori reddens. Utitur enim eadem methodo, qua in Metaphyſicis uſum eſſe in Actis anni ſuperioris p. 371 diximus. *Philoſophiæ practicæ univerſalis* ideam dedimus in Actis A. 1719 p. 124, cum ejus rationes Prælectionum recenſeremus. Continentur in eadem fundamenta omnis theoriæ, ac praxeos moralis. Theoriæ fundamenta ſternuntur cap. 1 & 2; praxeos vero c. 3 & 4. Capite nimirum primo


S

TA]

Digitized by Google

primo moralitas actionum liberarum, obligationis, legis, pœnæ, præmii, beatitudinis ſeu ſummi boni, felicitatis, virtutis, vitii, infirmitatis humanæ notiones explicantur, & tum principium juris naturalis, tum generalia de ſummo bono, felicitate ac virtute, eorundemque oppoſitis principia demonſtrantur. Actiones liberas varietate ſtatus interni pariter atque externi diſcernit, qui eas neceſſario, partim etiam contingenter ſubſequitur, atque inde ipſarum turpitudinem ac honeſtatem naturalem æſtimat, quam ante decretum legiſlatoris habent, & quæ legislatorem ſapientem ad ferendum leges determinat. Cum notisſimum ſit, voluntatem non appetere niſi bonum, nec averſari niſi malum; ex eodem fundamento demonſtrat, cur fieri non posſit, ut actiones per ſe honeſtas averſetur, qui eas diſtincte cognoſcit, aut in caſu ſimili per ſe turpes appetat. Obligationem definit per connexionem motivi cum actione, atque differentiam legum a diverſitate obligationum arcesſit. Nempe lex naturalis eſt, quatenus motivum cum actione connectitur ab ipſa rerum natura: lex divina, quatenus motivum naturali contradiſtinctum cum actione connectitur a DEO: lex denique humana, quatenus motivum cum eadem connectitur ab hominibus. Facile apparet, actionum per ſe honeſtarum vel turpium motiva eſſe, quæ eas in ſtatu hominum ſive interno, ſive externo conſequuntur bona, vel mala. Judicantur autem bona, quæ ſtatum perficiunt, hoc eſt, conſenſum in eodem ſeu harmoniam conſervant: eſt enim perfectio conſenſus in varietate. Mala e contrario reputantur, quæ ſtatum imperfectiorem reddunt, hoc eſt, diſſenſum in eodem pariunt. Atque hinc intelligitur regula actionum normandarum generalis, quam in Actis A. 1719 p. 124 commemoravimus, quod actiones noſtræ ſint dirigendæ ad ſummam ſtatus cum noſtri, tum aliorum perfectionem. Lex Noſtro eſt regula, juxta quam actiones noſtras dirigere obligamur. Ut vero appareat, quomodo una eademque regula & lex naturalis, & divina, & humana eſſe poſſit, exemplo id edoceri conſultum ducimus. E. gr. Ebrietatem eſſe vitandam, & lex naturalis eſt, & divina, & humana. Adeſt obligatio naturalis, quatenus eam plurima conſequun-

tur mala, ſive ſtatum mentis, ſive corporis, ſive denique externum ſpectes. Adeſt divina, quatenus Deus eum fecit ordinem naturæ, ut fortunæ varias ſubinde adverſitates experiantur ebrioſi, & quatenus in ſacro codice ventura poſt hanc vitam ipſis comminatur mala. Adeſt denique civilis, quatenus ebrietati mulcta decernitur a magiſtratu civili. Mala cum actionibus connexa dicuntur pœnæ: unde vi principiorum theologiæ naturalis oſtenditur, quomodo neceſſariæ actionum humanarum conſequentiæ, tum etiam fortuna adverſa, in pœnarum numero locum habeant. Summum bonum conſtituitur in progreſſu non impedito ad majores indies perfectiones & felicitas definitur per ſtatum voluptatis conſtantis; voluptatis prædominium inſigne gaudium eſt, ut nuper in recenſione Metaphyſicæ jam monuimus. Habitus actiones legi naturali conformes edendi virtus eſt: impotentia naturalis actiones legi naturali conformandas infirmitatis humanæ fert nomen. Ad impotentiam autem naturalem refertur, quicquid pro ratione circumſtantiarum ſtatus noſtri, quem natura nobis conceſſit, vires noſtras excedit. C. 2 doctrina de conſcientia proponitur. Præter receptas conſcientiæ in rectam & erroneam, certam, probabilem ac dubiam, antecedentem & conſequentem, theoreticam & practicam, theoretice practicam & practice practicam diſtinctiones, quas perſpicue explicat, conſcientiam ulterius diſtinguit in completam & incompletam, itemque in liberam & ſervam. Incompleta locum habet, ſi non ſingulæ circumſtantiæ ſingulares expenduntur: completa vero in loco oppoſito. Serva eſt, quæ ſenſibus, imaginatione atque affectibus impeditur, libera vero in ſtatu oppoſito. Diſtinctionum uſus apparet inter alia in decidenda quæſtione, utrum homo contra conſcientiam agere poſſit, nec ne. Oſtenditur, fieri non poſſe, ut contra conſcientiam practice practicam agamus, ſi fuerit completa & libera, interdum etiam ſi incompleta ac libera fuerit. Conſcientiæ ortum ad rationem refert Autor atque adeo brutis eandem denegat, utpote ratione carentibus. Inprimis etiam docet, quomodo lis dirimatur, quinam conſcientiam habeat rectam. Explicat præterea varias loquendi formulas, quæ de conſcientia paſſim occurrunt,

runt, v. gr. quid ſignificetur, quando conſcientia dicitur dormire, evigilare, ſopiri, mordere, & ita porro, & hac occaſione varia ad praxin tendentia tradit. Notatu quoque dignum eſt, quod peculiaris obligatio a conſcientia derivetur, cujus intuitu lex naturæ *lex* quoque *conſcientiæ* recte appelletur. C. 3 exponitur modus ad ſummum bonum perveniendi. Quænam hic problemata ſolvantur, in Actis A. 1719 p. 125 jam commemoravimus. Traduntur autem hic praxeos principia generalia, per quæ in caſibus ſpecialibus redditur ratio. Docet finem ultimum actionum humanarum eſſe perfectionem ſtatus noſtri cum interni, tum externi, atque adeo nihil eſſe committendum, nec omittendum ſine fine, fines vero particulares huic ultimo inſtar mediorum ſubordinari debere, nimirum ut propior continuo ſit medium remotioris. Atque hinc in ſpecie enaſcitur notio *perfectionis vitæ humanæ*. Nimirum cum perfectio in genere dicat conſenſum in varietate, imperfectio diſſenſum; perfectio vitæ humanæ in actionum internarum & externarum, hoc eſt, perceptionum ac appetituum mentis & motuum corporis conſenſu; imperfectio in horum diſſenſu conſiſtit. Unde vero conſenſus atque diſſenſus æſtimetur, hic diſtinctius exponere non licet. Monſtrat Autor, quanta ingenii ac judicii vis, quotnam aliæ animi dotes huc requirantur. Ubi de motivis agitur, inter alia docetur, quid ſit cognitio viva, quid mortua. Viva nempe cognitio eſt, quæ fit motivum voluntatis, atque adeo vel convictione, vel perſuaſione minimum nititur: mortua e contrario eſt, quæ motivi vicem ſubire nequit, atque adeo convictione, vel perſuaſione, minimum plenaria, caret. Probatur hinc utilitas theoriæ morum demonſtrativæ, quæ Autoris in præſente libro ſcopus eſt. Commendatur exemplorum uſus ad cognitionem vivam acquirendam, cumque oſtendatur, ad virtutis exercitium vitiorumque fugam apprime neceſſariam eſſe, ut propoſiti ſimus memores, data agendi occaſione, quodnam in ceremoniis momentum ſitum ſit, docetur. Definiuntur ceremoniæ per ſigna eorum, quorum in propoſito exequendo memores eſſe debemus: ex qua definitione tum methodus diſcernendi ceremonias rationales ab inutilibus atque abſurdis, tum methodus illas inveniendi deducitur.

tur. Impedimenta vitæ honeſtæ a ſenſibus, imaginatione atque affectibus Autor derivat, atque inprimis operam dari debere monet, ut ſenſus, imaginatio atque affectus cum ratione ad eundem finem conſpirent, niſi a veritatis tramite deflectere velimus. Ad exercitium, quo dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus obtinetur, exempla & ceremoniæ commendantur. C. 4 regulæ generales conjectandi hominum mores occurrunt. Monet Autor, vim methodi a nonnullis, qui eam ex lectionibus MSC. publicare ac exemplis illuſtrare conati fuerunt, non ſatis fuiſſe perceptam. Nititur autem partim paſſionibus, partim actionibus obſervatis, ex quibus principia deducantur, unde unusquisque bonum ac malum diſcernere ſolet. Nimirum cum affectus ex confuſa boni malique repræſentatione oriantur; objectum affectus loquitur, quomodo idem repræſentetur, ac inde colligitur, quidnam bonum, quid malum judicetur. Et eodem modo ſe res habet cum actionibus. In utroque caſu ad enthymema invenitur propoſitio major. Concluſio hæc eſt: Cajus hoc objectum vel hanc actionem judicat bonam vel malam. Minor vero: objectum vel actio eſt iſtiusmodi. Additur major: quod eſt iſtiusmodi, Cajus judicat bonum vel malum. Enimvero cum non modo affectus, verum etiam inprimis actiones ſimulare liceat, de ſimulationibus quoque agitur, & quomodo detegantur disquiritur. Phyſiognomiam firmo niti fundamento, ex harmonia, quæ inter mentem ac corpus intercedit, Autor probat: in dubio tamen relinquit regulas ab Autoribus traditas, cum non conſtet, quibusnam obſervationibus ſuperſtructæ fuerint. Monet autem, ex phyſiognomia tantum judicium fieri poſſe de inclinationibus naturalibus, nequaquam autem de actionibus prævia educatione, inſtitutione, conſuetudine cum aliis, ex ratione profluentibus. Agit etiam hac occaſione tam de vultu, quam de geſtibus, ac inprimis diſcrimen inter liberos atque coactos intelligibili modo explicat, obſervans ſimul, eſſe aliquam ſcientiam, ſed adhuc in deſideratis, quæ harmoniam vultus ac geſtuum cum inclinationibus naturalibus & quomodo coacti iis attemperentur, explicet. Quoniam bruta, ea præſertim, quæ in libertate naturali vivunt, inclinationes naturales

parum

parum mutant, iſtam phyſiognomiæ partem meliorem judicat, quæ ſimilitudine corporis humani cum brutis nititur, niſi ultra harmoniam vultus ac geſtuum cum inclinationibus naturalibus progrediatur. Atque hinc etiam aliquid tribuit lineamentis faciei.

Part. 2 c. 1 de officiis erga ſe ipſum in genere diſſerit, ubi inter alia inculcat, ea non eſſe disjungenda, niſi neceſſitas obſtet: quo in caſu docet, quomodo vi principiorum generalium Metaphyſicæ, quæ alibi ſtabilivit, exceptio fieri debeat. Commendat etiam cognitionem ſui aliorumque ad ſtudium in officiis erga ſe atque alios proficiendi, & diſcrimen inter bona animi, corporis ac fortunæ iisdemque oppoſita mala explicat. C. 2 officia circa intellectum prolixe expendit & theoriis praxes jungit. Occurrunt hic primum generalia de cognitione ac ignorantia, ubi & oſtenditur, quomodo ad acumen & profunditatem perveniatur, ſive cognitionem a priori, ſive alteram, quæ fit a poſteriori, ſpectes. Succedunt habitus intellectus practici, intelligentia, ars demonſtrandi, ſcientia, ars inveniendi, ars obſervandi, ars experimentandi, ingenium, ſapientia, prudentia, & ars in genere. In ſingulis diſſerit Autor de mediis atque ſignis; & imprimis ſcientiam artis ab ipſa arte diſtinguit, illamque ad Philoſophiam refert tanquam partem, etiamſi artes ipſæ nonniſi manuariæ fuerint. C. 3 officia circa voluntatem enucleat. Primum hic a priori demonſtrat, voluntatem non poſſe perfici niſi mediante intellectu, cum motiva, unde pendet, in cognitione viva boni malique conſiſtant, & ad eam fabulas pariter atque exempla commendat. Cetera media, quibus in flectendis animis locus eſſe ſolet, qualia e. gr. ſunt pœnæ ac caſtigationes, non voluntatem perficere, ſed actus tantummodo externos ſufflaminare. Diſtinguit nimirum etiam reſpectu actionum bonarum ſtatum libertatis a ſtatu ſervitutis: illi convenire perſeverantiam in bono, huic non item. Docet deinde, quomodo bona vera & apparentia diſcernantur, cur conſuetudinum adeo difficilis ſit mutatio, quænam ſint voluntatis perficiendæ media, quomodo affectus regantur, quomodo ſedentur, quomodo denique ſub imperium

rationis ſubjugentur, ut fiant actionum bonarum committendarum & malarum omittendarum motiva. Tandem oſtendit, quomodo ex perfectione voluntatis virtus enaſcatur & hinc porro felicitas conſequatur. C. 4 officia circa corpus expendit. Inquirit ſub initium in obligationem vitæ conſervandæ atque varios caſus autochiriæ diſtinguens per motiva, in nullo eam licitam pronunciat. Ad corporis deinde perfectiones digreditur, in quarum numero ſanitatem, integritatem membrorum & corporis ad varios motus poſitusque ac geſtus aptitudinem eſſe contendit. Cumque corpus cibo ac potu conſervetur, quænam in illo capiendo, in hoc hauriendo obſervari debeant, docet. Atque ita ad temperantiam eique oppoſita vitia delabitur. Primam hic habendam eſſe rationem ſanitatis (quem in finem regulas quasdam generales commendat,) alteram appetitus, tertiam ſtatus. Atque his iisdem principiis utitur ad ſtabiliendas regulas circa veſtitum & domicilium. Quod regulas attinet, quæ ad decorum referri ſolent, eas cum in hac materia, tum etiam in ceteris ex conſenſu vultus, ſermonis ac geſtuum cum interno ſtatu mentis derivat, e. gr. quoniam in capiendo cibo ac potu temperantes eſſe debemus, ultima vultus ac geſtuum ratio in temperantiam reſolvi debet, & ita porro. Hæc quidem conformia ſunt non modo notioni perfectionis vitæ humanæ, verum etiam principiis generalibus de rerum perfectionibus. Unde apparet, non novis opus eſſe principiis ad decorum ſtabiliendum, ſed ex ipſis regulis honeſti atque juſti regulas decori tanquam rivulos ex fontibus profluere. Progreditur Autor c. 5 ad ſtatum externum, quo refert opes, honores & fortunam tam proſperam, quam adverſam. Invenies itaque hoc loco, quæ de opibus parandis, conſervandis riteque adminiſtrandis, de divitiis ac paupertate, de labore, & otio, de avaritia, prodigalitate, parſimonia, ſorditie, animo ſorte ſua contento, oſcitatione, diligentia, pigritia, honore, laude, vituperio, modeſtia, ambitione, humilitate, contumelia, calumnia, animo abjecto, patientia, impatientia, fortitudine, timiditate aliisque huc ſpectantibus virtutibus ac vitiis tenenda ſunt.

Pars

Pars tertia officiis erga Deum deſtinatur, de quibus in genere Autor tractat c. 1. Sunt autem iſta officia actiones, quorum motiva ſunt perfectiones divinæ. Unde ante omnia agnitionem Dei inculcat & media naturalia, quæ ad eam conducunt, Philoſophus deſcribit. Pium ſenſu eccleſiaſtico vocat, qui omnes ſuas actiones dirigit ad gloriam Dei: id quod fieri docet, quando earum motiva præter ea, quæ in ſtatus noſtri mutatione inde conſequuntur, fiunt attributa divina & quæcunque aliæ veritates theologiæ naturalis. Quodſi enim inſuper accedant motiva ex theologia revelata ab opere redemtionis deſumta, virtus inde naſcitur chriſtiana, cujus adeo a philoſophica differentia innoteſcit. Ex his fundamentis demonſtrat, pietatem virtutes in univerſum omnes ad gradum ſublimiorem evehere & eorum exercitium, cum augeat motiva, facilitare. Oſtendit etiam præſtantiam virtutis Deiſtæ præ virtute Athei, virtutis chriſtianæ præ virtute philoſophica. C. 2 in ſpecie de amore Dei tractat, quæ in voluptate ex felicitate Numinis per ipſius attributa innoteſcente percepta conſiſtit. Oſtendit autem, gradum amoris non tam a magnitudine, aut, ſi mavis, multitudine cognitionis, quam a certitudine ejusdem pendere: quo major aſſenſus, eo flagrantior amor. Ad quæſtionem, an Deus ſit amandus, quia nobis benefacit? reſpondet; amorem Numinis ex agnitione beneficiorum neceſſario conſequi, nec tamen ideo eum dici poſſe intereſſatum, cum beneficia ſint amoris motiva, non finis. Amatur Deus, quia benefacit, non ut benefaciat: quod poſterius tantum locum habet intuitu hominum, ubi ſimulare datur. Ex amore Dei c. 3 deducit timorem Dei filialem ſeu animi ſollicitudinem nil quicquam admittendi voluntati ipſius adverſum, itemque reverentiam ac venerationem Numinis. C. 4 fiduciam erga Deum delineat, quæ in lætitia de bono a Deo obtinendo conſiſtit, & ex agnitione omniſcientiæ, ſapientiæ, omnipotentiæ ac bonitatis divinæ reſultat: ubi dubiis ſatisfacit, quæ de bonitate divina moveri ſolent. Huc etiam refert animum regimine divino contentum, qui a conſideratione optimi nexus rerum in univerſo pendet. Atque hic præſtantiam Chriſtianiſmi præ religione naturali monſtrat. C. 5 de in-

vocatione Numinis & gratiarum actione more ſuo differit. Invocationem ad ſtatum mentis internum refert, cui exterius reſpondet oratio. Definit adeo iſtam per deſiderium beneficiorum divinorum, ad quæ vi attributorum divinorum adſpiramus: unde liquet, invocationem Numinis oriri, ubi quis expendit in beneficiorum divinorum numero haberi omnia bona animi, corporis ac fortunæ, immo ipſas etiam adverſitates atque pœnas, quatenus vel medium boni obtinendi, vel remedium adverſus malum avertendum exiſtunt. Orationem vero definit per colloquium cum Deo de ſtatu mentis noſtræ ob beneficia divina vel accepta, vel obtinenda. Non ſufficere invocationem, ſed ei jungendam eſſe orationem, prolixe adſtruit. Primum enim a priori ex natura mentis & corporis atque harmonia inter utramque ſubſtantiam intercedente demonſtrat, fieri non poſſe, ut a ſincera Numinis invocatione ſejungatur oratio. Deinde oſtendit, multos per orationem obtineri fructus, quos per invocationem ſolam conſequi non licet. Etenim orans prodeſt aliis ſuo exemplo, quo ad ſimilem Numinis invocationem incitantur ac inflammantur; auget oratio devotionem, hoc eſt, attentionem ad objecta precum; incendit ardorem in precando, hoc eſt, affectuum cum precibus jungendorum vehementiam; largitur uſum affectuum ſalutarem in committendo bono & omittendo malo. Singula Philoſophus ex natura mentis ac corporis phyſice declarat: neque enim alia in Philoſophia locum habent, niſi quæ per vires naturales mentis ac corporis fieri poſſunt. Precum formulis hunc uſum concedit, ut in memoriam revocent, quæ ad invocationem Numinis neceſſaria ſunt, ut devotionem conſervent & quandoque augeant, ut etiam ſubinde ardorem in precando inflamment. Atque hinc de formulis precum rite concinnandis & utendis regulas derivat. Precum utilitates, quæ phyſice conſequuntur, ſunt pietas, animi tranquillitas, felicitas, confirmatio in bono: quæ ſingula denuo ex ipſis rerum notionibus a priori demonſtrantur. C. 6 denique de cultu Dei externo agit Autor, qui in actibus externis Dei gratia patratis conſiſtit. Refertur huc oratio, inſtitutio de rebus

bus divinis & lectio eum in finem inſtituta, cum ceremoniis, conventibus ſacris aliisque huc ſpectantibus.

Parti tandem quartæ ſive ultimæ officia erga alios cedunt. Autor c. 1 denuo exponit, quæ ad officia hæc in genere ſpectant, ubi imprimis amoris mutui indolem delineat. Nimirum cum in actionibus omnium hominum ſimul ſumtis ſpectari debeat perfectio totius generis humani, ideo inculcat, 1 nos non obligari ad ſuccurrendum alteri in iis caſibus, ubi ipſemet ſibi ſufficit; 2 obligari tamen, quandocunque in noſtra poteſtate poſitum deprehendimus, quod in ſua non habet. Has regulas voluntati quoque divinæ conformes evincit, exemplis illuſtrat & quæ ad uſum facilitandum conferunt, ſuperaddit. Inter motiva amoris mutui potiſſimum refert, quod, eo vigente, felicitas generis humani vigeat floreatque. Cum in amore amicitia, in odio inimicitia fundetur, de utraque generalia tradit. Agit etiam de modeſtia, de ſuperbia, de manſuetudine, de contemtu, de læſionibus ac damno alteri dato aliisque materiis agnatis. C. 2 de officiis erga amicos & inimicos ex profeſſo tractat, ubi etiam de grato ac ingrato animo, de manſuetudine, de vindicta, de inculpata tutela, de magnanimitate, de crudelitate, de pace ac bello aliisque huc ſpectantibus tam theoretice, quam practice agit. Progreditur c. 3 ad dominia rerum, quorum neceſſitatem poſtquam ſufficienter adſtruxit, & indolem diſtincte explicavit, ea tradit, quæ furta, prædas & fraudes concernunt. Explicat deinde modos acquirendi & transferendi rerum dominia una cum legitimo eorum uſu. Ubi de pecunia, de mercede, de permutatione, emtione & venditione, locatione & conductione, commodato, depoſito, mutuo, pignore, hypotheca, fidejuſſionibus, donationibus, eleemoſyna, liberalitate, beneficentia, miſericordia, & ſpectantibus huc aliis argumentis, tum quæ theoriam, tum quæ praxin attinent, exponuntur. Tandem c. 4 præcipit Autor, quæ ad officia circa ſermonem & pacta atque contractus referuntur. Invenias hic quæ de mendacio, falſiloquio, veracitate, taciturnitate, conteſtationibus, juramentis, promiſſionibus, pactis & contractibus quibuscunque in genere, at-

que de juſtitia tenenda ſunt. Obſtat prolixitas, quo minus ſpeciminis loco quædam ſpecialiora in medium afferamus, præſertim cum non commode recenſeantur, quæ concinna brevitate inter ſe firmiter connectuntur.

REFLEXIONS CRITIQUES SUR LA POESIE & ſur la Peinture.

hoc eſt.

ANIMADVERSIONES CRITICÆ DE ARTE Poetica & Pictoria.

Tomi II.

Pariſiis, apud Joan. Mariette, 1719, 12 maj.
Alph.2 pl. 6.

AUtor ſuas de affinibus artibus, Poeſi & Pictura, meditationes orbi propoſiturus, altiſſime repetit earum fundamenta, & initio operis per aliquot capita philoſophatur de mentis humanæ commotionibus. Obſervat primo, tædioſiſſimum eſſe homini, nihil agere, eumque adeo geſtire ſemper occupatum eſſe, ſive externa ſit illa occupatio, ſive interna, cum ſcilicet libros legens vel ſecum aliquid meditans ſuum quoddam agit negotium. Hinc fieri cenſet, ut vulgo cupidiſſime videamus ſpectacula, quæ plurimum quaſi negotii faceſſunt mentibus noſtris, easque perpetuo in motu conſervant: qualia ſunt ſpectacula ſuppliciorum capitalium, ludorum gladiatorum, pugnarum cum beſtiis, torneamentorum. Dum igitur poeſis pariter & pictura imitatur ea objecta, quæ reales in nobis affectus excitare ſolent, utraque artificiales affectus in nobis ciet, vehementerque nos afficit. Et hæc ipſa cauſa eſt, ut Autor quidem noſter *cap. V* arbitratur, cur Plato ejectos rep. ſua velit Poetas, quia nimirum putabat, affectus ſenſuales carminibus nimium agitari, cum imperare debeat tranquilla ratio & omnes hominis
Cap. VII. actiones dirigere. Cum autem tragœdiæ circa ea verſentur, quæ acriores in mentibus noſtris excitant affectus, plusque motus in iis efficiunt, hinc cauſam eſſe ait manifeſtam, cur tragœdiis
IX. multo magis afficiantur ſpectatores, quam comœdiis. Id ipſum in cauſa fuiſſe docet, ut Poetæ in carminibus dogmaticis inſpergen-

gendas ducerent imagines rerum nos majorem in modum permoventium: quem in modum Virgilius in Georgicis expoſuit cædem Julii Cæſaris, hiſtoriam de Orpheo & Eurydice, felicem ſtatum vitæ ruſticæ, & ſimilia. Cum autem certum ſit, & picturam & poeſin magnam habere vim commovendi animos, Autor inſtituta comparatione obſervat, poetam multa poſſe repræſentare, quæ pictor non poteſt; & vice verſa, pictorem quædam deſcribere poſſe, quæ non poteſt poeta. Poeta enim deſcribere poteſt verba loquentis, & affectum ejus internum, & pluribus poteſt uti repræſentationibus ad permovendos lectores. Hæc quidem non ſunt in poteſtate pictoris, ſed contra pictor repræſentat faciem cujusque perſonæ, ſexum, ætatem, ſtaturam, temperamentum, veſtitum: quæ oculis lectoris ſubjicere nullo modo poteſt poeta. Jam ad ſpecialia deſcendit argumenta, ac, dum de tragœdiis diſputat, easque exhibere debere cenſet perſonas amabiles ac venerabiles, ſed easdem ad ultimum infelices, largitur, etiam introduci poſſe perſonas ſceleratas, ſed eo duntaxat fine, ut tanquam perſonæ ſecundariæ auxilio veniant excitando eo magis affectui horroris & commiſerationis a primaria perſona movendo. Ceterum etſi non negat, amatorias quoque hiſtorias exhiberi poſſe in tragœdiis, quia affectus amoris omnium hominum eſt communis, tamen mallet, Gallos tragœdiarum ſcriptores parcius eas inſeruiſſe: qua occaſione etiam recenſet & expendit cenſuram, quam ea de cauſa duo Angli in poetas Gallos evulgarunt. Hinc ad comœdias progreſſus, judicat, antiquiores hiſtorias eſſe debere objectum tragœdiæ, facta præſentis ævi objectum comœdiæ. Qua in re Mollerium, qui ſuæ nationis ſuique ævi facta mores que in ſcenam produxit, prefert Plauto & Terentio, Græcas hiſtorias repræſentantibus auditorio Romano. Interjecto deinde ſermone de bucolicis & epicis poematibus, incidit in vulgarem Poetarum querelam, omnem artis poeticæ materiam eſſe ſibi præreptam a majoribus. Oſtendit igitur, ſatis multa ſupereſſe effingenda a Poetis comicis tragicisque, nec dum omnia exhauſta eſſe ab antecedentibus. Inſtituta diſputatione de eo, quod in poeſi veroſimile eſt, & diſquirens, an tragici debeant veritatem ſequi geographicam, hiſtoricam & chronologicam, affirmantium partibus accedit, nec dubitat Cornelium & Racinum, celebres Galliæ Poetas, reprehendere, quod hic ſæpius peccarint. Non ita multo poſt exhibet caput longum idque lectu digniſſimum, quo cauſas exponit, cur Poetæ, qui Latine ſcripſerunt, plus conſecuti ſint, quam qui ſcripſere Gallica lingua. Oſtendit enim eleganter, Latino ſermone pleraque omnia exprimi poſſe melius, accuratius & vividius. Docte quoque philoſophatur de rhytmicis verſibus, quos vel ideo eſſe incommodos judicat, quod rhytmi cauſa ſæpius & ingenioſæ cogitationes verſu excludantur, & e contrario leviores meditationes verſui inſeri debeant. Obſervat præterea,

C. XIII. XIV. XVII. XXIII, XIX. XXI. XXVII. XXIX. XXXV. XXXVII. XXXVI.

ea, omnes nationes, apud quas in uſu ſint verſus rhytmici, eſſe barbaras,
vel ſaltim eo ævo barbaras fuiſſe & illiteratas, cum artem poeticam exer-
cere cœperint. Addit, Latinos quoque verſus Leoninos introductos
fuiſſe ſeculo octavo, quo jam regnabat barbaries; eosdemque ſtatim
C. XXXVIII. diſparuiſſe, quamprimum lux literarum ſeculo XV oriretur. Redit
XXXXIX. hinc ad picturam, &, cum Poetæ veteres, Græci pariter ac Romani, in
arte ſua antecellant recentioris ævi Poetis, e diverſo animadvertit, pi-
ctores noſtri ævi haud quaquam cedere priſcis artificibus, in ejusque
XL. rei cauſas ingenioſe inquirit. Concedit etiam picturæ iſtam præro-
gativam, quod magis afficiat mentes hominum, eo quod, ut Horatius
ait, *ſegnius irritant animos demiſſa per aurem, quam quæ ſunt oculis ſubje-*
XLI. *cta fidelibus*, item alias ob cauſas, quas curioſe perſequitur. Diſſerit et-
iam de recitatione, qua Poetæ olim uſi gratioſiora conabantur redde-
re poemata ſua, adjicientes iis vivam vocem, geſtus, & doctam pronuncia-
tionem, quæ ſingula valent affectum commovere acrius. Hac occaſi-
XLII. one progreditur ad perdoctam diſſertationem de veterum modulatio-
ne ſcenica, ſive de comicorum & tragicorum pronunciatione cantui ſi-
mili: injectaque mentione inſtrumentorum muſicorum in theatro ad-
hiberi ſolitorum, etiam de ſaltatione & geſticulatione theatrica ſatis
copioſe agit, uberius ſimul deſcribens, quicquid ipſi in antiquis monu-
XLIII. mentis occurrit de pantominis. Omittimus caput ſingulare de perſo-
nis ſive larvis (*maſques*) comicis, ac paucis memoramus, tria capita ab
XLVI. Autore deſtinata eſſe Muſicæ, quæ ad majorem poematibus concilian-
XLVII. dam gratiam adhiberi ſolet: qua occaſione non ſolum hiſtoria & fata
XLVIII. Muſices deſcribuntur, ſed & illorum error innuitur, qui Italos habent
pro inſtauratoribus artis Muſicæ ab eo tempore, quo inſtaurata fuere
L. doctrinarum ſtudia. Tandem totum hunc priorem Tomum doctiſſimus
Autor concludit diſſertatione de arte ſculptoria.

Secundum Tomum brevius perſtringemus. Ejus prioribus capitibus
agit Autor de ingenio cum generatim, tum ſpeciatim de ingenio poetico
& pictorio. Oſtendit vim ingenii, eaque occaſione diſſerit de furore &
Cap. XII. enthuſiaſmo poetico. Hinc inquirit cauſas morales progreſſus artium, &
XIII. cur unum ſeculum habeat altero majorem artificum proventum. Deinde
diſputat de progreſſus artium & diſciplinarum cauſis phyſicis, & de di-
verſitate ingeniorum pro diverſitate climatis: quod argumentum latius
XIV-XIX. perſequitur, oſtendens, quantam vim aer habeat in corpus humanum,
XXI-XXX. & quomodo hinc varient ingenia tot nationum. Tandem de juſta poe-
matum æſtimatione diſputans, ſtatuit, judicium populi eſſe certiſſi-
XXXV. mum ac juſtiſſimum: minime vero judicium de poemate
XXXVIII. aliquo ferendum eſſe ex verſione ejus, vel ex
animadverſionibus Criticorum.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Februarii Anno MDCCXXI.

BIBLIA HEBRAICA EX ALIQUOT MSS. & impreſſis Codicibus, Maſora tam edita quam MSpta, aliisque Hebræorum Criticis recenſita; accedunt loca Scripturæ parallela, verbalia & realia, brevesque annotationes & variantes Lectiones; cura D. JO. HEINR. MICHAELIS, S. Theol. & Gr. ac Or. Lingu. in Acad. Frid. P. P. Ord.

Halæ Magdeb. ſumptibus Orphanotrophei, 1720, 4 vel 8 max. Alph. 4 pl. 21.

NOn infauſtum temporis noſtri ſignum eſt editio ſacri Codicis Hebraici, haud magno annorum intervallo non ſemel, aut iterum, ſed aliquoties repetita. Vivimus nempe eo in ſeculo, quo verbum DEI, maxime inter Proteſtantes, neutiquam rarum eſt, ſed aſſiduo ac frequenti docentium diſcentiumque uſu, non ſolum in verſionibus, ſed ipſis etiam fontibus & idiomate authentico, magis quam unquam, nec ſine ingenti eccleſiæ fructu, per DEI gratiam excolitur. Tanto igitur ſacrarum literarum in linguis originalibus ſtudio, quantum jam cœpit vigere, non una aut altera ſuffecit Hebræi textus editio, ſed plures, & aliæ poſt alias, adornandæ fuerunt a Celeberrimis Viris, *Leusdenio*, *Clodio*, *Jablonski*, *Hoogthio*, *Opitio*, *Majo*: quarum aliquæ non ſimplici, ſed gemina forma, nec ſemel tantum, ſed iterum impreſſæ ſunt. His jam accedit erudito orbi dudum deſiderata non minus, quam promiſſa, ſed variis impedimentis huc usque dilata, *Halenſis Edi-*

tiô, a Viro Maxime Reverendo JO. HENRICO MICHAELIS, ejusque in hoc opere *συνεργοῖς*, publico bono data. Triplici quidem forma, nempe octava & quarta majori, itemque in folio (quod ajunt) impreſſa eſt, ſed tamen minor impreſſionis forma majoribus non alia re cedit, quum marginibus ſpatioſioribus. Cum autem Editio hæc non ſolum *textum* Hebraicum, ut aliæ Editiones, ſed una etiam *adnotationes philologico-exegeticas*, ſacrum textum illuſtrantes, exhibeat; dicendum nobis eſt primum de *textu* ipſo, deinde vero de *adnotationibus*.

In *textu* ipſo tum recenſendo, tum imprimendo, fundamenti loco poſuit maxime reverendus Editor Biblia Hebraica Celeberrimi *Jablonski*, Berol. 1699 edita, cujus editionis textum non ad verba ſolum & dictiones, ſed ad ſingulas etiam ſyllabas, puncta, apices, cum codicibus tam MStis quam impreſſis diligenter collatum, a capite ad calcem usque recenſuit, adjutoribus hac in re uſus tredecim ſelectis & excitati ingenii juvenibus, iisque partim magiſtris, partim in theologia & philologia jam exercitatioribus ſtudioſis, ſingulis Collegii Orientalis Theologici, anno 1702 a Ven. Viro, H. FRANCKIO in Academia Fridericiana laudabiliter inſtituti, ſociis atque alumnis. Quæ autem in Codicibus ſuis ab Editione Berolinenſi diſcrepare deprehendit, ea, modo non manifeſte vitioſa eſſent, in variarum lectionum apparatum, quem ſat magnum ſibi ſub manibus creviſſe teſtatur, illico congeſſit, ut, quæ in futuræ Editionis textum recipienda, quæque ad varias lectiones referenda, aut penitus omittenda eſſent, iteratis deinde curis, & adhibitis aliis ſubſidiis criticis, diſpici poſſet. Hujus recenſionis ſuæ, ad ſingula puncta ac ſyllabas inſtitutæ, duplicem conſequutus eſt fructum; primo quidem, ut menda, quæ recentiores Bibliorum Editores, Clariſſimi Viri nec ſua laude unquam privandi, ex Athiano exemplo minus provide retinuerant, facilius detegeret; deinde vero ut diſcrepantes Codicum lectiones tanto attentius ac diligentius obſervaret, nec illarum prætermitteret quidquam.

Codices autem *MSti*, quos contulit, fuere quinque, iique omnes

omnes membranacei ſatis vetuſti, quorum copiam ex bibliotheca venerabilis *Miniſterii Evangelici Erfurtenſis* ſibi ſumma benevolentia factam eſſe, merito celebrat. Deſcripſit eos *Abrahamus Kallius* ſingulari Differt. de *Codicibus MStis Biblico-Hebraicis, maxime Erfurtenſibus*, anno 1706 ſub maxime reverendi Editoris noſtri præſidio habita. *Primus* eorum conſtat duobus grandioribus Voluminibus, cum Paraphraſi Chaldaica ſingulis verſibus ſubjecta, & Maſora, tum parva tum magna textuali. Ac meminimus, hunc ipſum eſſe Codicem, ex quo Cl. *Beckius*, Auguſtanus, Paraphraſin Chaldaicam utriusque libri Chronicorum, antea ineditam multumque deſideratam, primus publici juris fecit Auguſtæ Vindel. A. 1680. *Alter* vero, præter integrum V. T. textum, itidem Maſoram, cum Chaldaica Onkeloſi in Pentateuchum Moſaicum Paraphraſi, uno volumine majori complexus eſt. *Tertius* in folio mediocri totius V. T. textum habet cum Maſora, magna tamen lacuna a Jer. XLIV, 26 usque ad Ezech. VIII, 3 diminutus. *Quartus* ab initio mutilus, demum Gen. XXXIV, 5 incipit, & ad finem usque Pentateuchi ſingulis verſibus Hebraicis Targum ſubjectum habet, cum aliqua Maſora; præterea *Haphtaroth*, ſeu ſectiones Propheticas, & V *Megilloth*, item *Jobi* librum in fine mutilatum, & poſteriora quidem omnia ſine Chaldaica verſione. *Quintus* imperfectus incipit a libro Joſuæ, & poſt Prophetas cum libro Pſalmorum finiens, in Jeremiæ quoque vaticinio a c. XIV, 17 usque ad c. XXIV, 7 lacunam habet.

Impreſſi vero Codices, cum Berolinenſi editione a Noſtro collati, ſunt 1) Danielis *Bombergii* Biblia Hebraica & Chaldaica, cum commentariis Rabbinicis, & Præfatione *Felicis Pratenſis*, Venetiis 1517 in folio majori, 2) ejusdem Operis Editio quarta, Venetiis 1618, 3) *Jo. Buxtorffii* Biblia Hebræo-Chald. & Rabbinica, Baſileæ 1620, 4) Danielis *Bombergii* Biblia Hebraica, in forma quarta, Venetiis 1518, 5) *Roberti Stephani* Editio, in 4, Pariſiis 1543, 6) Biblia regia *Antverpienſia* ſive *Plantiniana*, in folio majori, 1571, 7) *Plantiniana*, in 4, Antverp. 1566, 8) *Franc. Vatabli*, in fol. majori, ex officina Sanctandreana 1587, 9) *Eliæ Hutteri*, in fol. Hamb. 1587, 10) *Po-*

lyglotta Anglicana, Londini 1657, 11) Biblia Hebr. cum interlineari verſione *Ariæ Montani*, fol. Lipſiæ 1657, 12) *Joſephi* Athiæ, ſeu *Jo. Leusdenii*, in forma 8 majori, Amſtelod. 1667, 13) *Dav. Clodii*, Francof. 1676, 14) *Rob. Stephani*, in 4, Pariſiis 1546, 15) *Dan. Bombergii*, in 4, Venet. 1521, 16) Biblia Hebr. in 4, Venetiis apud *Jo. Bragadinum* 1614, 17) in 4, Venetiis 1678, ex officina *Bragadina*, 18) *Hartmanniana*, in 4, Francof. ad Oder. 1595, & 19) *Henr. Opitii*, in 4, Kilonii 1709.

Acceſſit ad hanc ſacri textus recenſionem collatio *Maſoræ*, labor quidem difficilis ac tædii pleniſſimus, ſed tamen pro accuranda editione Bibliorum Hebraicorum ſummopere neceſſarius. Eam autem Noſter cum ſociis ſuis inſtituit non ſolum ex impreſſis exemplis Biblicis *Bombergii* atque *Buxtorffii*, ſed etiam *MStis*, quæ habuit, univerſis, nec non *Maſora* quadam ſeorſim *MSta* eaque chartacea, Erfurtenſis Miniſterii Evangelici benevolentia itidem commodata, quam Cl. *Michaelis* ob ſingularem ἀκρίβειαν valde collaudat. Huic igitur labori vacans, animadvertit, *Maſoram* impreſſam ſæpius quidem mutilam eſſe, mendoſam, & ſecum ipſa ἀσύςατον, ſuppleri tamen emendarique poſſe ex libris MStis, ejusque collationem ad veram ſacri Codicis lectionem vel reſtituendam, vel firmandam, magnopere ſibi profuiſſe expertus eſt. Sic (ut exempla ejus rei aliqua ex Pſalmis depromta proferamus) Pſ. XXXVII, 4 ultimam ſyllabam vocis מִשְׁאֲלֹת & Pſ. XLV, 8 penultimam in מֵחֲבֵרֶךָ, pariterque Pſ. XCI, 12 poſteriorem in [illegible], Pſ. CXXXVII, 9 primam in עֹלָלַיִךְ, Pſ. CXXXIX, 22 primam in לְאֹיְבִים, ac denique Pſ. CXLIII, 9 mediam in כִסִּתִי, ſingulas *defective* ſcriptas, hoc eſt, ſine fulcris *Vau* & *Jod*; e contrario Pſ. LXIV, 8 poſteriorem ſyllabam in פִּתְאוֹם Pſ. LXV, 2 primam in דוּמִיָּה, Pſ. LXVI, 15 priorem in מֵיחִים, Pſ. LXXVI, 3 priorem in סוּכּוֹ, Pſ. LXXXIX, 11 primam in אוֹיְבֶיךָ, & Pſ. CXXI, 4 priorem in שׁוֹמֵר, ſingulas *plene* ſcriptas exhibet, manifeſto id exigente *Maſora*: quam ſi conſuluiſſent reliqui ex recentioribus Bibliorum Editoribus, Athias, Clodius, Jablonski, Opitius, Majus, dubium non eſt, quin & Codicum & Maſoræ auctoritate adducti, pari modo ſcripturi fuiſſent.

Obſer-

Obſervamus item, *Indicem* illum *Patachatarum*, & per *Pſik* emphaticum diſtinctarum vocum, qui *Bombergii* & *Buxtorffii* Bibliis poſt Maſoram finalem ſubjectus eſt, in hac editione multo diligentius, quam in reliquis, etiam accuratioribus, collatum obſervatumque eſſe. Proinde rectius Cel. *Michaelis* Editio Pſ. LXVIII, 9 סִינַי, pariterque Pſ. LXIX, 4 עֵינַי, Pſ. CXXIX, 1 מִנְּעוּרַי, Pſ. CXXXI, 1 עֵינַי, & Pſ. CXLIII, 1 תַּחֲנוּנַי, ſingula per *Patach* ſcribit, non obſtante pauſa, quia & prædictus *Index* hoc exigit, & exemplaria complura ſequuntur, licet recentiores, laude ſua nequaquam privandæ, aliter & per *Kamets* legant. Rectius quoque eadem Pſ. LXXVII, 8 vocibus יזנח ארני, Pſ. LXXXV, 9 האל יהוה, Pſ. CXIII, 4 גוים יהוה, & Pſ. CXVI, 1 ישמע יהוה, *Pſik* emphaticum, quod alii omiſere, eadem de cauſa interponit.

Adhibitos inſuper heic videmus non modo *R. Moſen Hannakkedan*, & autorem *Catenæ Accentuum*, quorum diſſertationes, ad rem Criticam V. Teſtamenti ſpectantes, *Buxtorffii* Opus Biblicum itidem poſt *finalem Maſoram* exhibet, verum etiam *Eliam Levitam* in *Maſoreth Hammaſoreth*, *R. Salomonem ben Melech* in *Michlal Jophi*, *R. Judam* in *Explicatione Maſoræ* Amſtelod. in 4, 1650, & qui præ ceteris in hoc genere laudari meretur, *R. Menachem de Lonzano* in egregio tractatu critico, *Or Thorah*, Amſtelod. in 4, 1659.

Nec dubitamus, quin optima hæc Editio futura fuiſſet, ſi clarior expreſſiorque typus ei contigiſſet; cujus vero, & dageſchatarum imprimis literarum, lubricitas tædia correctoribus multa peperit, & aliquibus in locis induſtriam illorum penitus deluſit, donec meliori typo invento remedium huic malo paratum eſt. Laus certe tribuenda Cl. Editoribus, quod nihil unquam ingenio tantum ſuo confiſi, ſolaque ſuffulti analogia, (utpote quæ aliquando imaginaria magis eſt, quam vera) in textu ſacro mutaverunt, ſed quod adhibitis inſuper codicibus aliisque ſubſidiis criticis, quas rationes ubique ſecuti fuerint, in ſubjectis unicuique paginæ *variis lectionibus* fideliter expoſuerunt. Vellemusque, eundem tenuiſſet modum nuperrimus Editor, qui, quod miramur, in corrigendo textu aliquando

 meris

meris indulſit conjecturis, ut cum Ezech. XIV, 8 pro וַהֲשִׁמֹתִיהוּ: *& deſolabo eum*, quod omnes habere Editiones ipſemet fatetur, tamen וַהֲשִׂמֹתִיהוּ: per *ſin* repoſuit, nixus verſione Chaldaica (*& ponam eum*) ac ſenſu, ut ait. Qualia num condonaturi ſint ei veritatis Hebraicæ amantes, id vero eſt, de quo valde ambigimus. In annotationibus criticis ad textum talia locum reperiunt; in textum vero ipſum tanquam indubitatas lectiones intrudere, reverentia, quam verbo Dei debemus, vix patitur: ne forte conceptus noſtros pro mente Spiritus ſancti ſurrogemus; ſed hæc obiter.

Ad noſtram Editionem ut revertamur, habet quidem illa *variarum lectionum* apparatum, ut antegreſſas editiones omnes hac in re longe ſuperet; quod vero maxime reverendus *Editor* contra ſcepticos recte urget, nulla earum eſt, quæ veritatem aliquam momentoſam ac neceſſariam labefactet, plurimæque νοθείαν ſuam variis indiciis produnt. De his ſingularis Tractatio in *Præfatione* c. III inſtituta eſt, ubi cum exiſtentia illarum docetur ac vindicatur, tum origines oſtenduntur, variæque claſſes exponuntur. Pertinent autem huc variationes 1) quibus antiquæ *Verſiones* deprehenduntur ab hodierna conſuetiore Codicis Hebræi lectione deviaſſe, quarum vero ſubleſta fides eſſe dicitur, 2) *Talmudicorum*, quæ ſæpe affectatæ ſunt, 3) Codicis *Samaritani*, 4) *Kri & Cthibh*, 5) *vocum* extra ordinem *punctatarum*, *& Piskain*, 6) Judæorum *Orientalium & Occidentalium*, 7) *Ben-Aſcheris & B. Naphtali*, & quarum longe major eſt numerus, 8) *librorum* tam *MStorum* quam *impreſſorum*. Occurrunt autem a) in integris verſibus rariſſime, cujus rei illuſtre exemplum in hac Editione exſtat Joſ. XXI, 36 ſq. b) in varia verſuum diſtinctione ſæpius, c) in dictionibus vero, & d) conſonis ſæpiſſime, nullibi autem frequentius, quam e) in vocalibus, f) accentibus, & g) notis diacriticis lectionis. Originem vero duxerunt pleræque variationes ex confuſione α) literarum, quarum ductus aliquid ſimilitudinis habet, v. g. כ; ב & בּ; ה & ח; ר & ד; ו & ן; ס & ם; שׁ & שׂ; β) literarum ejusdem aut cognatæ pronunciationis, γ) ſignorum diacriticorum, & δ) vocum ſynonymicarum, item ε) ex tra-

trajectione accentuum, ζ) ignorantia partim, partim vero perperam præſumta analogia conſecutionis accentuum, η) ſimilitudine vocum initialium atque finalium, & ϑ) ipſius Maſoræ ambiguitate & confuſione. Ceterum cum in confeſſo ſit, varias exiſtere in Codice Hebræo lectiones, omnino e re lectoris fuit, eas textui ſacro ſubjungi, ne ſolius Editoris judicio ſtandum ſit; quod fieri oportet, cum una tantum exhibetur lectio, altera vero ſine ullo indicio transmittitur. Sed & hoc laudabile habet præſens Editio, quod variationibus paſſim epicriſis aliqua adjicitur, qua vel vera lectio ſtatuminatur, vel falſa convellitur, vel denique aliam alia præſtare oſtenditur.

Ad *Annotationes* quod attinet, quibus hæc Editio ab aliis inprimis diſtinguitur, in illis conſcribendis prima cura data fuit *parallelismo*, eique tam *verbali*, quam *reali*; qui ſi cum attenta ipſius contextus conſideratione adhibeatur, omnino certiſſimum ejus intelligendi medium eſt, & commentarius omnium optimus atque tutiſſimus. Deinde vero opera data eſt, ut quidquid eſſet, quod ex *Verſionibus* Græca & Orientalibus ſacri Codicis textum illuſtraret, margini ejus adjiceretur. Acceſſerunt porro *ſcholia*, ſeu breves *annotationes*, ad enodandum, ſicubi difficilior eſſet, vim dictionis & ſenſum: ac ſub Geneſeos initium rariores quidem illæ ac tenuiores comparent, pleniores vero ac limatiores in reliquis libris; ſtudiumque & attentio cum operis progreſſu in tantum crevit, ut, ubi Propheticos libros evolvimus, annotationes tam copioſas reperiamus, quæ commentarii loco queant eſſe. Unde cum tertia Hebræi Codicis parte, quæ Hagiographos libros continet, eædem annotationes multo copioſiores natæ eſſent, quam ut margo volumenque, intra quæ coarctandæ erant, eas caperet, ratio inſtituti eatenus immutanda fuit, ut Bibliorum Editioni brevia tantum adſcriberentur ſcholia, diductior vero textus explicatio tribus voluminibus, quorum recenſionem alio tempore inſtituendam in nos recipimus, ſeorſim impreſſa daretur. Quemadmodum autem maxime reverendus Editor, *J. H. Michaelis* annotationes in majorem Codicis Hebræi partem conſcripſit, ita ejus cognatus, Cl. *Chriſt. Benedictus Michaelis*, Fridericianæ Academiæ Profeſſor,

feſſor, præterquam quod Codicum Hebraicorum collationi tanquam collaborator adfuit, ſchedasque typographicas tertia vice correxit, non modo per totum Codicem *textum*, ubi id opus erat, emendavit, & ſelectum *variantium lectionum*, ſingulis columnis ſubjectum, conſignavit; ſed etiam *annotationes in Jeremiam, Amoſum, Obadiam, Michæam, Zachariam, Proverbia Salomonis, Threnos Jeremiæ & Danielem*, elaboravit. Ut ſpecimina quædam harum annotationum pro more noſtro afferamus, ad Canticum illud Moſis, quod Deut. XXXII perſcriptum eſt, ex *Brentio* annotatur, conſtare illud primum *Exordio*, in quo moveatur attentio, in teſtimonium citando cœlum & terram, & precando, ut hæc concio & cantio fructum afferat; deinde vero *antitheſi* quadam beneficiorum *Dei* & maleficiorum *Iſraelis:* poſthæc recenſeri *ſupplicium Iſraelis*, videlicet excœcationem & rejectionem ejus; ad extremum denique doceri *vocationem gentium.* Ad verba commatis ſecundi monetur, *Schmidium* indicative illa vertiſſe, *defluet namque*, cetera; alios vero optative, *defluat* ſeu *ſtillet*, cetera: optare nempe Moſen, ut audiantur & audientium cordibus infigantur verba ſua, tali effectu, qualis eſt pluviæ, quæ fœcundat terram, ut germina & plantas producat. Ejusdem capitis comma *quintum*, quod difficultate ſua interpretibus multum negotii fecit, & contortis explicationibus modo in hanc, modo in illam ſententiam diſtractum fuit, plano admodum ac facili ſenſu, quem accentus Hebraici maxime probant, ita exponitur: *Num Deus corrupit ſibi*, vel *ipſi* (Iſraeli)? *Nequaquam!* ſed *filii ipſius* ſunt *labes ſua* ipſorum. Atque ex Parallelismo Gen. VI, 12 oſtenditur, ad complendum prioris membri conſtructionem, poſt verbum *corrupit* ſubintelligi debere *vias ſuas*, quarum & præcedenti commate *quarto* mentio facta erat.

Porro ſingulis Propheticorum librorum præmiſſæ ſunt *præfationes*, ſeu Diſſertationes præliminares, in quibus de cujusque Prophetæ familia, patria, ætate, vatibusque coævis, fatis, indole, item hiſtoria temporum, quibus quisque vixit, librorum argumento, partibus, chronotaxi, ſtylo, aliisque momentis, magno ſtudio agitur, ita ut lectoribus loco introductionis generalis

ralis in ſingulos hoſce libros eſſe queant. Sic v. g. de *Jeremiæ* patre *Hiſkia* obſervatur, eum ab Hebræis & Chriſtianis quibusdam pro illo Pontifice haberi, qui decimo octavo Joſiæ anno librum legis in templo reperit, 2 Reg. XXII, 3, 8, ſed premi ſententiam iſtam hac difficultate, quod Anathothæi, ex quorum utique numero Jeremias fuit, non videantur de *Pinehaſi* fuiſſe poſteris, penes quos, inde a Salomonis regno ad captivitatem usque Babylonicam, in Tſadoki familia Pontificialis dignitas floruit, 1 Par. V, 38, ſed potius de *Ithamari* familia, cui Pontificatum, Abjatharo ad patriam ſuam Anathothum relegato, Rex Salomo abrogavit, 1 Reg. II, 26. Oſtenditur porro, Jeremiam initio non Hieroſolymis, ſed Anathothi, in patria ſua, eo usque prophetaſſe videri, donec cives ſui inſidias vitæ ipſius ſtruxiſſent, Jer. XI, 21, 22, XII, 5, 6, ac adeo verbum Chriſti Luc. IV, 24, *nullum Prophetam in patria ſua acceptum eſſe*, ipſi exemplo ſuo comprobaſſent, idque vel exinde probabile fieri, quod Joſias anno regni ſui decimo octavo *Huldam* potius, quam Jeremiam, ſuper reperto Legis Moſaicæ libro conſuluit, 2 Reg. XXII, 14, quia hic apud Anathothæos tum adhuc egit, illa vero Hieroſolymis præſens fuit. De ordine, quo prophetiæ Jeremianæ conſignatæ ſunt, obſervatur, eum quidem ab ipſo eſſe Propheta, nec tamen chronotaxi ſeu temporum rationibus accommodatum. Prius colligitur ex Jer. XXV, 3, poſterius vero res ipſa loquitur, & vaticiniorum aliorum cum aliis collatio. Utut autem diſpoſitionis illius qualiscunque ratio & nexus ex argumenti paritate inveniri quandoque poſſit, tamen alicubi difficilem, & pæne ἀδύνατον videri. Laudaturque *Hieronymus*, qui in Comm. ad Jer. XXV, 1, *non curæ erat Prophetis*, inquit, *tempora conſervare, quæ hiſtoriæ leges deſiderant, ſed ſcribere, utcunque audientibus atque lecturis utile noverant*. Quoniam vero ad intelligenda eo rectius vaticinia multum ſubinde chronotaxis valet, itaque ad leges illius ſingula capita ac prophetias hic digeſta videas.

Toti operi præmiſſa eſt Præfatio generalis, quinque capitibus conſtans, quorum primo de hiſtoria hujus operis, altero de ipſo Codice Hebræo, ejusque partibus & integritate, ter-

tio de variis lectionibus Codicis Hebræi, quarto de Maſora & quinto de hac ipſa Editione & ad eam annotatis, diſſeritur.

SALOMONIS VAN TIL THEOL. D. ET Prof. Lugdun. Opus Analyticum, comprehendens Introductionem in S. Scripturam ad JO. HENR. HEIDEGGERI Enchiridion ἱερομνημονικὸν concinnatum.

Tomi II.

Trajecti ad Rhenum, apud Jacobum van Poolſum, 1720, 4. Alph. 9.

DEbet orbis eruditus præſtantiſſimi hujus operis editionem Viro Cl. *Danieli Bedbero*, cui extremæ ſuæ voluntatis executionem commiſit celeberrimus quondam Theologus *Salomo van Til*, quique illius antea diſcipulus, poſtea vero intimæ familiaritatis amicus, ſchedarum omnium Autoris, ubi vita ille defunctus eſſet, habuit poteſtatem. Diu ſcilicet, & ab annis ſtatim Academicis interpres ille Scripturarum quondam ſagaciſſimus analyſi ſacrorum librorum dederat operam, teſtibus iis, quæ in ſcriniis defuncti inventæ ſunt, meditationibus in Epiſtolas Pauli, ante exactum Academiæ curſum abſolutis, in quibus fundamenta hujus operis licuit luculenta detegere. Ad Propheticorum vero voluminum inquiſitionem impulerant eum confabulationes, cum Coccejo, de ſcopo illarum viſionum & occaſione, qua cum populo Iſraelitico communicatæ fuerunt, habitæ. Cujus viri invitatione motus, operas ſubciſivas huic labori addixit, ſuasque meditationes identidem refictas & expolitas, amicis ac tironibus impertivit, eo quidem conſilio, ut opus a ſe ipſo totum aliquando ederetur. Verum, quum ipſe huic operi, ac imprimis B. Pauli Epiſtolis, quas & vernaculo ſermone conſtituerat edere, inſudaret, morbo obrutus & quadriennio poſt vita privatus, ultimam ipſi manum non potuit admovere, ſed ſchedas patre orbas, atque in unum corpus aut volumen nondum congeſtas, poſt ſe reliquit. Editor ergo Cl. juſſu, ut vide-

videtur, ipſius Autoris, poſt ejus obitum dictata illa, quæ Lugduni Batavorum ex ejus ore exceperat, ſumſit ad manus, diverſa tironum exemplaria contulit, adhibitis etiam in ſubſidium, quæ in ſcriniis Autoris extabant, quanquam minutis ac diverſis ſchedis, atque ſic ancipiti ac difficillimo ſex annorum labore opus hoc ea facie, qua nunc in publicum prodire conſpicitur, parturivit. In quo negotio ea uſus eſt fide pariter ac dexteritate, ut ſublatis codicum mendis, omnibusque, quantum per tantas difficultates licuit, in æqualem & concinnam ſeriem adductis, ſententiam Autoris magna cum religione referret.

Complectitur hoc opus univerſos V. & N. T. libros Canonicos, exceptis nonnullis, qui de induſtria fuere omiſſi. Scilicet non habentur heic *Canticum Moſis, Pſalmorum, libri Habakuki* & *Malachiæ vaticinia*: ea enim ſingula, commentariis illuſtrata, Belgico ſermone Autor ediderat. Deeſt quoque Analyſis cap. XXXI. *Exod.* ac fruſtra omnes angulos rimatus eſt Editor, ut illud fragmentum detegeret. Data igitur opera Autorem illud caput tranſiliiſſe exiſtimat, ne (ut ipſi placuit hujus rei rationem reddere) ipſo nolente alii prelo committerent, quæ ad privatos uſus meditata ac tradita erant. Quamvis autem & *Evangelium Matthæi* ſeparatim ante edidiſſet Autor, nihilominus tamen & illud, & *octo priora Geneſeos capita* huic operi inſerta voluit. Neque vero ad *Apocalypſin* quoque *Johannis* quicquam Lugduni dictitaſſe Autorem monetur, unde neque hic quicquam comparet: ſed provocaſſe eum ad ea, quæ aliquando de hoc libro diſſeruerit. Adjecit igitur Editor *Diſſertationem*, quam innui putavit, ejusdem *de ſenſu ſeptem epiſtolarum Apocalypticarum myſtico an literali:* & alteram paulo breviorem *de ſeptem periodis N. T. in collatione ad ſeptem periodos V. T.* Omiſſa vero fuerunt ea, quæ ad Jeſaiæ Danielis & Hoſeæ vaticinia quoad implementa ac uſus, Dordraci tironibus dederat, tanquam a deſtinatione hujus operis aliena.

Ad ipſum hujus operis habitum & faciem interiorem quod attinet, ad Heideggeri Enchiridion compoſitum illud eſſe, ex ipſa ejus inſcriptione edocemur; verum non in eum ſenſum accipienda hæc ſunt, ac ſi heic non niſi commentarii aut expl-

plicationes quædam ad illum Heideggeri libellum exhiberentur. Per totum enim Tomum primum ne verbulo quidem ejus autoris ſit mentio, qui Tom. II p. 48 ad Eccleſiaſten primum allegatur; neque videas ipſius labores ſundamenti loco ſubſtratos, neque ordinem articulorum & materiarum in introductionibus adornandis ſervatum; ut adeo quoad totum illum Tomum priorem nihil aliud Heideggerus præſtiterit Noſtro, quam ut exemplum & inſtar operis longe majoris & perfectioris extruendi ſuppeditaverit. Ceterum Autor omnia ex ſuo ingenio liberrime & ſine ductu & auſpiciis alienis expromit, in alia omnia frequentiſſime in ipſa imprimis Analyſi exhibenda ab Heideggero diſcedens, quam ſemper fere novam prorſus & ab Autoris ſui analyſi diverſiſſimam Noſter exhibuit. Paulo tamen majorem ejus Tomo poſteriori habet rationem, in quo non tantum ordinem articulorum in introductionibus, quem Heideggerus ſervaverat, ſequitur, ſed & totam ejus operam fundamenti loco ſubſternit, lectamque ſupponit, antequam ad ſua quis accedat, ipſe vero, quæ ab illo dicta erant, aut confirmat amplius & majori luce donat, aut, quæ omiſſa erant, ſupplet, quæ vero perperam poſita ipſi fuerunt viſa, corrigit ac emendat, Analyſes tantum fere novas condens, quas tales deprehendimus, ut parum in iis Heideggero debere Noſter voluiſſe videatur. Exhibet ergo Autor primum ſuccinctam in ſingulos libros Biblicos introductionem. Nihil quidem de libris V. aut N. T. in genere agit Noſter, ſufficientia forte judicans ea, quæ apud Heideggerum hac de re habentur. Generaliorem tamen introductionem libris propheticis, quos priores vocant Hebræi, id eſt, hiſtoricis, a Joſua ad Jeſaiam usque, præmiſit. Specialiſſimas autem præterea ad ſingulas Prophetarum conciones aut viſiones ſuppeditat, in quibus ordinandis magnum ſtudium poſuiſſe Autor deprehenditur. Habentur vero in iſtis introductionibus ex methodo Heideggeriana breves aphoriſmi, aliquando tamen largioribus etiam obſervationibus, imprimis ubi Autorem aut ſupplet aut emendat, ſtipati, in quibus partim de librorum Biblicorum nominibus, ordine ac ſerie, autoribus item, quorum haud raro prolixior προσωπογραφία adjicitur, temporis

poris ratione & aliis circumſtantiis externis, partim de interno habitu, occaſione, ſcopo, argumento, methodo, autoritate divina & aliis id genus capitibus, pro exigentia cujusque ſcripti, viſionem inſuper propheticarum ſcena, ſuccincte, ſufficienter tamen, excuſſis nonnunquam & aliis virorum doctorum ſententiis, agitur.

Succedit analyſis, non frigida & in qualicunque partium determinatione ſubſiſtens, ſed quæ ſcopum libri ſemel præfixum accurate reſpiciat, ſingularumque partium ad eum relationem & habitum luculenter oſtendat. Præmittitur ergo generalis cujuscunque operis ac libri partitio, quam ſpecialior partis cujuscunque, hanc vero ſpecialiſſima demum per ſingula fere commata aut verſus deducta ſubſequitur. Neque vero hæc omnia ſine artificio, aut continente perpetuo linea, ſed ſuis quaſi diſpoſita areolis, majoribus minoribusve partibus per ſigna literarum aut numerorum in tabula quadam ſibi invicem ſubordinatis, exhibentur, diverſis ſpatiis inchoantibus diſtincta, ut junctim quaſi omnia, diſtinctionibus tamen ſuis aſpectum ferientia, oculis exponantur.

Per univerſum tandem Tomi prioris decurſum ſingulis fere Analyſeos particulis ſubjunxit Autor ἐπίδειξιν quandam, obſervationibus varii generis iisdemque doctiſſimis paſſim refertam. Id vero imprimis in illa ſui laboris parte egit Vir doctiſſimus, ut qua ratione ad ſcopum omnia collineent, amplius adhuc oſtenderet, obſervationes inſuper varias Theoretico-Practicas, ſelectas, & ad ſolidiorem ſacri codicis notitiam pertinentes, perbreves quidem aliquando, ſed quæ ad prolixam meditationem manuducunt, aliquando tamen latiores exhiberet. In iis factorum veritas hiſtorica luculenter evincitur, miraculorum divina origo & autoritas, prædictionum complementa & profluens ex his Prophetarum aliorumque miniſtrorum Dei fides & dignitas demonſtratur, œconomia DEI, quatenus tum literaliter θεοκρατίαν V. T. tum myſtice regnum N. T. ſpectat, evolvitur, & rationes ejus fini ſuo convenientes ſollicite indagantur. Relatio imprimis typica rerum priſcarum ad N. T. operoſe nonnunquam inveſtigatur, qua in re, ſi forte

 omnia

omnia æque certa non videantur, neque enim heic ſingula indubiam quandam *ἀπόδειξιν* ſuſcipiunt, ingenium tamen ac laborem ſolertiſſimum Noſtrum non deſtituiſſe, lecturis facile patebit. Neque parcius indoles veræ ac falſæ Eccleſiæ & religionis, cauſaque fidei ac veritatis contra incredulitatem ac impietatem aſſerta & vindicata divinitus, data quavis occaſione, ob oculos ponitur. Præterea non raro obſervationes philologicas & alia quædam ad ſenſum verborum & intelligentiam rerum facientia, heic inſperſa deprehendes, qualis eſt illa ex-
p. 23. plicatio verborum Gen. XI, 4, *ædificemus nobis urbem & turrim* וראשו בשמים quæ ita vertit Noſter: *cujus extremitas ſit loco cæli*, ſeu habitaculi Dei, ut adeo heic habeatur conſilium humanum, ſecundum carnalis prudentiæ dictamina deliberans de unitate & concordia ſervanda, tum per autoritatem humanam & robur carnale, tum per alligationem Numinis certo loco. Obſervat ſcilicet Autor, particulam ב aliquando induere ſignificationem ſubſtitutionis, quam in rem allegat Deut. XIX, 21, Cant. VIII, 7. Notatque præterea, rem hanc optime conſentire cum Herodoto, qui ſupremam turris partem in templum deſtinatum fuiſſe Autor eſt, ut ita præſentia Numinis alligaretur certo loco. Exiſtimat ergo Autor, Babylonem hac in parte typum fuiſſe Babylonis ſpiritualis, quæ 1) principium religionis mutaverit in nomen humanum 2) alligaverit Spiritum palatio Vaticano, 3) bracchium carnale & potentiam coercendi aſſumſerit, ut ita autoritatem gladio & igne facilius
180. defenderet. Ita pariter haud inelegantem de peccati *μεχοποιΐας* indole diſquiſitionem invenies.

Jam vero & ex aliis capitibus hujus operis æque luculenta & eruditionis & induſtriæ ſpecimina poſſemus aſſerre, niſi de doctrina Autoris noſtri jam diu conſtaret inter eruditos, &
Tom. I. nos prolixitatem vereremur. In his attentionem nobis mereri viſa ſunt, quæ de indole librorum Hiſtoricorum V. T. quos
403 ſeqq. Prophetas anteriores vocant Hebræi, docentur. Oſtendit ſcilicet Autor, contineri in iſtis libris ſelecta quædam capita hiſtoriæ Eccleſiaſticæ V. T. potiſſimos & extraordinarios imprimis eventus & facta providentiæ complexa, quibus regimen ſuum

cau-

cauſamque Eccleſiæ ſuæ Deus aſſeruit, divinitatemque religionis Moſaicæ, per miracula, eventus & complementa prædictionum, aliaque divinitatis veſtigia luculenta demonſtravit, ad omnimodam Eccleſiæ ac fidelium πληροφορίαν excolendam, ut in viis Dei magno animo pergerent, perque illos typos reales, tanquam majorum operum divinorum ſub N. T. expectandorum ſpecimina. ad Regnum Chriſti præpararentur. Inde jam facile redditur ratio, cur inter Prophetas ſint habiti. Animadvertere enim fines ſingularium Dei factorum, exponere vias Dei ſecundum conſilium ejus ex mente divina, documenta providentiæ extraordinariæ & fœderalis ab iis, quæ ſunt ordinariæ, ſecernere, typos tandem rerum futurarum deſcribere, eorundemque characteres exhibere, non fuit niſi eorum, qui viarum Dei gnari & præter θεοπνευςίαν cum aliis ſcriptoribus communem, in munere quoque Prophetico per totam vitam occupati eſſent. Unde & illorum librorum integritas evincitur. Excerpenda enim ex ampliſſimis annalium commentariis ea tantum fuerunt, quæ huic ſcopo inſervirent, unde reliqua ad integritatem hiſtoriæ tantum facientia conſulto omiſſa exiſtimanda ſunt, quæ adeo nullum integritati eorum, ex ſolo ſcopo dimetiendæ, afferunt præjudicium.

Ceterum quemadmodum jamdiu conſtat, Autorem Coccejanas hypotheſes de VII Periodis N. T. ſuas feciſſe; ita & in hoc opere paſſim ejus rei veſtigia licuit deprehendere. Et mirari forte quis poſſit, ubi proverbiorum librum ex hoc fundamento viderit explicatum. Illum vero proxime quidem inſtituendo filio ſuo Roboamo, cui dedicatus & commendatus prioribus IX Capitibus concipitur, ſcriptum eſſe a Salomone exiſtimat; at vero & longius in eo proſpici, regulasque exhibe- p. 15 T. II.
ri ad eludendas & effugiendas, quæ œconomiæ ſapientiæ imminebant, tentationes. Cumque varia forent tentationum inſtrumenta, quibus abuteretur tentator ad Regni Chriſti ſubverſionem, revocandas eſſe eas tentationes cum ſuis inſtrumentis ad certa capita, caſusque exponendos, ex quibus ut eluctentur vocati, regulis hiſce & axiomatibus inſtituantur & excitentur. Atque juxta hanc legem conatur Autor, quæ a cap. X usque

ad XXIV occurrunt, adagia digerere; illud aſſumens pro hypotheſi, ut concipiantur ſeptem columnis domus ſapientiæ inſcripta fuiſſe illa adagia, atque ita exhiberi monita prudentiæ ſeptem diſtinctis temporibus Eccleſiæ N. T. obſervanda.

ARGUMENTS ET REFLEXIONS SUR LES Livres, & ſur les Chapitres de la ſainte Bible.

h. e.

SUMMARIA SINGULORUM LIBRORUM, & capitum Bibliorum Sacrorum, & in eadem Meditamenta, una cum Diſſertatione prævia de Lectione Scripturæ Sacræ.

Tomi II.

Neocomi, apud Joh. Dav. Grieſſer, Typographum, 1720, 4. Alph. 5 pl. 6.

QUamvis eximium hoc opus recentiſſime in lucem editum ſui Autoris nomen non præferat, conſtat tamen deberi diligentiæ Viri plurimum Reverendi *Johannis Friderici Oſterwald*, Eccleſiæ Neocomenſis vigilantiſſimi Paſtoris, *Originibus corruptionis*, *Inſtitutionibus Catecheticis*, & *Commentatione adverſus Impuritatem*, jamdudum in orbe Chriſtiano notiſſimi. Quam publici ſaporis hæc ſcripta fuerint, intelligi poteſt ex eorum tum iteratis toties editionibus, tum in tot linguas editis translationibus. *Origo corruptionis* edita *Gallice* ter Amſtelodami apud Henr. des Bordes annis 1698 & 1700 & eodem anno Neocomi apud Joh. Piſtorium, *Anglice* ter etiam, bis apud Chiswel a 1700 & 1702, tertiæ annum ignoramus. *Germanica* Interpretatio bina, altera a Viro plurimum Reverendo *Adamo Bernd*, Eccleſiaſte noſtro, confecta, & Budiſſæ typis exſcripta A. 1713, altera ſub ficto nomine *Selintes* cum præfatione *Joh. Frickii*, S. Theologiæ P. P. Ordin. & verbi divini Miniſtri Ulmenſis, Francofurti & Lipſiæ A. 1716, apud Joh. Reinhold. Dulspeeter; Belgica Lugduni Batavor. apud Bondwyk jam anno 1703 lucem adſpexerat. *Inſtitutio-*

tutiones catecheticæ Gallico idiomate octies editæ, Genevæ a. 1702 & 1704, Amſtelodami ap. Lombrail 1704, & P. Humbert 1712, Londini apud Noam Bouquel 1704, Neocomi ap. Piſtorium 1708, Baſileæ apud eundem annis 1713 & 1719: *Anglicano* ter, apud W. Fages 1704, apud Joſephum Douving 1711; tertiæ annus nobis itidem non conſtat; *Germanico* Francofurti apud Thomam Fritſch 1706, ut & *Belgico* Dordrechti apud Hamelenberg 1716. *Commentatio adverſus impuritatem* bis *Gallice*, Amſtelodami apud Lombrail 1707 & Neocomi apud J. Piſtorium anno ſequenti, *Anglice* apud Chr. Bouvitre 1708, *Germanice* Hamburgi ap. Schillerum 1714. Procul dubio *Summaria & Meditamenta*, de quibus agimus, eandem, imo meliorem adhuc obtinebunt ſortem, ſi rem penſitare velimus cum bonitate & uſu operis, tum iis quæ jam nobis innotuere. Quum enim fieret ut illius manuſcriptum exemplum in Angliam deferretur, mox in linguam Anglicam translatum Londini a. 1716 typis expreſſum fuit. Verum hæc editio, inſcio Autore emiſſa, parum æſtimanda. Brevi tempore, ſi nondum prodiit, *Germanico* ſermone veſtitum opus Baſileæ apud Joh. Brandmullerum, Typographum, proſtabit, quippe quæ interpres vertit, absque mora prælo ſubjiciuntur. Audimus etiam Bibliopolam noſtrum, *Theophilum Georgi* ejusdem editionem elegantiori ſtylo Germanico inſignitam meditari. Nos interim hic operis faciem primum repræſentabimus: ſcopum deinde & uſum indicabimus, nonnullas tandem ejus particulas ſpeciminis loco exhibebimus.

Proxime titulum ſequitur ſermo prævius, in quo, poſt nonnulla de opere ipſo monita inferius adducenda, plurimum Rever. Autor duo ſibi peragenda ratus eſt. *Primum* Chriſtianos ad Bibliorum privatam lectionem adhortari, qua neglecta, ut hodie fieri vir maxime pius conqueritur, innumera in orbe Chriſtiano mala neceſſario oriuntur; exilis admodum, aut falſa Religionis notitia habetur; Atheiſmus, Fanaticiſmus, diſſolutique mores ubique graſſantur. Privatæ lectioni varia ſimul tribuuntur commoda, quibus quæ fit in cœtu ſacro, deſtituitur. *Secundo* exhibere methodum, cujus ope Scriptura Sacra

utiliter legi poſſit. Hic iterum viri celeberrimi duæ ſunt monitiones. *Altera* verſatur circa Librorum Sacrorum utilitatem; *altera* circa modum quo legendi ſunt.

Librorum V. Teſtamenti, quos in Hiſtoricos, Dogmaticos, & Ethicos, atque Propheticos diſtinguit, lectionis utilitatem pluribus firmat argumentis, quo ſtadio emenſo Librorum N. T. qui in Evangelia cum Actis Apoſtolicis, & Epiſtolas diſpeſcuntur, non ipſi difficile eſt uſum ſtabilire. Modus quo ſacer codex legendus, quinque regulis definitur. Fiat 1 *attente*, & cum animo curis & affectibus vacuo, 2 *aſſidue*, Scripturæ enim ſacræ notitia & amor nonniſi ejusdem frequenti lectione acquiruntur, 3 *prudenter* & cum judicio, *tum* ad ejus genuinum ſenſum ope ſcopi a ſcriptore ſacro intenti, totiusque orationis contextus, ac collationis cum locis parallelis eruendum, *tum* ad ejus doctrinas, præcepta, promiſſiones, minas propriis noſtris uſibus dextre accommodanda, 4 *obedienter*, & cum firmæ fidei obſequio, absque quo fruſtra vel legitur vel auditur verbum divinum. Tandem *pie* ac religioſe, ita ut & propoſitum nobis ſit, voluntati divinæ in omnibus morem gerere, & animus ſit Deo devotus, utque enixis ac humillimis precibus Spiritus Sancti auxilium a Patre luminum impetremus.

Ipſius operis facies iſta eſt, unaquæque pagina duabus diſtinguitur columnis; characteres ſunt ciceroniano paulo majores; numerus capitis juxta ſeriem librorum Biblicorum grandiori charactere indicatur, ſimulque apponuntur verſiculorum exponendorum numeri. Deinde ſummarium ſive totius capitis, ſive duntaxat illius partis charactere Italico adfertur. Ut plurimum e regione ſummarii in margine exprimuntur numeri verſiculorum, ad quos unaquæque pars ejusdem ſummarii refertur. Denique, omiſſo textu ſacro e Bibliis, ne opus in nimiam molem excreſceret, repetendo, ſummarium breve ſequuntur meditamenta longiuſcula. Excipiendæ tamen Apoſtolorum Epiſtolæ, quarum ſcopus atque contextus ut melius caperentur, ſummaria prolixiora eſſe, & longitudine meditamenta ſæpe æquare, quandoque etiam ſuperare oportuit.

Horum

Horum ſcopum & uſum docent Diſſertatio prævia, & Liturgia Eccleſiarum agri Neocomenſis Baſileæ A. 1713 edita. In Præfatione illius Liturgiæ jam monuerat Cl. Autor, quum lectio publica Scripturæ Sacræ in cultum divinum prædictarum Eccleſiarum introduceretur, utile, quin etiam neceſſarium judicatum fuiſſe, ut ſingulis Veteris & Novi Teſtamenti capitibus prælegerentur eorundem ſummaria, & ſubjungerentur pia cogitata, quibus eorum uſus, in plebis Chriſtianæ ad auditionem Bibliorum accurrentis gratiam, indicaretur. Horum ſummariorum, & meditamentorum conficiendorum provincia plurimum Rever. Autori fuit demandata; quam quum ad umbilicum produxiſſet, totiusque Presbyterii ſui expectationi pleniſſime reſpondiſſet, juſſi ſunt ſinguli Paſtores utiliſſimi illius operis exemplar ſibi exſcribendum curare, & in cœtu ſacro particulam illius ordine prælegere, quotiescunque ad populum ſacra concio non haberetur. Hæc lectio maximo cum applauſu excepta, non pœnitendos, Deo adjuvante, fructus jam protulit; uberiores vero ut afferat, opus ſuum toties manu exſcriptum, variisque hinc inde vitiis maculatum, ſub incudem revocavit Celeb. Autor, & perfectum ac perpolitum prælo ſubmitti permiſit.

Præcipuus itaque ſcopus, ad quem collimavit, fuit, ut ob oculos Chriſtianorum diſtincte ſimpliciſſimeque poneretur, quid obſervatu maxime ſit neceſſarium in ſingulis Scripturæ S. capitibus, ad eorum intelligentiam ſibi comparandam, fructusque ex iis ſalutares percipiendos. Hujuſcemodi propoſitum ut aſſequeretur, tria ſibimet in opere condendo præſcripſit. *Primum*, ut quantum fieri poſſet meditamenta ſua in compendium contraheret, ita ut nihil quidem momentoſi omitteretur, obſcuritas tamen prorſus exularet. Duabus de cauſis brevitatem hanc ſectatus eſt, partim ne cultus divinus in nimiam protraheretur longitudinem; partim ut populus Chriſtianus prædictas pias cogitationes facilius memoria excipere poſſet. Ob easdem rationes, quum capita fuere longiora, aut nimia ſubjectorum multitudine prægnantia, in duas pluresve partes ea diviſit Rever. Autor. *Secundum*, ut, quandoquidem Hiſtoria Regum

Judæ in libris tum Regum, tum Paralipomenon exſtat, libros illos non juxta ſeriem capitum exponeret, ſed caput eligeret, quandoque e libris Regum, quandoque e Chronicorum, prout hiſtoriæ ordo requireret, & eventus accuratius in his vel in illis narrantur. *Tertium*, ut nonnulla capita Scripturæ Sacræ plane omitteret, qua in re varias Eccleſias, & in primis Eccleſiam Anglicanam, præeuntes habuit, cujus rationes non cognitu difficiles, verbi gratia, canticum canticorum omittitur, monetur tamen mutuum Chriſti & Eccleſiæ amorem in eo adumbrari. Apocalypſeos ſeptem priora capita expenduntur, capita 8--13 prætermittuntur. Rurſus capitis 14 verſus 1 ad 13 ponderantur, capita vero 16 ad 19 ſilentio prætereuntur. Tandem tria ultima capita 20, 21, 22 ad examen revocantur. Rationem hanc ipſe reddit Celeb. Autor in proœmio ſuo in Apocalypſin. *In hoc Libro*, inquit, *capita ſatis perſpicua reperiuntur, ſed & inſunt viſiones & Prophetiæ obſcuræ, quia nondum impletæ fuere.* Ea de cauſa varia hujus libri capita in publica lectione omitti poſſunt.

Patet igitur, non hic quærenda quæ ad Criticam ſacram, aut ad controverſias Chriſtianorum faciunt, ſed ea ſolum, quæ plebi Chriſtianæ ad totius Scripturæ intellectum & uſum inſervire poſſunt. Id tamen dictum nollemus accipi, quaſi peritiores nullum ex eo fructum decerpturos exiſtimaremus. Dum enim doctiſſimus Autor literalem ſenſum conſtituit, non parvam multis locis, vel obſcuris, vel prave communiter intellectis lucem affundit; unde & eruditus Lector anſam habet profectus, & concionatores ducem viæ in concionibus ſuis dirigendis. Ut taceamus, quemvis Lectorem ſatis emolumenti inde reportaturum, ſi pondere rationum fidem noſtram probantium, aut ad veram pietatem impellentium ſe permotum ſenſerit. Utinam & noſtrorum temporum homines, minus in ſcrutandis Bibliis curioſitatis, plus vero deſiderii in cognitione & amore rerum cœleſtium proficiendi adferrent!

Ut facilius autem concipiatur, quam preſſe & conciſe, quam dilucide & perſpicue, quam conſulte atque ſapienter, quam nervoſe ac pie plurimum Reverendus Autor, longa experi-

perientia & uſu rerum exercitatus, utpote qui annum ætatis jam 57 ſuperavit, fuerit loquutus in opere e manibus Chriſtianorum nunquam excutiendo, huc illius initium & finem transferemus.

Geneſeos caput I.

Liber Geneſeos, ſic dictus fuit, quia in eo rerum omnium origines deſcriptæ. Incipit a creatione Mundi, & ad mortem usque Joſephi provehitur. Spatium itaque annorum circiter bis mille quadringentorum complectitur.

Hiſtoria creationis primum occupat caput.

Meditamenta.

Primum Geneſeos caput primam Religionis veritatem nos docet; nempe Deum dari, cœli, terræ, & omnium quæ iis inſunt conditorem; omnibus creaturis naturæ qualitatum, quibus ſingulæ ſunt præditæ, diribitorem, mirique ordinis in rerum univerſitate elucentis, propria voluntate conſervatorem. Inprimis ex hoc capite diſcimus, Deum condidiſſe hominem ad ſui imaginem, illique dominium in ceteras creaturas, ut & animum ſpiritualem, immortalem, atque ſui creatoris cognitionis & amoris capacem impertitum fuiſſe. Noſtri ergo eſt officii agnoſcere & adorare potentiam, magnitudinem, & ſapientiam Dei, quæ in omnibus & ſingulis ejus operibus conſpiciuntur; bonitatem illius in nos celebrare, ipſique ſine intermiſſione gratiarum actionem, amorem & obſequium tam juſte debita tribuere.

Apocalypſeos caput XXII.

S. Johannes pergit in deſcribenda gloria & beatitudine Hie- I, 1-5.
roſolymæ cœleſtis. Veritatem Prophetiarum in hoc libro com- II, 6-11.
prehenſarum firmat, & eas promulgandi mandatum ſibi ab An- III, 12-27.
gelo datum refert. Aſſerit, Jeſum Chriſtum brevi venturum ad excipiendos in ſuam gloriam ſanctos, malos vero pœnis debitis afficiendos, & exprimit ardorem, quo fideles ultimum hunc ſui Servatoris adventum expetunt.

Meditamenta.

Caput iſtud Apocalypſeos, imo totius Scripturæ Sacræ ultimum, rerum omnium finem & conſummationem nobis ob

oculos ponit. In eo perſpicimus quanta futura ſit gloria, quanta felicitas, quibus electi in æternum coram Deo, & Jeſu Chriſto ſuo Servatore gaviſuri ſunt. Ex eo etiam diſcimus, neminem ad hanc beatitudinem admittendum, præter eos qui ad eam adſpirant, mandata Dei ſervando; impuros vero & quosvis malos eadem in ſempiternum tempus excludendos. En ſortem tam bonorum, quam malorum olim futuram! En quæ Deus in fine mundi peragenda ſibi propoſuit. Ea perpetuo attendamus, quandoquidem de iis verbis adeo liquidis nos admonere voluit. Recordemur hæc omnia certiſſima eſſe, Deum ea revelaſſe ſancto Johanni, juſſiſſeque ut in hoc libro conſcriberentur, ad inſtituendam & ædificandam cujuscunque futuri ſeculi Eccleſiam. 2. Dicitur in hoc capite, quum ſanctus Johannes ad pedes Angeli, qui ipſum fuerat allocutus, quemque procul dubio Dominum ipſum eſſe exiſtimabat, ſeſe provolviſſet, Angelum ipſi dixiſſe, *cave ne facias, ſum enim tuus, ut & tuorum fratrum conſervus, Deum adora.* Hinc colligere eſt, nunquam licere alium præter Deum adorare, quocunque id fiat modo, itaque cultum religioſum Angelis aut ſanctis exhibitum, ſummo crimini vertendum fore. 3. Obſervandum eſt, Angelum Johanni dicere, veritatibus hujuſce libri, homines non eadem ratione afficiendos; malos magis ac magis ſeſe morum pravitati & impuritati addicturos, juſtos vero & ſanctos magis ac magis ſanctificandos. Id quotidie fieri videmus, ſed in memoriam revocanda Domini hac de re admonitio, ejusque adventus ad judicandos tam bonos quam malos, uti ipſe declarat in fine hujus libri, quum ita effatur, *ecce venio cito, & merces mea mecum eſt, ut reddam unicuique ſecundum ſua opera.* Speremus continue hunc adventum. Expectemus eum, perſeverantes in bonis operibus, & una cum ſponſa, Eccleſia nempe, & cum omnibus ejus genuinis filiis dicentes: *Veni cito. Ita Domine Jeſu, veni, Amen!* Hic finis eſt N. Teſtamenti. Det Dominus, ut, quicquid in eo vel legimus, vel audivimus, in rem noſtram vertamus, meditemur, & actu proficiamus in Dei Patris noſtri gloriam, & ſalutis noſtræ promotionem! Ita fiat! *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit nobiscum omnibus. Amen.*

Hunc

Hunc articulum oportune claudet elegantiſſimum Epigramma a Celeberrimo *Samuele Werenfelſio*, Baſileenſi Profeſſore, Autoris noſtri imagini ex ære excuſæ ſubjectum, & a Cl. Oſtervaldi filio & Baſileenſis Eccleſiæ Gallicæ Paſtore nobiſcum communicatum.

Hic Oſtervaldi eſt levis umbra; o viva loquensque
Illius effigies Paſtor ubique foret!
Deſineret cauſas corrupti quærere mundi
Autor, forte ſuum ſupprimeretque librum.

COLLATIO CODICIS MS. QUINTILIANEI, qui in Bibliotheca Gothana aſſervatur, cum cap. IV lib. X editionis noviſſimæ, a Cl. PETRO BURMANNO adornatæ, inſtituta.

Fidem jam liberamus, exhibentes lectiones variantes Codicis Gothani Inſtitutionum Oratoriarum Quintiliani, quas ex capite potiſſimum IV libri X nos excerpturos eſſe, nuperrime recepimus. Factum id a nobis tanta religione tantoque ſtudio, ut verendum nobis ſit, ne fluctus in ſimpulo moviſſe nonnullis & magno conatu parum egiſſe videamur. Sed, ſi alterutrum neceſſe eſt, eo nomine reprehendi, quam negligentiæ ſupinæ accuſari malumus. Adſperſimus hic illic obſervationes quasdam inter ipſum contendendi verba ſcripta & impreſſa laborem natas, ne una iſta ac perpetua vocum male cohærentium recenſio lectores ab his perlegendis deterreret. Plures ſubjungendi neque occaſio deerat, neque facultas, ſed tenendum putavimus modum, quod id non agebatur nunc, ut commentarium in Quintilianum ſcriberemus.

Reprehendere id collocandi genus) Plurimi Codd. præter rationem: *vel collocandi genus*. Sed Gothanus cum vetuſtis, quos Turnebus nominat, libris conſentit, in quo eſt *id collocandi genus*.

Qui ſi id demum naturale) Goth. *Qui id demum naturale*, perinde ut Voſſ. ſec. & mox ſimili ratione *tota his ars* pro *tota hæc ars* & *ſubvertitur* pro *ſubvertetur*. Quæ ſcriptura ut in ſe nihil habet vitii, ita prioribus non ſatis apte cohæret.

Necte-

Nectetur autem, ſi legas *quorum* vel *ex quibus, qui id d. n. &c.* Neque tamen non præferenda lectio vulgata, ſi Codd. autoritate firmatur.

Neque enim loquuti ſunt) Cod. Goth. *locuti ſumus.*

Nec procemiis præpare, docere expoſitione, argumentis probare, affectibus commovere ſcierunt) Ita ex ingenio reſtituit Regius, cum antea legeretur: *Nec procemiis præparare, docere, exponere.* Expoſitione, inquit, vel refragantibus exemplaribus legatur hoc modo: *docere expoſitione.* Non refragatur Cod. Goth. ſed prorſus conſentit probatque, Regium utique rem acu tetigiſſe.

Nec domibus quidem caſas &c.) Corrupte Goth. ut ceteri, *ne hominibus quidem caſas aut veſtes pellium tegmina, aut urbibus montes ac ſilvas mutari oportuit.*

Quid non cultu niteſcit) Recte id prætulit Cl. Burmannus, tametſi, qui ita legeret, codicem nullum vidit. Nam quod nonnulli *inniteſcit* habent, unde lectionem ſuam clariſſimus Vir tuetur, id ad ſcripturam *miteſcit* propius accedit. Sed eſt in Cod. Gothano manifeſte *niteſcit*, unde de lectionis ejus veritate nulli dubitamus.

Fortius vero qui) Goth. *fortius vero quid.*

Nec ſi parvi pedes vim detrahant rebus) Ita & Gothan. ſed literæ *a* poſteriori in voce *retrahant*, puncto notatæ, delendæque adeo impoſita eſt litera *u*. Recte, ut nobis videtur. Conjunctivus enim ille dubitantis eſt; at vero quis dubitet, parvos pedes vim rebus detrahere.

Galliamborum) Goth. Callimachorum. Mox & pro *quorundam* habet *quorum.*

Tanto quæ connexa eſt--) Primus vidit Regius, ita legendum eſſe, cum antea *tantoque* editum eſſet, nullo ſenſu. Goth. Codex: *tanto quæ* prorſus ut Regius reſtituit, cui & idem codex ſuffragatur, quando pro *fuerit*, *fluit* legendum contendit. Nam & eam ibi lectionem deprehendimus. Qui *furit* voluere ſcribi, eos ſimilitudo vocum *fuerit* ac *furit* decepit.

Quando nec ulla res) Goth. *res nec ulla.* Mox & *comitatur* pro *comitetur.*

Quo

Quo certior manus, hoc eſt habitus ipſe formoſior) Goth. *q. c. manus, hoc & habitus ipſe formoſior.*

Jam in certamine armorum) Goth. *ita in certam. armorum.*

Quamvis compoſitione) Goth. addit *in* ut alii. Nec videtur idonea cauſa ſuppetere, cur ejicienda ſit cum Regio hæc particula. *In compoſitione* eſt, dum compoſitioni operam damus. Dum enim per ea, quæ ex præſcripto ejus obſervanda ſunt, ſententiæ, velut amentis nervisve intenduntur & concitantur, id quod docet Quintilianus.

Valere eam quam plurimum) deeſt pronomen *eam.* Mox & *in affectus*, pro *in affectum.*

Nec eosdem modos adhibent) Goth. *nec eodem modo adhibentur.*

Nec idem ſignorum concentus eſt procedente) Ita prorſus Goth. non *contentus*, neque *producendo*, ut nonnullis placuit.

In oratione eſt vehementiſſima) Goth. *in oratione eo vehementiſſima.* Paulo ante & *quædam tanta vis* pro, *quædam tacita vis.*

Solvat & turbet) Goth. ſine copula: *ſolvat, turbet.*

Superarunt: Immuta - venalitiique) Omiſſis poſterioribus Goth. *ſuperarunt & in ſequentes deinceps periodos.* Mox & *quos* pro *quas.*

Corrigit quæ a Graccho) Goth. *c. q. a græco.*

Nos hac ſimus probatione contenti) Goth. *Nos hac ſumus probatione contenti.*

Itaque ut confiteor pene ultimam) Goth. *itaque v. c. pene ultima ultimam*, vitio ſcribentis.

Quæ perfecta ſit) Goth. *quam + perfecta ſit.* Cl. Burmannus ſimilem in Cod. Voſſ. lacunam ita ſupplet: *qua demum eloquentia* (vel *oratio*) *perfecta ſit.* Sed duas has voces magnitudo ſpatii in Cod. Goth. non capit.

In quantum adhuc profecerant) Goth. *profecerunt.*

Neque mihi) Goth. *Neque enim mihi.*

Quanquam & ii ipſi) Goth. *quanquam & hi ipſi*, in quo & mox *diſſimiles fuerint* pro *diſſim. fuerunt.*

Textum tenue atque rarum) Goth. *t. t. a. ratum.*

Quæ in eo maxima) *Quæ in eo maxima etiam eſt* Goth. Sed ſignis quibusdam notatum eſt, τὸ *etiam* ante τὸ *maxima* legendum eſſe.

Quod ipſum compoſitio eſt) Quod ipſam compoſitionem.

Quæ currere debet ac ferri) *q. c. d. & ferri* Goth. ubi & mox *inſiſtentes* non *interſiſtentes*, ut Regius vult, cujus emendationem cur in textum cooptarint viri docti, miror, cum ſenſum aut eundem aut non multum diverſum Codd. Mſſ. lectio *inſiſtentes* gignat.

Habet eam jucunditatem &c.) Goth. *habet etiam jucunditatem, ut latentes in numeros complexa videantur.* Vitioſa lectio, ut in aliis Codd.

Oratio juncta) Goth. item *Oratio juncta.* Sed ſcribendi ductus in voce poſteriori adeo ſimilis eſt voci *vincla*, ut difficile ſit diſcernere, utrum ſit legendum. Litera enim i perpetuo caret puncto, niſi quod duplicatæ unum imponitur, & literæ u in principio & mediis vocibus una eademque facies eſt.

Aut deſtitui) Goth. *aut deſtui* mendoſe. Mox pro *ſermo & epiſtola* legitur *ſ. atque epiſtola.*

Nec cohærent) Goth. neque cohærent. In vocibus ſequentibus: *nec verba de verbis trahunt* deeſt *de.*

Vincua quam nulla) *Vincula* Goth. integre, ſed u puncto notatum eſt, ut legatur *vincla.*

Tria ſunt neceſſaria) Goth. *tria ſunt genera.*

Quæ diximus ἀσύνδετα) Goth. *quæ ἀσύνδετα dicimus.*

Cavendum eſt) Goth. omittit *eſt.*

Aut latroni petulans) Goth. *ut latroni petulans.*

Nam ſi præceſſerint) Goth. ſingulari *præceſſerit*, quod prætulerim vulgatæ lectioni.

Nomina appoſitis & pronominibus rurſus eſſent priora) Goth. *nomina appoſita pronominibus eſſet priora.*

Nimiæ eſt ſuperſtitionis) In Goth. *eſt* deſideratur.

Ut quæque ſint tempore, ea facere etiam ordine priora) Goth. Ut *quæque ſit ordine, ea facere etiam o. p.*

Non quin frequenter hoc ſit melius) Recte ita Regius pro vulgato *non quia.* Nam ita & ſcriptum in Cod. Goth.

At

At ſi id aſperum erit, cedat hæc ratio numeris) In Goth. & adverſativa *ut* & pronomen *hæc* deeſt.

Quæ ſunt virtutis) Goth. *virtutes.*

Quædam vero transgreſſiones & longe ſunt nimis) Goth. *q. v. t. & longe ſunt minus.*

Rubent plurima. Inter ſacra) Goth. *Rubent: plurima inter ſacra.* Sed hæc nota diſtinguendi, quæ una præter puncta in codice hoc occurrit, tametſi & ab initio commata hic illic reperiuntur a poſteriori forte manu adſcripta, ſæpe alieno loco poſita eſt, ita, ut multum ei tribui non poſſit.

Tranſiri intentione) Goth. *tranſire.*

Quale eſt illud Ciceronis) Goth. quale illud eſt Ciceronis.

Vomere poſtridie) Poſterior vox abeſt.

Per ſe fœdæ vomendi neceſſitati) in Goth. *per ſe fœda vomendi neceſſitas*, perinde ut in aliis. Vulgata lectio, cujus præter codicum fidem retinendæ ego cauſam nullam video, Regii ingenio debetur.

Qui eos inhiberet, objiceret) Goth. *qui eos inhiberet & objiceret.*

Licet & juncta ſit & apte cadens oratio, tamen merito compoſita dicatur) Goth. *licet & vinciat, ac ſic aperte cadens oratio, tamen merito compoſita dicatur.*

Ea eſt in verbis) Goth. Omiſſo pronomine: *Eſt in verbis.* Vocem *ea* addidit Regius. Poterat & deleta diſtinctione majori ſcribi, *quæ eſt in verbis*, vel etiam: *eſtque in verbis.* Poterat & pronomen præmitti voci *ſequitur*, & legi: Junctura, quæ ſequitur, eſt in verbis &c. Ita incerta ſunt omnia, ubi nullo adjuti vetuſto exemplari autores emendare aggredimur. Veriſimillima mihi, ſi Codd. fide ſtandum, videtur lectio Cod. Voſſ. ſec. *Junctura ſequitur & eſt in verbis.*

Quæ commiſſis inter ſe) Goth. *quæ commiſſis inter ſe.*

Ex ultima prioris) Legebatur ante: *ex ultima fine prioris.* Vocem *fine* expunxit Regius. Recte, ſi lectio Cod. Goth. qui eam non agnoſcit, admittenda eſt.

E plenior litera eſt) Goth. *plunior l. e.*

Perinde aſperiores erunt) Ita & Goth. qui hoc quoque loco conjecturæ Regii favet, *perinde* pro *proinde* reſcribentis.

Ac neſcio negligentia in hoc) Goth. *at neſcio, u. i. b.*

Ad hanc partem) *In hanc partem* Goth.

Quæ συναλειφὴ dicitur) Goth. *dicuntur.*

Etiam leniorem) Goth. *& leniorem.*

Pulchra oratione acta omnino jactare) Goth. *pulchra oratione acta oratio jactare.*

Velut opimæ ſyllabæ) Goth. velut optimæ ſyllabæ.

Quaſi interſiſtatur) Goth. quaſi inſiſtatur, qui & ante *mediis temporibus*, pro medii temporis, quæ Regii emendatio eſt non admodum neceſſaria, quando & absque ea ſenſus ſibi conſtat.

Ceterum conſonantes quoque, eæque) Goth. *Ceterum conſonantes quoque earum præcipue.*

Et ſ. ultima) Goth. *& ſ. litera.*

Ars ſtudiorum) Goth. *vas ſtudiorum.*

Quæ fuit cauſa & Servio) Prorſus ita Goth. Poſſet & minus attendentibus legi in codice eo: *quæ fuit cauſa & ſermo*, prout in Voſſ. ſec. eſt; Sed & major litera initialis S obſtat, & mediæ u & i ſatis diſtinctæ ſunt.

Reprehendit Lauranius) Goth. *Lunarius.*

Serenu' fuit & dignu' loco) Goth. *Serenus fuit & dignus loco.*

Quin etiam Cicero) *Qd & Cicero.* Goth.

Pomeridiem) *Per meridiem* Goth.

Die' hanc) Goth. *Die : & hac.*

Ne ſyllabæ verbi prioris ultimæ ſint primæ ſequentis) Goth. ſingularem numerum ſervat, perinde ut alii Codd. Eſt enim: *ne ſyllaba verbi prioris ultima ſit prima ſequentis.* Quæ lectio cur ſollicitanda ſit, non equidem video. At, inquit Cl. Burmannus, ſupra jam de repetita ſyllaba una actum. Neutiquam vero rem ita habere, manifeſtum erit locum penitius conſiderantibus. Ibi enim de commiſſis inter ſe verbis duobus, ubi ex ultima prioris & prima ſequentis ſyllaba deforme aliquod nomen efficitur, non vero de repetitione ſyllabarum

Fabius

Fabius præcipit, ut ταυ͗τολογία proinde non ſit metuenda, ſi lectio Codd. ſuo loco relinquatur. Quod vero ad exempla attinet, de priori non conſtat ex Codd. certo, quo pacto ſit legendum: deinde non tam exemplorum inſtar hæc adducit Fabius, quam ut pateat, cur ad tam vulgaria ſe præcepta demittat. Cauſa nempe eſt, facilem in his lapſum eſſe: gravius etiam Ciceronem, tametſi compoſitionis ſtudioſiſſimum, peccaſſe, qui duas ſyllabas, integram vocem efficientes, ſimili ratione ex voce antecedenti repetierit.

Etiam monoſyllaba, ſi plura ſunt) Goth. *Si plura abſque ſunt.*

Ex diverſo quoque) Goth. *ex diverſo etiam.*

Deſtinata multa jungantur) *Multa* deeſt in Goth.

Similiaque his continuari d.) Goth. *ſimilia quoque h. c. d.* Ante etiam paulo: *ne verba quidem* ut Voſſ. ſec. cui perſæpe conſentit.

Tædium pariant) Goth. *patiantur*, rurſus ut eſt in Voſſ. ſec. *Pariant* in textum intruſit Regius, invitis Codd. Sed emendationem audaciorem ut ei condonemus, facit conjectura feliciſſima, qua *varietatis* pro *veritatis* legit, ut eſt in Goth. Cod.

Non eo modo eſt obſervanda) Goth. *non eodem modo e. o.*

Quanquam & in his) Goth. *quanquam & in iis.*

Quæ quibus anteponas) Goth. *quæ quibus anteponam.*

Magis id inſurgebat) Goth. non habet pron. *id.*

Nam etſi plus eſt) Goth. perinde ut reliqui Codd. omittit vocem a Regio adoptatam *etſi.*

Ineſt tamen compoſitioni decor) Goth. *Vicit tamen compoſitionis decor*, quæ lectio mihi non modo non diſplicet, ſed & præferenda vulgatæ videtur.

Numeros ῥυθμȣ̀ς accipi volo) In Goth. a prima manu ῥυθμȣ̀ς, ſed correxit nonnemo fecitque ῥυθμοῖς.

Non rythmi i. e. numeri) Goth. *rythmi in numero.*

Ρυθμὸς aut par eſt) Goth. *Ρυθμὸς eſt aut par*, favetque adeo duplici nomine Regio, primum, quod τὸ *eſt* agnoſcit, quanquam alio loco, quam quo ille collocavit, deinde quod τὸ *rythmus* Græcis literis ſcriptum eſt, quod ille itidem malebat.

Aut ſeſcuplex eſt) Goth. *aut ſeſcuplum.*

Alio quoque modo tempora tria) Goth. *a. q. m. ut tempora tria.*

Nam eſt ex brevi & longa) Goth. *nam eſt & brevi & longa.*

Rythmo indifferens eſt, dactylusne ille priores habeat breves an ſequentes. Tempus enim ſonum metitur &c.) Goth. *Rythmo indifferens, dactylus ille priores habet breves an ſequentes. Tempus enim ſolum metitur.* Recte omnia niſi quod *habet* poſitum pro *habeat.* Puto enim *indifferens eſt* noluiſſe dicere Fabium, quod *eſt* in voce *intereſt*, quæ proxime præcedit, latet. Ceterum male editum: *tempus ſolum metitur.* De rythmo enim ſermo eſt, qui ſolum h. e. tantummodo tempus ejusque quantitati metitem.

Ad poſitionem iisdem ſit ſpatiis pedum. In verſu pro dactylo) Goth. *Ad poſitionem iisdem ſpatiis. Proinde alia ad dimenſionem verſuum pro dactylo.*

Pæan eadem ratione) Goth. *penes eandem rationem.*

Quomodo cœperant) Goth. *q. ceperant.*

Tranſitum in aliud genus rythmi) Goth. *tranſitum. Id in aliud genus rythmi.* De μεταβολῇ vel tranſitu, conſulendi ſcriptores rei Muſicæ, unde vocem illam mutuati ſunt Rhetores.

Ubi tempora etiam a. m.) Goth. *& ubi t. e. a. m.*

Inde τετράσημον, πεντάσημον) Goth. *inde* τετρασημεῖον, πεντασημεῖον.

Tempus eſt unum in compoſitione) Goth. *tempus eſt. Unde in compoſitione.*

Et contra nihil eſt proſa ſcriptum, quod non redigi poſſit in quædam verſiculorum genera) Goth. *contra nihil quod proſa ſcriptum non redigi poſſit in quædam verſiculorum genera vel in membra.*

Sed in adeo moleſtos) Goth. ſed tam *immodeſtos.*

Lyricorum quædam carmina) Goth. *Lyricorum quorundam carmina.* Non neceſſaria videtur hic medela, quam Cl. Burmannus huic loco quærit. Nam poteſt & carmen lyricum a moleſto Grammatico, verſus modo extendente, modo contrahente, modo transponente etiam, in varias menſuras cogi.

Poſi-

Poſitione ad finem usque decurrunt) Goth. *ad poſitionem usque decurrunt.*

Id quod Cicero) *Et quæ Cicero* Goth.

Ut magis non ἄῤῥυθμον)Goth. *Ut magis non arythmum,quod eſſet inſcitum atque agreſte, quam rythmum &c.* Non puto vero conſentaneam Regii conjecturam, qui ῥυθμῷ ſ. rythmo ſubſtituit εὔρυθμον. Εὐρυθμίαν in oratore non repudiat Fabius, qui & corporis decentem motum lib. I. c. 10. εὐρυθμίαν appellat, eamque vel maxime requirit. Repudiat vero ῥυθμὸν h. e. numeri ſtudium nimis apertum, quale poetæ præ ſe ferunt.

Eſſe nolumus, tamen eſſe nolumus) Utrobique Goth. *volumus.*

Ex pedibus) *E pedibus* Goth.

Quid ſit igitur potius quam numerus & oratorius numerus) Goth. *Q. ſ. i. potius numerus & oratoris numerus.*

Ubicunque jam dixero) Goth. *ubicunque dixero.*

Jam probata & electa) Goth. *jam probata & edocta.*

Nam vel dura inter ſe commiſſa) *Nam velut dum inter commiſſa* Goth.

Sed & figuras mutare) In Goth. deeſt &.

Etiam ſine numero) Goth. *Et ſine numero.* Mox & diſtinctio major poſt vocem *poſcit.* Ceterum exempla illa *vitaviſſe* vel *vitaſſe*, *deprehendere* vel *deprendere*, & coitum ſyllabarum complectuntur. Cur igitur Fabius mox tanquam novi quid allaturus: *coitus etiam Syllabarum non negabo?* An ſtatuendum transpoſita illa eſſe? Quanquam & particula *nam* exci-diſſe poteſt, ut per eam hæc connectantur ſuperioribus. Miror id neglexiſſe Regium, rigidiſſimum ceteroqui textus cenſorem.

Aut eloquentiæ non nocebit) Goth. *elocutione elucebit*, ut Voſſ. Sec. & Vallæ liber, quod non eſſe de nihilo putat Cl. Burmannus. Nobis hæc lectio præferenda videtur alteri, in qua eloquentiæ vox prorſus alieno loco poſita eſt, quando non de eloquentia univerſim, ſed de elocutione Fabius diſſerit.

Quod quoque loco verbum) Goth. *quod quoque loco verborum.*

Ora-

Orationis compoſitio niſi varia eſt & offendit) Goth. *O. c. niſi varia & offendit.* Ceterum ex hoc ipſo loco, ubi Fabius verſum ſibi ſemper ſimilem eſſe & una ratione decurrere, orationis compoſitionem variam eſſe debere contendit, manifeſtum eſt, non ſana eſſe ſuperiora: *Rythmi, ut dixi, neque finem habent certum, nec ullam in contextu varietatem, ſed qua cœperunt ſublatione ac poſitione ad finem usque decurrunt.* Verba: *neque finem habent certum*, ad orationis compoſitionem haud dubie ſpectant; at de ea qui dici poteſt: *nullam habent in contextu varietatem, ſed una eademque ſublatione ac poſitione ad finem usque decurrunt.* Aut ſi id verum, cur variatam hoc loco compoſitionem poſtulat Fabius? Exiſtimem igitur, rythmos eo loco opponi orationi, quam non deſcendere ad ſtrepitum digitorum mox affirmat, & ſignificare rythmos vel rythmum poeticum, unde & patet, cur ῥυθμὸν eſſe nolit compoſitionem in ſequentibus. Hoc ſi ita ſit, pro *neque* ſcribendum foret: *&*, ita ut legatur: *Rythmi ut dixi & finem habent certum nec ullam &c.* Certe alia ratione locus ille, quem commentatores intactum prætermiſere, loco, de quo nunc agimus, vix ſatis conciliabitur. Sed hæc hactenus, reliqua proxime Supplem. T. VII Sectioni XI inſerentur.

JULII PONTEDERÆ, IN PATAVINO Gymnaſio Botanices Profeſſoris, Antologia, accedunt ejusdem Diſſertationes XI.

Patavii, apud Johannem Manfré, 1720, 4.
Alph. 3 plag. 18 Tab. æn. 12.

VItæ rationem Clariſſimi Pontederæ, ordinemque, quo omnes plantas dividere ſolitus eſt, explicuimus in his Actis Anni 1719 Menſe Januario pag. 25, ubi ejus Compendium Tabularum Botanicarum relatum dedimus. Poſtquam igitur haud vulgarem in rebus Botanicis peritiam, indefeſſamque induſtriam ſuam Auguſtiſſimo Senatui Patavino ſatis ſuperque probavit, factum eſt, ut Anno 1719 ei Botanices in horto publico tradendæ munus fuerit decretum. Quam ſpartam, ut ex meri-

merito ornaret, publicis non ſolum lectionibus perfunctus, ſed & Botanicas peregrinationes aggreſſus eſt, hasque per æſtatem & autumnum usque ad brumam produxit, ſed & ſubſecuta hyeme præſentem Anthologiam, illuſtribus Gymnaſii Moderatoribus nuncupatam, conſcripſit, prout in dedicationa ipſe teſtatur.

Continet hæc Anthologia III Libros, in quorum I quæritur, quid ſit flos, quæ ejus partes, & quis earum uſus? in II quorundam philoſophantium placita de plantarum fœcundatione apicibus attributa ſub examen vocantur, & in III ea, quæ in flore Botanicorum more tractanda ſunt, & quo maxime modo floris figuram contemplantes in plantarum cognitionem adduci poſſint, exponuntur. Et quoniam in Tournefortiana methodo, cujus vis tota fere ex floribus pendet, multa deficere deprehendit, nonnulla addenda judicavit Autor Clariſſimus, ante omnia, quid in ſingulis circa Botanici hujus ſententiam monendum ſit, non minus exponit, quam ſingula exemplis pluribus illuſtrat. Flo- pag. 8.
rem definit Noſter, quod ſit pars in planta, forma & natura cæteris diſſimilis, embryoni ſemper, ſi tuba inſtructus ſit flos, vel adhærens, vel quam proxime affixa, cujus uſui inſervit; ſi vero tuba careat (ut in ſterilibus) nulli embryoni adhærens. De partibus dum 17.
loquitur, calicem ad fructum potius quam ad florem ſpectare dicit, & floris baſin eſſe ac fulcimentum, ſuaque corporatura foliorum ſtaminumque exortum fovere, quin & ipſorum progreſſum plerumque cooperire, cum Malpighio pronunciat. Hinc omnes plantas in quatuor diſtribuit claſſes, quarum prima eas complectitur, quarum calyces embryonibus ſubſunt, altera, quæ florem de ſummo embryone ferunt, tertia, quæ calyce gemino vel trigemino donantur, & quarta, quæ calyce privantur. Receptaculum corpus dicit quoddam figura diſſimi- 26.
le, atque varium, cui ſtamina & petala ſemper adhærent, & in quod tum apicum, tum petalorum ſuccus corrivari ſolet, qui a receptaculo ſenſim embryoni ſubminiſtretur: illudque modo embryonem excipere, modo ipſi imponi perhibet. Quicquid enim inter embryonem & calycem, aut deficiente calice inter craſſam & extremam caulis ramulorumque partem, quam

thalamum nuncupat, reperitur in illis ſtirpibus, quæ de media & interiori floris parte fructum producunt, & plerumque annulum refert, receptaculum vocat. Inque hujus naturam tam in floribus conglobatis, quam umbellatis ſeorſim atque ſedulo inveſtigat, ac liquoris conditionem manifeſtat, qui ex eo manans circa embryonem colligitur, huncque mollem ſervat, & inungit, quo facilius ejus partes explicentur atque diſtendan-
p. 42. tur. Pergit inde ad petalum, quod eſt folium, forma habituque inſigne, conſtans utriculis & tenuiſſimis fibrillis, in quæ a peculiaribus vaſculis ſuccus partium exilitate nobilis, quæ in fœcundis floribus primum embryonis colliquamentum inferunt, derivatur. Eſtque vel ſimplex, vel floſculoſum; illud appellatur, quod vel planum eſt, vel, ſi complicetur, eo tamen extremo, quod complicatur, ſemper clauſum remanet; hoc vero, quod tubulatum exiſtit, utraque parte, ſi a receptaculo dividatur, apertum: illud florem polypetalum, hoc monopetalum conſtituit; illud nunquam ſolum florem format, hoc ſemper ſolum, ſi illos flores excipias, qui flore pleno dicuntur.
54. Sequitur tuba, ſive piſtillum, quod eſt corpus quoddam oblongum, canaliculatum, ſummo utero affixum, cujus appendix eſt, quod altero extremo ad fructus cavitatem pertingit, altero multiformi extrinſecus patet. Hancque tubam Autor pro prima & præcipua floris parte habet, quia ſine calyce, ſtaminibus, apicibus, & petalis etiam ſemen nutritur, creſcit, & maturitatem acquirit, verum ſine tuba nequaquam, eumque in finem formatam dicit, ut per ipſam aer in fructus cavitatem delatus contentos ſuccos in motum cieat, quo facilius complicati ſeminis partes ſubire valeant. Cui muneri in floſculoſis tubis adhuc aliud accedit. Cum enim hæ in plures ramuſculos explicentur, (quod in illis floribus, qui petalis dotantur, non occurrit,) in hujusmodi tubarum parietibus ſuccus, qualis
64. in expanſo petalo ſubigitur, & ad fructum defertur, colligitur. Explicata ſic tubæ natura dividit florem in fœcundum & ſterilem, illum dicendo, qui tuba ſemper inſtruitur; hunc, qui tuba privatur, petalum autem minimum habet, hincque modo embryone penitus privatur, modo, ſi vel maxime talem

poſſi-

poſſideat, ad maturitatem tamen nunquam perducit. Staminum natura cum varia & multiplex ſit, idcirco quicquid apices ſuſtinet, ſtamen dicendum eſſe videtur Clar. Autori. Apices vero vocantur utriculorum congeries, qui peculiarem ſuccum excipiunt, & deinde per ſtamen ad receptaculum tranſmittunt, a quo embryoni porrigitur. Quemadmodum autem ingens naturæ ſolertia in ſtaminum poſitione eſt deprædicanda, ita non minori laude artificium ejusdem celebrandum venit, quo apices in quamplurimis plantis ab externis injuriis defendit; quale etiam quoad fructum non minus in genere, quam in floribus papilionaceis & conglobatis ſeorſim admiratur Noſter. Sed nec papporum uſum intactum relinquit, qui flores partim, partim ſemina reſpicit. Floribus enim inſerviunt, calycis loco eos ſuffulciendo, ſuſtentandoque: tum ne alter cum altero conjungatur, ac ut facilius ſeſe explicare & extendere queant, preſſuram excipiendo; ſeminibus vero quanquam multifariam plurimum conferant, quicquid tamen præſtant, ad hoc unum fere reducitur, ut ſemina facilius de thalamis egrediantur, atque ſeminentur. Monendum hic inſimul, de florendi ſtirpium ratione diverſa & modo quasdam adjicere conjecturas Clariſſimum Pontederam. In Libro II primum de apicibus agit, examinataque circa illorum naturam Tournefortii ſententia, illam ante omnia quæſtionem, quæ hac ætate vel maxime celebratur, num liquor apicum ad embryonis fœcundationem neceſſarius ſit, dirimit, & negando ad eam reſpondet; quatenus ſcilicet hi in nonnullis, qui fructum ferunt, non reperiuntur, & plurimæ plantæ, quibus innaſcuntur, ſteriles ſunt & infructuoſæ, ac denique, quia, quamvis adſint, non præſtant id, quod præſtare dicuntur. Hinc horum intuitu plantas in quatuor diſpeſcit claſſes, quarum prima eas complectitur, quæ eidem receptaculo, cui & embryo, inſidentes apices per ſtamina gignunt; ſecunda, quarum apices in eadem ſtirpe longe a fructu naſcuntur; tertia, quarum aliæ in eodem genere ſtamina apiceſque ferunt tantum, aliæ ſine apicibus fructum; ultima, quæ, cum apicibus ſtaminibusque careant, fructum tamen producunt, nulla alia cognata apicum ſuccum præbente.

pag. 67. 82. 99. 102. 108.

In his itaque omnibus hoc agit, ut, ſine apicum munere cre-
pag. 142. ſcere & perfici fructum, clariſſime oſtendat. Et quoniam Palmarum genus origo & fundamentum habetur, ex quo ſtirpes omnes per marium pulviſculum affici creditum fuit, ejus fœ-
170. cundationem ſeorſim explanat, hancque hypotheſin eo ipſo deſtruit. Cumque caprificandi ratio tum ad floris naturam clarius explicandam ſpectet, tum ea, quæ de Palmis retulit, ſimili exemplo confirmet, uberius de hac diſſerit. Eſt autem caprificatio, cum caprifici, ſive ficus ſylveſtris poma, quæ groſſos vocant, ſativis ficubus ſuſpenduntur, ut culices, qui groſſis innaſci ſolent, ad ſativarum poma delati iis ſe inſinuent, & ad maturitatem cogant. Hancque tam ficus, quam palmæ caprificationem ob peculiaris cujusdam regionis quidem, non autem ob
178. ſtirpium naturam neceſſariam judicat Noſter. Poſtquam igitur oſtenderat, plantas apicibus carentes a cognatarum apicibus nequaquam affici, tandem concludit, in illis ſuccum a peculiaribus vaſculis ad embryonem deferri, cujus portiuncula per tubas diffundatur, & ſeminibus explicandis inſerviat. In
188. Libro III duo florum genera conſtituit, quorum altero florem imperfectum, altero perfectum complectitur. Imperfectum illum vocat, qui tuba tantum plerumque conſtat, ſummo embryoni affixa, petalis autem, aliquando etiam ſtaminibus apicibusque caret, ſemperque fœcundus eſt; perfectum vero, qui minimum vel petalis & tuba ornatus eſt, ſi fœcundus, vel pe-
189. talis tantum, ſi ſterilis fuerit. Imperfectum in filamentoſum & apetalum ob tubæ diſcrimina diſtinguit, ſiquidem illius tuba filamentoſa ſive ſimplex, ſive ramoſa, hujns folioſa, aut inſtar columellæ craſſa exiſtit. Perfectum vel monopetalum, vel polypetalum eſſe dicit; illum, cujus petalum unicum & tubi formam repræſentans, ſingulis floribus inſidet, hunc, ubi plura petala ad ſingulos flores diſpoſita ſunt; hocque ſigno unum
233. ab altero diſtingui poſſe contendit, quod in monopetalis ſtamina affigantur petalis, in polypetalis ſoluta receptaculo in-
238. ſideant; hacque pariter ratione flos monopetalus ab imperfe-
240. ctis floribus ſeparatur. De cetero adhuc monet Autor, in generum diſtributione non ſterilem, ſed fœcundum florem eſſe attendendum.

Diſ-

Diſſertationes huic libro adjectæ ſunt ex illis, quas Clar. Pontedera in Horto Publico Patavino Anno 1719 habuit. In harum prima & ſecunda ſtirpium principia proponit, floris, fructusque partes, quibus Tournefortiana methodus innititur, diligentius explanando. In tertia ordinem, quo plantarum hiſtoriam traditurus erat, breviter commemorat, & quo plenius auditoribus ſuis ſatisfaciat, quantum ejus a Tournefortiana methodus diſtet, adjicit. In quarta multa de ſtirpium facultatibus diſputat, & in ſeptem reliquis floris floſculoſi, quem conglobatum vocat, ceteri vero Botanici compoſitum, rationem exponit. Sub calce denique addidit generum Tournefortianis generibus adjunctorum, ſtirpium minus cognitarum, rerum magis notabilium Indices, & Tabularum explicationem.

Schleſien mit ſeinen unterirrdiſchen Schätzen etc.

h. e.

GEORGII ANTONII VOLCKMANNI,
Phil. & Med. Doct. & Practici Lignicenſis,
Sileſia ſubterranea.

Lipſiæ, apud Maurit. Georg. Weidmannum, 1720, 4.
Alphab. 2 Tab. æn. 54.

CUm a prima ætate ſingulari ſtudio Autor ad inveſtigationem rerum natura abſconditarum ferretur, & a Patre Botanices peritia ab ætatis anno 15 imbutus eſſet, id conſecutus eſt, ut Botanicum opus ab eodem patre affectum, & quinque voluminibus tunc conſtans, ad X tomos producere non dubitaverit, quibus omnia comprehendit, quæ ad penitiorem plantarum ſcientiam pertinent, nomina quippe ſingularum plantarum, notas generum & ſpecierum, vires, & chymicorum operationes, & mechanicos uſus explicans, & ut in nulla parte ſtudioſos falleret, earum imagines, ſuo penicillo coloribus propriis depingens. Hoc vero exantlato labore, ad ingenium quaſi ſuum propius rediit, & perquirendis terræ ſuæ intimis ſe totum dedit, & omnis generis foſſilia Sileſiæ ſumma indu-

ſtria inſpexit & rimatus eſt, & ſepties non minus ſummos montes aſcendit & emenſus eſt, valles percurrit, & in foſſas profundiores ſe demiſit, non ſine periculo & rei ſuæ detrimento: idque ideo, quoniam hæc talia plenius cognoſcere, in primis ad medici partes facere credebat: qua vero induſtria, dum omnia propius contemplatus eſt, ut majorem laudem conſecutus eſt, ita & certior fides autori merito tribuitur, quando, aliorum motus exemplo, in ſuæ patriæ finibus conſtitit, ejusque theſauros altius deſoſſos juſta opera eruit conſpiciendosque exhibuit, quo de patria egregie meruit, & eruditos, harum rerum amantes, arctius ſibi devinxit. Neque deterreri ſe paſſus, quod jam ante Schwenckfeldus foſſilium Sileſiæ catalogum conſarcinaſſet, cum minima pars hic deſcriptorum & repertorum in eo compareat. Vernacula uſus Autor eſt, ut ab iis intelligeretur, quorum maxime intereſt, & quorum præcipue in gratiam calamum arripuit. Hunc vero in ſcribendo ſervat ordinem, ut capite I de gemmis agat, quæ, Autoris ſententia, ex duplici principio originem trahunt, ex alba criſtallina terra, quæ corpus quaſi conſtituit, & ex puro fixo ſulphure, quod eſt vice animæ, quæ juxta eum exhalationibus mineralibus unitur corpori, unde colorum virtutumque eſt varietas. Singulas ſpeciatim deſcribit Cl. Autor, & omnium feracem eſſe Sileſiam prædicat, etſi pretio cum aliis non omnino contendi debeant. Caput II exhibet lapides vulgares, marmor, gypſum, calcarium lapidem, tophum & ſimiles, quorum copia effoditur in Sileſia, & inprimis jolithi, laudatæ virtutis, largus proventus eſt. Capite III recenſentur lapides, qui vel ipſi figura ſua aliquid externum referunt, vel quibus alieni corporis figura impreſſa eſt, qui magno numero, forma indoleque, varii ex Sileſiæ fodinis proferuntur, & tanquam certa infinite perfecti auctoris, & univerſi diluvii, veritatis teſtimonia allegantur, diverſæque eorum ſpecies recenſentur, quorum pars non minima: quoniam vero in cryptis ſubterraneis formantur, Autor occaſione arrepta, Sileſiacas cryptas deſcribit amplius. Caput IV ſiſtit ligna & vegetabilia reliqua, cum floribus & fructibus, petreſacta, quæ pariter ab univerſi diluvio omniumque colluvie

deri-

derivat Noſter, quanquam & ſingulares eluvies quandoque factas eſſe, & noſtra ætate fieri, non plane it inficias. Non exiguam autem copiam petrefactorum gremio ſuo concludit Sileſia, quæ Autor laudanda induſtria collegit, & in varias claſſes per ſpecies digeſſit, quo pleraque vegetabilia, quæ lapides facta ſunt, ex propriis notis, vel lignorum vel foliorum, vel florum, vel fructuum, dignoſcantur, quod raræ Autoris diligentiæ & Botanices non vulgaris peritiæ argumentum eſt. Inter reliquas e terra effoſſas plantarum partes merito laudatur folium vel ramus opuntiæ majoris, cujus deſcriptionem Autor §. 28 hujus capitis, & iconem tab. X num. 1 exhibet, quod omni parte integrum ſervatum in lapidem duratum eſt, & ex alia orbis remotiore parte in Sileſiam delatum eſſe, Autor minus vane conjicit. Nec minorem attentionem videntis meretur medio diffiſſus lapis arenoſus, non multum minor, cujus utrique internæ ſuperficiei inſcripta eſt filix ramoſa mas, pinnulis obtuſius mucronatis, illa quidem integra cum caule & foliis, ſervato etiam ſubinde colore viridi, ea differentia, ut, quod alterius plani ſulcis ereptum eſt, alteri adhæreat: deſcribitur illa p. 107 fig. 2 tab. XI. Corallia vulgo ad vegetabilia referuntur, quod pariter ab Autore factum eſt, & hæc non pauca numero ex fodinis Sileſiæ eguruntur, & pro marinis per diluvium univerſi eo translatis, venditantur. Nec fructibus ſuis carent cryptæ Sileſiacæ, quod Autor hoc capite §. 56 p. 119 probatum dedit, & tabulæ XXII incidi curavit, ubi conus pinaſtri alpini repentis & coni laricis icones & aurantii mali in primis notandæ ſunt. Animalium partibus in lapides converſis dives eſt terra Sileſia, quod capite V pluribus evincitur, atque inter cetera deſcriptæ exhibentur magnæ moles oſſeæ, quæ vulgo gigantium partes eſſe creduntur, ſed, quod Autor putat, belluarum marinarum ſunt reliquiæ; inde marinorum & aquatilium non exigua copia recenſetur. Ad oſſa animalium gloſſopetræ, trochitæ, entrochi, aſteriæ, belemnitæ, ſimilia referuntur & ab Autore deſcribuntur, quæ, etſi hactenus in Sileſia rarius reperta ſunt, Autor tamen certo credit, nihil inveniendis deeſſe, niſi indagatorum induſtriam; conchitis vero, cum univalvibus

ium

tum bivalvibus, univerſi diluvii teſtibus, abundat Sileſia, quod Autor docet § 31 & ſequentibus. Pars ſecunda ſequitur, quæ agit de mineralibus & metallis Sileſiæ, primo quidem capite de metallis & mineralibus generatim Autor differit, atque minarum Sileſiacarum origines prodit. Secundum de auro eſt, quo dives olim admodum Sileſia, oppidis & fodinis nomina indidit, nunc parcius effoditur & arena eluitur. In ſequentibus capitibus metallorum, mineraliumque ſpecies recenſet, & ſingulorum naturam explicat, atque ſuæ Sileſiæ Autor vindicat, quæ in primis terræ ſigillatæ varietate & abundantia luxuriat, neque mineralibus aquis thermisque ſuis caret; laudanturque capite XIV. Urnæ ſepulchrales adnumerantur ab Autore ſubterraneis, & cap. XV deſcribuntur, quales varii generis in Sileſia magno numero effodiuntur, quod a doctis viris paſſim jam obſervatum eſt. Quæ vero in urnis vetuſtate inſignibus ſæpe reperiuntur filamenta, quæque ab eruditorum aliquibus habentur pro lineis filis ex linteis, quibus involuti cineres fuerint, majore veri ſpecie Autor eſſe fibras natas judicat ex humore in oſſa ſucco adhuc aliquantum madida influo, quia in oſſium conſervatorum medio non modo reperiuntur, ſed & urnarum lateribus firmiter adglutinata ſunt, ut avelli integra nequeant. Ex quibus dictis abunde cognoſcitur, Cl. Autorem noſtrum de ſua Sileſia non minus mereri bene, quam alios, qui ſuæ patriæ ſimilem præſtiterunt operam, illud ſaltem verendum eſt, ne, ſi alii eadem agere induſtria pergent, ſæpius dicta iterum repetantur atque iterum.

RECUEIL DE DIVERSES PIECES SUR la Philoſophie &c.

hoc eſt,

COLLECTIO DIVERSARUM SCHEDArum de Philoſophia, Religione naturali, Hiſtoria, Matheſi &c. Autoribus LEIBNITIO, CLARKIO, NEVVTONO & aliis Viris celebribus.

Tomi II.

Amſte-

Amſtelodami, apud Du Villardum & Changuionium, 1720, 12 reg.

Tom. I plag. 24 Tom. II plag. 19.

TOmus prior idem eſt cum Collectione ſchedarum, quam Londini 1717 in 8 editam in Actis A. 1717 p. 440 & ſeqq. recenſuimus, niſi quod ſchedarum Leibnitianarum textus authenticus & Clarkianarum verſio Gallica tantum fuerint retenta, & ſcripta Anglica controverſias de libertate continentia ac inſtar appendicis ſubjuncta in Gallicum itidem idioma translata. De verſione illarum Germanica earumque per Cl. *Thümmigium* facta acceſſione diximus in Actis anni ſuperioris p. 542 & ſeqq. Miſſo itaque Tomo primo, ad ſecundum properamus.

Tomus ergo poſterior primo loco ſiſtit literas controverſiam de inventione fluxionum & calculi differentialis concernentes, a *Leibnitio* potiſſimum atque *Newtono* conſcriptas, quarum præcipuæ appendicis inſtar (*Newtoniana* quidem idiomate Anglicano exaratæ) jam ſubjunctæ fuerunt Hiſtoriæ fluxionum, quam parum elaboratam nec a ſtudio partium alienam Londini A. 1715 ediderat *Joſephus Raphſon*. Equidem cum lites deteſtemur, præſertim ſi nimio cum fervore, qui viros ingenio ac prudentia pollentes dedecet, feruntur, controverſiam a Scoto quodam de primo inventore methodi fluxionum ſeu calculi differentialis ſuſcitatam ſilentio prorſus præterire decreveramus, atque adeo a recenſendis Commercio epiſtolico D. *Johannis Collins* & aliorum de Analyſi promota, juſſu Societatis Regiæ in lucem edito Londini A. 1712 in 4, & modo commemorata Hiſtoria fluxionum, quæ, ſi titulo fidem habemus, originem & progreſſum iſtius methodi breviſſimo compendio & quaſi ſynoptice exhibet, conſulto abſtinuimus: fieri tamen haudquaquam potuit, ut, vel nobis maxime invitis, multa huc ſpectantia paſſim irrepſerint. Quod ſi quis legere libuerit, quæ eam in rem in Actis A. 1714 p. 133, A. 1716 p. 292 & ſqq. itemque p. 296 & ſeqq A. 1718 p. 454 & ſeqq. A. 1719 p 172, 173, p. 216 & ſeqq. p. 256 & ſeqq. tandemque A. 1720 p. 137 & ſeqq. dicta ſunt; plura de his altercationibus vix deſiderabit.

Suffecerit itaque annotaſſe, Abbatem quendam Italum *de Conti*, Nobilem Venetum, de quo admiratione digna ſibi præſcripta eſſe ab *Hermanno* fatetur *Leibnitius*, cum ex Gallia in Angliam trajeciſſet, Mediatoris vices in ſe ſuſcipere voluiſſe, atque literas *Newtoni* ad *Leibnitium* deferri curaſſe, *Leibnitianas* cum *Newtono* communicaſſe. Maximum momentum reſponſionis *Leibnitianæ* in eo ſitum eſt, quod nullo argumento hactenus probaverit Newtonus cum aſſeclis, ſe habuiſſe calculum differentialem, verum tantum oſtenderit, ſe, invento ac publicato calculo differentiali & cum ſucceſſu inexpectato ad problemata difficillima applicato, methodos ſuas in calculum differentialem tandem transformaſſe. Sane in Commercio epiſtolico, in quo omne robur collocant *Newtonus* & *Newtoniani*, de calculo differentiali ne verbulum quidem occurrere: unde non mirum, *Bernoullium* in his Actis profeſſum eſſe, quod *Newtonianorum* argumentis perſuaderi non poſſet, *Leibnitium* a *Newtono* hauſiſſe calculum differentialem, etiamſi ipſemet Anglus eſſet. Deſideravit *Leibnitius*, ut probet *Newtonus*, ſe habuiſſe veram characteriſticam & algorithmum infiniteſimalium, non quod habuerit methodum tangentium & quadraturarum, ad quam calculus differentialis & ſummatorius applicari poteſt: id quod hoc ſimili illuſtrat. Habuit olim *Apollonius* theoremata, quibus continentur æquationes curvarum; ſed non ipſum calculum curvarum *Carteſii*, deſtitutus characteriſtica & algorithmo quantitatum ſeu magnitudinum. Similiter *Newtonus* habuit theoremata tangentium & quadraturarum generalia, ſed non calculum genuinum pro iis, deſtitutus vera characteriſtica & algorithmo infiniteſimalium. Idem adhuc noſtro judicio evidentius oſtenditur, ſi calculum Surdorum ante uſitatum, qualis e. gr. apud *Clavium* occurrit, cum calculo moderno compares. Nimirum *Clavius* ignorans veram characteriſticam irrationalium more tunc temporis adhuc uſitato calculum ſurdorum arctioribus limitibus coarctavit quam par erat, & per ambages præſtitit, quod veræ characteriſticæ ope multo compendioſius obtineri poterat: atque ſimiliter *Newtonus*, tandem veram characteriſticam infiniteſimalium adoptavit,

vit, & methodorum ſuarum limites produxit pariter atque ipſas methodos compendioſiores reddidit. Qui notionem artis characteriſticæ generalis & algorithmi diſtinctam habent, iis ſatis ſuperque perſpectum eſt, multum omnino momenti in characteriſtica ſitum eſſe, & idem a poſteriori probat non modo Analyſis Mathematicorum, verum ipſa etiam Arithmetica vulgaris. Enimvero per nos unusquisque ſtatuat, quod ſibi viſum fuerit, nec a nobis expectet, ut ſerram contentionis cum ipſo reciprocemus. Excerpimus itaque alia potius, quæ in iisdem literis notatu digna occurrunt. Taxat *Leibnitius* in prima ad Abbatem de *Conti* epiſtola *Newtonum*, in Philoſophia gravitatem tanquam qualitatem occultam admittentem, neque agnoſcit cum *Newtonianis* vacuum, gravitatem univerſalem & atomos, ab ipſo demonſtrata. Metaphyſicam Anglorum valde limitatam, Matheſin communem ac ſuperficiariam judicat, etſi maximi faciat meditationes phyſico-mathematicas *Newtoni*. Diſcipulos *Newtoni* parum egregii præſtitiſſe; non eſſe niſi repetitores, adeoque non aſſentitur Abbati, quod literæ nunc magis floreant in Anglia, quam alias. *Whiſtonum* fuiſſe in bono tramite; ſed perverſo zelo in transverſum fuiſſe abreptum. Ex Seculo aureo Angliæ ſolos ſuperſtites eſſe *Flamſtedium* & *Newtonum*. Materiam eſſe ait non ſubſtantiam, ſed ſubſtantiatum, phænomenon bene fundatum, quod non fallat, ſi ratiocinantes obſervent leges ideales Arithmeticæ, Geometriæ & Dynamicæ.

Sequuntur literæ *Leibnitii* maximam partem ad *Remondum*, fratrem *Remondi de Monmort*, Autoris Analyſeos de ludis fortuitis, perſcriptæ, una cum aliis quibusdam opuſculis, quæ ſunt Animadverſiones ad *Lockii* Tentamen de intellectu humano, obſervationes ad Abbatis de *S. Petro* conſilium de pace perpetua procuranda, examen principiorum *Malebranchii*, Animadverſiones ad libellum Anglicum de enthuſiaſmo, Autore Comite de *Shaftsbury*, judicium de operibus ejusdem Autoris A. 1711 ſub titulo *Characteriſticks &c.* publicatis, Reſponſio ad animadverſiones *Balii* in ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ, quæ continentur in ſecunda Dictionarii ejus Autoris editione Enotabi

tabimus hinc inde, quæ nobis notatu digna videntur. *Platonis* dogmata ſublimia ac ſolida vocat *Leibnitius*. Se multum eidem debere fatetur, nec parum de genere humano meriturum, qui dogmata Platonica in ſyſtema redigat. Se demonſtrare poſſe confidit veritates ab ipſo nude propugnatas. *Carteſium* contra nimis feſtinanter progreſſum in dogmatum maxima parte, multumque obfuiſſe eidem ignorantiam verarum regularum motus ab *Hugenio* primum animadverſarum, quamvis imperfecte, cum Metaphyſicam aſpernaretur. Monades ſolas pro veris ſubſtantiis habet; res materiales nonniſi pro phænomenis, ſed bene fundatis & connexis. Compoſitionem continui fieri labyrinthum Philoſophorum, propterea quod materiam & ſpatium tanquam ſubſtantias concipiant. Partes, in quantum non notantur in extenſione per phænomena actualia, non conſiſtere niſi in poſſibilitate, nec aliter ineſſe lineæ, niſi ut fractiones inſunt in unitate. Quodſi vero omnia puncta poſſibilia tanquam actu exiſtentia in toto concipiantur, (quod dicendum foret, ſiquidem totum eſſet aliquid ſubſtantiale ex omnibus ſuis ingredientibus compoſitum,) nos in labyrinthum inextricabilem neceſſario detrudi. Quemadmodum materia ipſi non eſt niſi phænomenon ex monadibus reſultans, ita etiam ejus inertiam nonniſi pro phænomeno habet, utpote phænomeni illius proprietatem. Neceſſe eſſe ut appareat, materiam eſſe rem motui reſiſtentem, ne effectus ſit potior cauſa, id eſt, ne in ſtatu ſequenti plus virium inſit quam in antecedente. Si materia eſſet ſubſtantia, quemadmodum vulgo concipitur, ſine miraculo, *Leibnitio* judice, non poſſet obſervare regulas convenientiæ, & ſibi relicta tantum obſervaret certas quasdam leges brutas, a neceſſitate quadam mathematica dependentes. Si quis deſideret integrum ſyſtema Metaphyſicæ *Leibnitianæ*, illum cum Theodicæa conjungere debere, quæ in Actis Eruditorum, in Diariis eruditorum, Pariſino, *Bæliano* & *Basnagiano* leguntur. Cl. *Wolfium* adoptaſſe quædam ipſius placita, ſed, cum parum aut nihil de Philoſophia cum ipſo communicaverit, non habere ſententiarum ſuarum notitiam, niſi quatenus in publicum proſtant. Apparet adeo, quando in Meditationibus ſuis Metaphyſicis

dogma-

dogmata *Leibnitiana* in clariore luce poſuit,& alia multa ab iis non abhorrentia addidit, ac ſingulas veritates cum ſingulis connexas in ſyſtema geometrico ſimillimum redegit, id quidem ipſum de ſuo feciſſe. Atque idem etiam *Wolfius* ipſe jam publice profeſſus eſt, quemadmodum monuimus in Actis A. 1720 p. 543. Cum *Leibnitius* Viennæ eſſet, in gratiam Sereniſſimi Principis *Eugenii*, Herois maximi, conſcripſit diſcurſum de Philoſophia ſua, cujus cum literis d. 26 Aug. A. 1714 datis participem fecit *Remondum.* Ejus, ut videtur, cura in Diario Gallico, quod ſub titulo Europæ Literatæ in Batavia prodit, Menſe Novembri A. 1718 lucem publicam adſpexit ſub titulo *Principiorum* de Natura & Gratia in Ratione fundatorum, & idem circa finem anni ſuperioris a *Kœhlero* in Germanicum idioma ex Apographo Gallico, quod Viennæ a *Leibnitio* acceperat, translatus & *Monadologiæ* titulo inſignitus. Quoniam *Leibnitius* confidit, hoc ſcriptum apprime facere ad Philoſophiam ſuam ſeu Metaphyſicam (reliquas enim Philoſophiæ partes vix attingit) rectius intelligendam;id ipſum integrum his Actis inſerere nulli dubitabimus. Mentionem injicit *Leibnitius* in literis ad *Remondum* cujusdam *Analyſeos ſpecioſæ generalis*, quæ dubio procul eadem eſt cum *arte characteriſtica combinatoria*, cujus jam olim in literis ad *Oldenburgium* Tom. 3 Operum *Walliſii* mentionem fecit. Hactenus præter nudum nomen nihil hujus artis dedit,ſed ſe daturum eandem confidebat, ſi quidem fuiſſet minus diſtractus, aut magis juvenis, aut ſociis non deſtitutus. Hujus artis notionem diſtinctius evolvit, quomodo ſit invenienda aperuit, cur hactenus nondum ſit in poteſtate & quæ ante ſint detegenda docuit, leges quasdam generales monſtravit, & plura ſe in opere Philoſophico Latino de ea daturum promiſit *Wolfius*, tum in Meditationibus ſuis Metaphyſicis, tum in Ratione Prælectionum ſuarum, de quibus diximus in Actis A. 1720 p. 371 & A. 1719 p. 118. *Leibnitius* judicat, *Lockium* habuiſſe ſpeciem quandam Metaphyſicæ ſuperficiariæ,ſed methodum ignoraſſe Mathematicorum. Dolet, *Paſcalium* ingenii mathematici pariter ac metaphyſici, ſtudiis theologicis & auſteritate vitæ impeditum, quo minus plura daret ſe & ſcientia digna. *Danielis* Jeſuitæ Iter

per mundum *Carteſii* ipſi non ſatisfacit. Opera *Suiſſeti*, qui Matheſin ad Philoſophiam Scholaſticam applicavit, profunda vocat & lectione digna. Nihil ſe contemnere ait præter artes divinatorias, quas fraudes meras eſſe agnoſcit. Se reperiſſe aliquid, quod æſtimari debeat, in arte *Lullii*: quale vero id ſit, non docet, niſi quod addat, Digeſtum Sapientiæ P. *Ives* Capucini ſibi valde placuiſſe, quod repererit medium generalia *Lullii* ad particularitates utiles applicandi. *Carteſium* præfert *Gaſſendo*, etſi hunc in omni eruditionis genere apprime verſatum, non diffiteatur. Agnoſcit, Ethicam cum Metaphyſica ſororio vinculo inter ſe connecti, quemadmodum Phyſica cum Matheſi connectitur: id quod re ipſa oſtendit *Wolfius*, qui primus theoriam ac praxin moralem cum principiis metaphyſicis arctiſſime connexam dedit, quemadmodum monuimus in Actis hujus anni p. 36 ſequ. Metempſychoſin rejecit, tanquam ſine ſaltu, in ordine Naturæ haud quaquam admittendo, minime explicabilem. Operæ pretium judicat, ſi quis *Plinio* adderet a recentioribus detecta: cui labori imparem judicat *Harduinum*, parem vero *Fontenellium*. In *Cudworthi* ſyſtemate intellectuali deſiderat meditationem tanto operi convenientem. Cum vacuo & atomis omnem Philoſophiam *Newtoni* corruere arbitratur, quamprimum principium rationis ſufficientis conceditur. Equidem non deeſſent plura notatu digna, quæ recenſeri mererentur: ſed memores promiſſi proxima Sectione Supplem. ſubjungemus potius Principia philoſophiæ *Leibnitiana*, quæ Vir ſummus ſummo cum ſtudio literis mandavit, cum Viennæ eſſet, quemadmodum nos certiores fecit *Kœhlerus*, teſtis oculatus, qui eadem patrio idiomate ſub *Monadologiæ* nomine edidit, quemadmodum ſupra notatum eſt. Præmittemus autem nunc non nulla de hac eorundem verſione.

Des Herrn Gottfried Wilhelm von Leibnitz Lehrſätze über die Monadologie &c.

hoc eſt,

GODOFREDI GUILIELMI LEIBNITII Theſes de Monadologia; nec non exiſtentia & attributis divinis,

vinis, mente item humana &c. una cum ultima defenſione ſyſtematis Harmoniæ præſtabilitæ adverſus objectiones Bælii, ex Gallico in Germanicum verſæ ab HENRICO KOEHLERO, Philoſ. & Juris Candidato.

Francof. & Lipſiæ, ſumtibus viduæ Joh. Meyeri, 1720, 8.
Plag. 13.

CUm theſes ipſas Supplem. T. VII Sectione XI proxime integras exhibituri ſimus, non opus eſt, ut ſummatim de iisdem dicamus. Monet Cl. Interpres in præfatione, ad eas rectius intelligendas multum conducere Meditationes Metaphyſicas *Wolfii*. Quod defenſionem ſyſtematis harmoniæ præſtabilitæ attinet, *Leibnitius* eandem A. 1714 ſuſcepit, cum Viennæ eſſet. Continetur autem notis in textum *Bælii*, qui ideo ex ipſius Dictionario ab interprete una exhibetur. Subjungitur epiſtola a *Leibnitio* ad *Auguſtum Rudolphum* Ducem Brunſuicenſem & Luneburgenſem ſub auſpicium A. 1697 perſcripta, ubi creationem ex nihilo per arithmeticam dyadicam in nummo repræſentari ſuadet.

Appendicis loco ſubnectit Cl. Interpres diſcurſum de lumine naturæ, cujus ipſe Autor eſt. In eo eſt, ut oſtendat, veritates ex notionibus diſtinctis & principiis evidentibus aliis, non vero quaslibet promiſcue opiniones ac hypotheſes ad naturæ lumen referri debere: unde methodum mathematicam medium ad hoc lumen perveniendi eſſe prædicat. Eſſe autem lumen naturæ ex numero reliquiarum imaginis divinæ atq; adeo a Deo, idem cum detrimento religionis Chriſtianæ contemni. Eidem non repugnare myſteria ipſius, etſi rationem tranſcendant; dari potius conſenſum luminis naturalis cum ſupernaturali. Supernaturali lumine adjutum magis proficere in naturali, quam iſto deſtitutum.

M. CAROLI GOTTOFREDI ENGELSCHALLI, Concion. Aul. Sax. Allocutio ad eruditos Epiſtolica, qua ipſis conſilium de nova Operum JOHANNIS DALLÆI editione exponit. Budiſſæ,

Budiſſæ, ſumptibus Davidis Richteri, 1721, 4.
Plag. 5½.

CUm in firmandis fidei capitibus, quemadmodum inter omnes conſtat, Pontificii Patrum ſanctiorisque Antiquitatis autoritati nimium tribuant, magni omnino illa facienda ſunt ſcripta, quibus, quodnam veterum Doctorum ex juſtitiæ lege ſtatuendum ſit pretium, quidve illi de doctrinis variis, aut ritibus, ſenſerint & tradiderint, ſolide luculenterque commonſtratur. Magnum autem hac in re præ ceteris nomen jam pridem eſt conſecutus *Johannes Dallæus*; cujus quo utiliora ſunt ad devincendos adverſarios monimenta, eo laudabilius S. Reverendi Autoris conſilium eſt, quo ſingula iſta, ſparſa hucusque rariusque obvia, in unum redigere corpus, atque ex Bibliotheca ſua inſtructiſſima communicare denuo cum eruditis ſibi propoſuit. Id quod inſtitutum ſuum Allocutione hac Epiſtolica indicandum duxit, multa de meritis laudibusque incomparabilis Dallæi præfatus. Fatetur equidem, inclutum hunc Doctorem tum a fidei ſuæ ſociis, Mareſio, Beveregio, & aliis, ob vindicatam divinæ gratiæ univerſalitatem, tum a Papicolis, quibus funeſtam inflixiſſe cladem videbatur, convitiorum plauſtris fuiſſe oneratum; cavillatoribus tamen iſtis ſagaciorum æquiorumque elogia opponit, ac commentarium de uſu Patrum, primum licet ingenii fœtum, reliquis omnibus palmam præripere oſtendit. Conſilium igitur eo tendit, ut ſingula Dallæi ſcripta latina, quorum indicem tradit, ſecundum annorum, quibus primum fuerunt edita, ſeriem, in unum compingat Volumen, Operique Præfationem de Vita & Scriptis illius præmittat. Ceterum varia quoque in hac Allocutione occurrunt notatu digna, Ita p. 8 in Martini Chemnitii laudes excurrit; p. 10 Joh. Gerhardum Doctorum encomiis cumulat; p. 12 judicia Eruditorum de A. Riveto affert; p. 13 de Chamiero; p. 18 de G. Beveregio; p. 20. de Canonibus Apoſtolicis; p. 21 de N. Alexandri Hiſtoria Eccleſiaſtica; p. 23 de L. Morerii, & p. 24 de P. Bælii Dictionariis erudite commentatur; imprimis vero & Scrivenerii Mareſiique adverſus Dallæum agitatas controverſias deſcribit.

Proſtat Supplem. Tomi VII Sectio X.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Martii Anno MDCCXXI.

COMMENTARIUS IN LIBRUM PROPHEtiarum Eſaiæ, Autore CAMPEGIO VITRINGA. Pars poſterior.

Leovardiæ, apud Fr. Halma, 1720, fol.
Alph. 11 pl. 7.

Cum operis hujus eruditi & ardui priorem partem recenſeremus Supplem. Tomo VII Sect. X p. 427 ſq. diligenter præfatum diximus Celeb. Autorem de inſtituto ejus & rationibus, ſimul de laboribus Interpretum clariſſimorum in Eſaiam, nec non de hujus aliarumque prophetiarum antiqui inſtrumenti interpretandarum vera methodo; & per easdem interpretationis vias, quas nuper iniverat & ut meliores probaverat, in hac quoque poſteriori parte inceſſit. Ad grammaticam autem & hiſtoricam Scripturarum Propheticarum interpretationem requiritur ex mente Autoris, ut hypotheſes interpretandæ prophetiæ prudenter jacias, & adhibita διακρίσει perſpicias, ac demonſtres, cui ſubjecto, loco, tempori prædictio conveniat juxta ſenſum ſancti Spiritus. Nam ſi in hypotheſi prophetiæ fallaris, erras tota via, dum deflectis a ſcopo: hinc inprimis diſpiciendum, num criteria prophetiæ omnia (attributa videlicet ſubjecti, διακριτικὰ) in eventu, cognoſcendo ex hiſtoria, literaliter demonſtrari queant, ſiquidem prophetiæ literale requirant implementum, inprimis cum Spiritus S. viros ſanctos olim a ſe inſpiratos ſic fari fecerit de eventibus Eccleſiæ antiquæ, aut de populis quibusdam, aut re- p. 6. 8. ſq.

gnis ejus ætatis, ut lectori ſubjecerit cogitandum, extituras procedente tempore res alias, majores, auguſtiores, quæ oculo ſpirituali inſpectæ attributa ſpiritualia earum rerum, de quibus vaticinatio fit, longe certius, perfectius & lucidius exhibituræ eſſent, quam corporalia olim conſpicienda fuerint in ſubjectis typicis analogis, quæ ſenſui & primo intellectui objiciuntur. In utriusque generis ſubjectis prophetiæ ſuum oportet conſtare implementum: ſed in his verum ac perfectum, in illis umbratile; in illis literale, in his myſticum: utrumque verum, a Spiritu S. intentum. Nec tamen id rurſus temere de omnibus prædictionibus affirmandum eſſe Autor monet, cum ſint aliæ, quarum intelligentia ad ſolum ſenſum literalem reſtringatur, ſint iterum, quæ de rebus ſub œconomia nova extituris, de Chriſto Jeſu & de eventibus regni ejus, diſerte, absque ullo involucro agant: quæ prædictionum genera ex characteribus ſuis diſcernere ad doctum interpretem pertineat. Cujus itidem peritiæ & ſapientiæ ſit, in prophetiis aſpectus myſtici non omnia attributa *τȣ ὑποκειμένȣ* ſive *ſubjecti* cujusque prædictionis, veluti *Hieroſolymæ*, *Ægypti*, *Babylonis*, *Tyri*, *Edomi*, ad *ſubjectum* analogum antitypicum referre; ſed primaria, extantiora, conſpicua, quæ obſervaverit a Spiritu S. inſignite demonſtrari, & pinguioribus lineis pingi. Quo itidem pertinet, ut ad exponendas vaticinationes antiquas interpres æquum adferat animum, qui eventus temporum inter ſe contendens, non elevet magna & illuſtria documenta divinæ providentiæ priſcæ ætatis, & geſta ſui ac proximi ævi non nimis extollat, ut Prophetam de ſimilibus eventibus ſui aut proximi ævi, licet forte juſta æſtimatione minoribus, lubentius vaticinari faciat, quam de geſtis factisque antiqui temporis, quam præjudicatam opinionem doctos & prophetici verbi ſtudioſos
p. 10. homines bene multos noſtra ætate occupare videas, cum tamen interpretem prophetiarum, recte functurum officio, univerſum complexum hiſtoriæ populi Dei animo ſuo objectum habere deceat, & momenta fatorum æqua judicii lance ponderantem, antiqua perinde ac nova conſiderare, & ſive retrorſum ſive prorſum eundum ſit, Spiritum S. ſequi ducem.

Se-

Sequitur autem in hac poſteriori parte Commentarii in Eſaiam Pars tertia Prophetiarum, prout diſpeſcuit easdem Cl. Autor, qua explicantur judicia Dei graviſſima, tum in univerſum gentibus & profeſſis hoſtibus Eccleſiæ, tum Judæis immorigeris, a Deo decreta, æque ac beneficium ſingulare liberationis veræ Eccleſiæ, ejusdemque poſt obtentam illam liberationem ſtatus glorioſus. Conſtat hic liber prophetiarum ex analyſi in priori parte a Dn. Vitringa tradita ſermonibus majoribus tribus, ita in hoc libro digeſtis, ut prima & tertia pars maxime explicent judicia gentium: media vero pars judicia Judæorum & Ephraimitarum proponat, quod cui videri poſſet paradoxum, cum prophetiæ unius argumenti, prima & tertia parte comprehenſæ, optime inter ſe conjungi videantur: nec tamen probabile Autori videtur, ſcribas ſacros id feciſſe absque gravi ratione, ſive inſpirationis & editionis ordinem ſecuti ſint, ſi aliunde ejus notitia ad ipſos pervenerit, ſive ipſius argumenti ratione moti fuerint, quod hic tuto affirmari poſſe Autor cenſet, cum in ipſis illis ſermonibus, qui adverſus Judæos directi, ſimilia judicia denuncientur hoſtibus Eccleſiæ & ejusdem generis beneficia afflictis promittantur, qualia prophetiis cognatis expreſſa ſunt. Ut patet ex cap. XXIX, 20, XXX, 23-33, XXXII, 15-20, XXX, 7-10, 17-24, coll. cum cap. XXIV, 21-23, XXVI, XXXV. Primus ſermo partis tertiæ libri Prophetiarum Jeſaiæ abſolvitur Capp. XXIV - XXVII, declarans liberationem glorioſam & ſpem Eccleſiæ poſt antecedentia judicia graviſſima, quibus Deus tum populum ſuum corruptum, tum præcipue Gentes Gentiumque Reges & Principes, populi ſui perſecutores, proſecuturus ſit. Diſtinguit hic Autor ſenſum literalem a ſenſu myſtico, ſecundum priorem proponitur tum judicium Dei graviſſimum exequendum in populum Judæum, vitiis & hypocriſi corruptiſſimum, per Antiochum Epiphanem, Syriæque Reges alios, Eccleſiæ ſævos perſecutores, tum vindiciæ promittuntur, quas Deus reliquiis electi populi, fuga diſperſis aut latitantibus in antris, ſit præſtiturus per Maccabæos, cum ſevera punitione Hoſtium & Tyrannorum, Perſecutorum Eccleſiæ: ſecundum poſteriorem autem, nimirum ſenſum myſticum,

p. 1.

p. 6. ſq.

ſticum deſcribitur judicium grave & generale a Deo immittendum in fine temporum Eccleſiæ Babylonem ſpiritualem egreſſæ, vitiis & hypocriſi corruptæ; quo facto poſtquam Eccleſia per afflictiones varii generis exercita purgataque fuerit, Deus electis populi ſui reliquiis procuraturus ſit liberationem & vindicationem a ſævis perſecutoribus, in glorioſum ſtatum libertatis, pacis, proſperitatis, cum ſpectabilibus judiciis in hoſtes, Eccleſiæ ſuæ perſecutores, & clariſſima manifeſtatione regni Dei, omnia ſua gloria ſe poſt hoc tempus oſtentaturi. Hinc verba, quibus glorioſus exitus commemoratarum perſecutionum deſcribitur, cap. XXIV, 23, *Et pudore ſuffundetur Luna & pudefiet Sol, ubi regnum capeſſiverit Jehova exercituum &c.* ex
p. 23. mente Cl. Autoris itidem geminum ferunt ſenſum: primus eſt ſimplex & obvius; tempore illo vel poſt tempus illud, quo Deus vindictam ſumeret de hoſtibus populi ſui, Regnum ejus in Rep. & Eccleſia inſtaurata ac reformata glorioſius ac ſplendidius ſe oſtentaturum eſſe, quam Solem & Lunam, lumina cœleſtia, in ſuis orbibus, ubi vel maxime luminis ſui decus, ſplendorem, majeſtatemque in oculos mortalium ingerunt. Alter ſenſus interior & reconditior eſt, illo tempore, quo Deus non typice ſed vere capeſſeret regnum, futurum eſſe, ut Sol aliquis myſticus & Luna myſtica obſcurentur & ſplendere deſinant. Intelligit autem Cl. Autor per Solem myſticum & Lunam myſticam regnante Jehova abolendam, in genere quidem Rectores politicos & ſacros, ſive Reges ac Principes mundanos & Antiſtites Religionis in quaque gente, qui ſe opponunt Regno Dei, cujuscunque fuerint civitatis ac Reipubl. ut Reges paſſim ſtylo quoque gentium Soli comparantur; ſed ſpeciatim & myſtice intelliguntur Rectores & Doctores ſive Præfecti Eccleſiæ, (eorumque præfectorum aliquis ſummus, qui PONTIFEX MAXIMUS dicitur aut ſe dici patitur, & Rector Politicus eximius, quales ſunt Reges aut Imperatores) qui loco Rectorum & Paſtorum Eccleſiæ perſecutores, imperium ac autoritatem ſuam vertunt in tyrannidem, Eccleſiamque & populum Dei ſplendore & lumine ſuo non recreant, fovent, illuminant, ſed pungunt ac feriunt, de quibus Vates ſacer Pſ. CXXI, 6, *Sol*

ſe

te non punget, ſive feriet de die, nec Luna de nocte, quorum Principum Politicorum & Eccleſiaſticorum Imperium abolendum & ſubvertendum ſit, ubi regnum Jehovæ ſe in omni vi ſua exererit, de quo videnda, quæ ad Apoc. VI, 12 Autor pluribus diſſeruit. Ceterum implementum typicum hujus prophetiæ p. 24. ſqq.
tempore Maccabæorum ex ipſa hiſtoria ſatis prolixe deducere ac confirmare Noſter ſatagit; Myſticum autem ſenſum ex ana- 25.
logis prophetiis Novi Teſtamenti declarat, ac inprimis eundem convenire ait tempori Eccleſiæ ſexto, cujus attributa Joanni exhibita ſunt aperto ſigillo ſexto Apoc. VI, 12 ſqq. quod viſum Apocalypticum non ad tempora Conſtantini, ſed ad 26.
tempus regni Chriſti Jeſu, extrema periodo Eccleſiæ glorioſe manifeſtandi, referendum eſſe, Noſter perſuaſus eſt, idque vel exinde patere arbitratur, quod attributa omnia temporis & ſtatus Eccleſiæ, qui pingitur in viſo ſigilli ſexti, in temporibus Conſtantini Magni non poſſint demonſtrari, ſecundum veras lineas & ductus imaginum, quæ in illo viſo exhibentur. Quamvis enim paganiſmus illo tempore plagam acceperit lethiferam; eundem tamen hactenus proſtratum non fuiſſe, multo minus proſtratum fuiſſe cum tam vehementi commotione & concuſſione orbis terrarum, qualis deſcribitur in viſo ſigilli ſexti, quæ prolixius executus eſt Autor in Apoc. l. c. & hanc ipſam demonſtrationem ex hac prophetia Eſaiæ, ei myſtice parallela, plurimum confirmari poſſe, hic uberius Autor ediſſerit, ita ut tandem concludat, perfectum magnarum illarum rerum, quæ 29.
hac prophetia cum Apocalyptica comparata prædicuntur, complementum in futurum adhuc expectandum eſſe. Sectio altera hujus primi ſermonis continet cap. XXV doxologiam, qua Eccleſia liberata canit ἐπινίκιον Deo Jehovæ pro inſigni liberatione, quæ ipſi obtigerat oppreſſis perditisque hoſtibus, deſtructa urbe primaria, tyrannorum ſede, manifeſtatoque regno Dei cum magna majeſtatis ejus ſignificatione; ubi per urbem magnam deſtructam Autor primo literaliter deſignari
credit urbem Babylonem, cum omni ſuo charactere, myſtice 34.
vero adverſariam Eccleſiæ urbem Romam, Babylonem illam myſticam, ſedentem apud aquas multas, hoc eſt, gerentem im-

perium in plures populos; urbem munitam, qua in collibus fundatam, olim Capitolina, nunc Vaticana arce inſignem, ad quam confluxus ſit peregrinorum & exterorum, qui in verum populum Chriſti Jeſu animo ſunt infeſto: quam urbem ſive metropolin Imperii idololatrici, ut jam labi cœpit & lapſa eſt, ſic plane abolendam deſtruendamque eſſe, tanquam quæ ſedes fuerit ſcandalorum, impietatis & tyrannidis, cum omni imperio ſpirituali ei obnoxio; id quod diſerte confirmet Apocalypſis, doceatque ſimul, hoc ipſum fore argumentum laudationis & celebrationis Eccleſiæ. Terribilia autem Dei judicia, quo ulturus ſit varios Eccleſiæ ſuæ adverſarios, Propheta c. XXVII novo & elegante emblemate belluarum marinarum ac terreſtrium gladio Jehovæ interimendarum rurſus proponit, ubi Autor poſt multas & varias ſententias allegatas hanc probabi-
p. 81. liſſimam eſſe judicat, nimirum per tres has belluas deſignari perſecutores & adverſarios Eccleſiæ, qui ſucceſſu temporis in mundo exiſterent (non ſecundum individua ſed ſecundum ſpecies ſuas) & in ſcena ejus ſuo quique tempore comparerent, per judicia divina proſternendi ac debellandi, donec regnum Dei in omni ſua gloria ſe manifeſtum faceret, & de poteſtatibus omnibus adverſariis triumpharet. Per Leviathanem igitur, ſerpentem rectum vel oblongum, intelligi poſſe illam ſpeciem perſecutorum Eccleſiæ, qui abſque ambagibus ullis, aut obtentu falſo & fucato, perſecutionem publicæ intentant Eccleſiæ Dei in his terris, cujus generis fuerunt Antiochus Epiphanes & Imperatores Romani, qui de ſuperſtitione ſuorum temporum perſuaſi manifeſte præ ſe tulerunt odium veræ religionis, avidiſſimi corporis piorum, quæ Plinii de Crocodilo loquentis phraſis ſit, Hiſt. Nat. l. VI c, 20, & patulo oris rictu intenti degludiendis veræ religionis confeſſoribus. Per Leviathanem, ſerpentem tortuoſum, id genus perſecutorum Eccleſiæ indicari, quod ſub falſa & fucata ſpecie, per gyros & ambages, obtentu religionis ipſius tuendæ, eandem exerceat erga Eccleſiam tyrannidem, quin acriorem etiam & infeſtiorem quam aperti Eccleſiæ perſecutores, quod κριτήριον ſit ejus ſocietatis hominum, quam prophetia Apocalyptica Beſtiam vocat, junctam

Pſeu-

Pſeudoprophetæ, qui cornua habebat ſimilia agno, ſed loquitur ut Draco cum Regibus & Principibus illi obnoxiis. Hanc eſſe Babylonem myſticam, Romam novam, titulo & nomine Chriſtianam, doctrina & vitiis corruptam, rubentem ſanguine martyrum, quem large hauſit, ejusque ſitibundam: hujus imperium ſeculare Eccleſiaſticum exhiberi ſub emblemate ſerpentis tortuoſi, cum nemo ſit tam ſtupidæ mentis homo, qui oculos hic aperiens non videat hujus novæ Babylonis ejusque præſidum & Doctorum eſſe λαλεῖν καὶ πράττειν διεστραμμένα, *contorta loqui & facere*, per Draconem vero, qui eſt in mari, innui Principes & Imperatores potentiſſimos, qui falſæ religioni adhucdum patrocinantur, & in vaſto mari gentium dominantur, Chriſtianiſmo oblique adverſantes, cujus generis ſint imperia Turcorum Otmanidarum, Mogulenſium & Tartaro-Chinenſium.

Secundus ſermo hujus tertiæ partis prophetiarum Eſaiæ p. 88. continet graviſſimum Elenchum errorum & vitiorum conſiliorumque carnalium Ephraimitarum vere vel myſtice dictorum, cum denunciatione ſeveri judicii, dum interim pios erigit promiſſis præſtantium bonorum gratiæ ſub œconomia Meſſiæ expectandorum. Initium habet hic ſermo c. XXVIII & abſolvitur c. XXX. Imprimis etiam accuſantur ſacerdotes & 107. Prophetæ, (per quos Autor intelligit Theologos, ſcribas, interpretes legis divinæ publicos, Aſſeſſores judiciorum,) de corrupto ſenſu in re religionis, ſtupore mentis & conſiliorum ſuorum vanitate ac ſtultitia, quos Autor ait hic deſcribi ut myſtice temulentos ac ebrios, hoc eſt, corruptam inculcantes doctrinam, qua caput gravatum impletumque habeant ebriorum inſtar, & tanquam ebrii circa inventa ſua oberrent & vagentur ſuis cogitationibus & dictis; quin etiam iis ſuperbiant, magnos capite ſuo colligentes fumos & vapores, qui faciant, ut alii omnes videant, eſſe illos plenos ſui, alios contemnere, ſibi ſapere & placere ſibi, ſuas cogitationes & ἑυρήματα ſola probare, laudare, de iis loqui, eaque commendare: dum interim tanquam ebrii judicio ſuo craſſe errent & plaga cœleſti in ſtuporem acti inſigniter ineptiant, tam in novis doctrinæ ſuæ inventis

p. 108. ventis quam conſiliis publicis. Per menſas plenas vomitu ſtercoreo c. XXIIX v. 8 intelligi Autor ait loca publica, in quibus publica profeſſio ſit doctrinæ religionis; ut ſunt Scholæ illuſtres, Acroateria, Auditoria publica, in quibus Doctores autoritate muniti doctrinas ſuas vulgant, exponunt, & ad uſum præſentibus auditoribus commendant. Quandoquidem Doctores, Sacerdotes, Proceres populi, quorum erat tueri integritatem doctrinæ & conſiliorum publicorum, adeo longe diſceſſerint a tramite veri, ut plane inepti ſint ad veram doctrinam ſalutis, fundatam in antiqua doctrina Patriarchali & Moſaica, recte percipiendam & digerendam; inprimis cum veram doctrinam & verbum gratiæ faſtidiant, ac ejus loco amplectantur doctrinam ex pluribus non cohærentibus traditionibus compoſitam, quo ſpectant verba ſequentia v. 10: *Quia præceptum ad præceptum; præceptum ad præceptum: canon ad canonem; canon ad canonem: parum hic parum illic*, quibus verbis innuatur:

110. Doctores illius temporis arrogantia & fiducia meritorum atque eruditionis ſuæ turgidos, atque vere ebrios, ineptos eſſe ad doctrinam regni cœlorum, cœleſtem, ſpiritualem, maſculam, qualis a Meſſia proponeretur, eſſe enim illos vere pueros; ad puerilis ingenii doctrinam (qualis erat τῶν παιδίων, verſantium circa τὰ ςοιχεῖα τȣ̃ κόσμȣ) accommodata habere ingenia: ſublimiorum dogmatum, quæ ad veram naturam regni Meſſiæ pertinent, eſſe incapaces; proinde eos tanquam pueros, nuper admodum ablactatos a lacte & depulſos ab uberibus, Meſſiam

111. myſteria ſuæ ſcholæ docere non potuiſſe. Certe patere ex hoc loco judicat Autor, doctrinam mere literariam & verbalem, ſive etiam pure theoreticam, non magni fieri in regno Dei, utpote quod non conſtet verbis ſed virtute. Vivam fidem, ſolida ſcientia ſubnixam, ſolam vere diſponere animum ad captum rerum ſpiritualium & cœleſtium. Qui non illuminatus ab ipſo Dei ſpiritu, veritates fidei noſtræ & interiora religionis tantum perceperit ex libris aut inſtitutionibus publicis, non ex guſtu & ſenſu illarum veritatum, dici poſſe eleganter (ſecundum ſublimiorem adſpectum hujus ſententiæ) tenere *præceptum ad præceptum, canonem ad canonem, parum hic, parum illic.*

illic. Noſſe ſcilicet talem, quid hic illic a præceptoribus ſuis audiverit; quid in hoc illo diſciplinæ noſtræ ſyſtemate legerit; quid in ſcriniis obſervatorum ad hunc illum locum adſcriptum repoſitumque habeat: noſſe igitur *præceptum ad præceptum, canonem ad canonem, parum hic, parum illic:* dum interea deſtituatur ſenſu & cognitione experimentali earundem veritatum; quæ una plus conferat ad verum earum captum, quam intenſiſſimi labores & ſtudia, quæ literaria exercitatione, ſpiritu vacua, circumſcribantur.

Sermo tertius Partis tertiæ Libri prophetiarum Jeſaiæ p. 268.
complectitur vaticinium grave adverſus poteſtates mundi, adverſarias Eccleſiæ, inque iis adverſus Imperium aliquod ſanguinarium, ſub nomine Edomi propoſitum, cui æterna & horribilis vaſtatio graphice deſcripta denunciatur: quod ſeverum Dei judicium proponitur ut argumentum gaudii & jubili Eccleſiæ veræ; poſt hoc exemplum vindictæ divinæ per orbem totum diffundendæ, cujus ſtatus felix, ſingularibus prærogativis divinæ gratiæ exuberans, ſub elegantium emblematum figuris explicatur. Continetur hic ſermo c. XXXIV & XXXV. Ubi quod ad ſubjectum hujus Prophetiæ attinet, Autoris ſententia eo redit: per gentes omnes & Edomum a Deo judicandas 273.
non videri hac prophetia præcipue intelligendas eſſe Gentes & Idumæos antiqui temporis, licet Emblema inde petitum ſit: ſed potius Gentes adverſarias regni Chriſti Jeſu, earumque gentium populum aliquem & populi illius regionem ac metropolin, ROMAM, ebriam ſive RUBRAM ex ſanguine ſanctorum & martyrum Jeſu, quam propoſitionem bimembrem Autor fuſe demonſtrat, ubi, quod ad poſterius membrum, præter traditionem Judaicam rationes petit ex prophetia Apocalyptica, in qua vaſtatio Babylonis magnæ ſive Romæ, verbis ex hoc vaticinio deſumtis deſcribitur. Hoc vaticinium excipit Pars Hi- 304.
ſtorica libri prophetiarum Jeſaiæ continens compendium quoddam hiſtoricum eventuum notabilium Regni & temporis Hiskiæ, Achazi filii, quæ hiſtoria cum reſpiciat prophetias ſuperiores: viſum eſt ſcribis aut Jeſaiæ ipſi (de quibus Autor p. c. & ſqq. diſputat) eandem ſive a Propheta conſcriptam, ſive ex

Commentariis regiis depromtam, tanquam ad prophetias ſuperiores intelligendas plane neceſſariam, ipſi huic libro inſerere: & quidem hoc potius quam alio loco, quod prophetiæ, in quibus ſpeciatim reſpiciebatur ad hunc caſum & ad tempo-
p. 307. ra Hiskiæ, hic terminarentur. Ipſa Autoris ſententia de hac re ita habet, Pericopam hanc Hiſtoricam totam eſſe a manu Jeſaiæ; Hiſtoricum autem Libri Regum id egiſſe, ut paſſim ductum ejus ſecutus, neceſſariis locis contractiorem hanc explanaverit, ut in hiſtoria morbi & curationis Hiskiæ: ut quæ plus extant in Hiſtoria Regum, haberi debeant pro hiſtoriæ hujus interpretamentis & elucidationibus.

346. Poſt Hiſtoricam partem ſequitur Pars quarta libri prophetici Eſaiæ, Conſolatorii maximam partem & Didaſcalici ac Elenchtici argumenti; quam libri partem novem capitibus, a Cap. XL usque ad XLIX, per quatuor conciones diſpertiendis, Autor complectitur. Quamvis autem magna ſit varietas materiæ in hac quarta parte: præcipuum tamen ejus argumentum eſt explicare magnum myſterium manifeſtationis regni Dei & juſtitiæ ejus in mundo per Meſſiam, ejus Præcurſorem & Apoſtolos, cum inſtauratione Eccleſiæ electorum, ad exiguum numerum redactæ, cum ſignis ejus notabilioribus præcedentibus, & mediis, tanto operi gratiæ ſubſervituris. Inter ſigna autem ejus antecedentia cum illuſtre eſſet liberatio populi Dei ex Babylone per Cyrum, conjungenda cum ipſius Babylonis deſtructione, ut typo deſtructionis regni Satanæ h. e. idololatriæ & ſuperſtitionis in orbe terrarum; inter media autem cum neceſſarium & inſigne medium eſſet convictio Judæorum & Gentium de vanitate Idolorum & idololatriæ & de veritate veri Dei ac religionis puræ ac ſpiritualis: obſervare eſt duobus hiſce articulis explanandis maximam partem harum concionum abſolvi, intermixtis ubique alloquiis conſolatoriis ad Eccleſiam electorum Dei directis. Jam ſpecialius quatuor haſce conciones hac quarta parte contentas recenſere, ſupervacaneum fore exiſtimamus, cum argumentum, fatente Autore,
558. re, affine ſit & ejusdem fere generis. Reſtat igitur ut pauca adhuc de parte quinta libri præſtantiſſimi Prophetæ, ſecundum

dum partitionem ab Autore initio operis factam, dicamus, quam ultimam libri partem pondere rerum & ἐνεργείᾳ dictionis utique eximiam, ſi comparatio locum habeat in partibus operis divini, merito dixeris, judice Autore, excellentia materiæ & figurarum orationis ſcitiſſime fictarum varietate ceteris præſtare. Propheta hic extra ſe raptus varias induit formas, modo enarrans, quid Deum aut filium ejus, modo quid chorum propheticum, loquentem audiverit; modo etiam ipſe ſe partibus miſcet, & quid ſibi mandatum ſit in uſum Eccleſiæ enunciare, exponit: deſcribens potiſſimum perſonam Meſſiæ, ejusque characteres, œconomiam ſtatus, regnum ejus fundandum inter gentes, Eccleſiæ electorum Judæorum acceſſuras, cum repudio majoris partis populi Judæi rebellis & immorigeri Evangelio: tum quoque fata illius regni & in his corruptionem in ipſo Meſſiæ populo emerſuram cum tyrannide, & Eccleſiæ oppreſſæ ac humana ope deſtitutæ vindicias terminandas in glorioſo illius ſtatu; ad quem depingendum vates aliquoties tela a principio retexta recurrit. Id vero ita exequitur, ut ſubinde figuram rei figuratæ, typum antitypo miſcere videatur, & cum vere loquatur de redemtione Meſſiæ & de fatis Eccleſiæ Chriſtianæ triſtibus aut proſperis, phraſes deſumat a redemtione & exilio Babylonico & a corruptiſſimo ſtatu Eccleſiæ, qualis eſſet circa tempora Antiochi Epiphanis, ejusque Eccleſiæ vindiciis & vindicata proſperitate. Unde patet, baſin hujus prædictionis propheticæ eſſe argumenti Didaſcalici & Conſolatorii, ita tamen ut vates hiſce ſuis conſolationibus intermiſceat Elenchos aſperrimos, quibus tum Judæos reprobos & verbo gratiæ immorigeros, tum etiam corruptum Chriſti Jeſu populum valide refutat, iisque graviſſima denunciat judicia pœnalia criminum meritis æquanda. Diſcrevit hanc materiam Autor in conciones quinque, quarum prima continetur cap. XLIX, altera cap. L, LI, tertia cap. LII-LX, quarta cap. LXI, LXII, quinta cap. LXIII-LXVI. Multa quidem hic egregia & notatu digna occurrunt, ſed ſingulas hasce conciones recenſere & multa ex iis excerpere tum nimis longum foret, tum vel propterea minus neceſſarium, quod in

hac quoque parte uti in ſuperiori ſermo Prophetæ usque ad finem libri absque ullis titulis aut inſcriptionibus novis integer decurrat, ac ſi concio tota inſtar fluminis cujusdam ex pectore a Spiritu S. toto occupato & impleto circa eandem tempeſtatem effuſa eſſet. Hoc unicum igitur adhuc commemorare liceat, quod huic Tomo adjunctus ſit index locuples & accuratus tum locorum Scripturæ Sacræ, vocumque & phraſium Hebræarum & Græcarum, quæ per occaſionem in Commentario exponuntur aut luce aliqua perfunduntur: tum rerum præcipuarum utroque Tomo contentarum, nec non Tabula Topographica antiquæ Moabitidis, ad prophetiam de hac gente libro hoc comprehenſam rectius intelligendam concinnata.

JACOBI ELSNERI, OBSERVATIONES ſacræ in Novi Fœderis libros.

Tomus I, libros hiſtoricos complexus.

Trajecti ad Rhenum, apud Jac. van Poolſum, 1720, 8.
Alph. 1 pl. 13.

QUi in Græcarum literarum monumentis ſolerter perluſtrandis ea, qua decet, pietate verſantur, omnem eruditionis copiam, ex Graiorum fontibus hauſtam, ad libros Novi Fœderis haud perfunctorie illuſtrandos merito convertunt. Etenim modo Græcas dictiones & phraſes ex uſu Autorum Græcorum rite interpretari, &, quæ loquendi ratio vel puram Græcitatem vel Hebraiſmum ſapiat, accuratius dijudicare; modo ſenſum verborum ex hiſtoria antiqua penitius explicare; modo ſententias hiſtoriasque ſacras dictis factisque gentium quadantenus parallelis illuſtrare, atque hoc pacto plurimum lucis ex profanorum autorum lectione ipſis ſcriptoribus ſacris affundere poſſunt. Cavendum tamen illis ſedulo eſt, ne ex profano Autorum Græcorum ſenſu profani quippiam ſacro textui immiſceatur; ne fidei Chriſtianæ myſteriis ex fabularum collatione fidem conciliari poſſe credatur; ne ſenſus verborum, paganis quidem uſitatus, ſacris ſcriptoribus affingatur, &, quæ ſacris

ſacris literis debetur reverentia, temerario novas opiniones excogitandi & artem criticam oſtentandi pruritu violetur. Hoſce ſcopulos ſollicite prᴂternavigare ſtuduit Autor clariſſimus, qui in optimo ᴂtatis flore ad literas Grᴂcas exornandas, & ſacras in primis ſobrie tractandas animum peregregie applicuit. Ex hoc, quem cum orbe erudito nunc communicavit, *Obſervationum Sacrarum* Tomo primo ſatis liquet, in optimis Grᴂcis Latinisque ſcriptoribus eum probe verſatum, ac non minus felicem, quam ſagacem, ſacrarum literarum eſſe indagatorem, cui poſt Grotii, Pricᴂi, Olearii, Raphelii, aliorumque induſtriam uberrima ſeges relicta fuit. In *Prᴂfatione* de uſu, quem Autores Grᴂci in explicandis Novi Fœderis libris prᴂſtant, Cl. Autor acute diſputat, &, inſtituti ſui ratione expoſita, notas MSStas, quas Stephanus Morinus aliique doctiſſimi viri ad marginem editionis Bezᴂ adſcripſerunt, Obſervationibus ſuis admixtas eſſe indicat. In ipſis vero *Obſervationibus*, ſecundum ordinem librorum ac capitum diſpoſitis, modo ex autoribus Grᴂcis, nonnunquam etiam Latinis; modo ex LXXvirali verſione & Hebrᴂorum placitis; modo ex artis criticᴂ conjecturis ac regulis, novam dictorum Scripturᴂ vel explicationem, vel, quᴂ utramque fere paginam facit, illuſtrationem affert, &, novis aliorum opinionibus ſubinde & quidem modeſte refutatis, novas ipſemet interdum ſententias ᴂquis arbitris dijudicandas proponit. Ex Grᴂcis Autoribus (ut Obſervationes nonnullas ſtrictim delibemus,) Grᴂcas dictiones & phraſes egregie exponit, & propriam illis vindicat ſignificationem. Sic in ipſo titulo Evangelii hᴂc verba: Τὸ κατὰ Ματθαῖον Ευαγγέλιον, non eſſe ſic reddenda: *Evangelium ſecundum Matthᴂum;* ſed *Evangelium Matthᴂi*, hoc eſt, a Matthᴂo ſcriptum, docet ex Polybio, Æliano, Tatiano & Juliano. Ad Marci V, 7 τὸ βασανίζειν Atticis ſignificare *torquere, cruciare*, contra Suidam affirmat, idque Ariſtophanis, Demoſthenis, Lyſiᴂ & Antiphonis teſtimoniis evincit. Quando Marci XIV, 72 verborum: καὶ ἐπιβαλὼν ἔκλαιε, a nonnullis allatam verſionem: *cum ſe foras proripuiſſet, flevit*, Cl. Raphelius ex Polybio confirmare voluit, Autor noſter locis e Polybio adductis hanc τοῦ ἐπιβάλλειν ſignificationem

tionem probari poſſe negat, & ſententia Grotii, ſic vertentis: *& addens flevit*, itidem rejecta, cum Theophylacto, Caſaubono, Salmaſio, Duporto, Lamb. Bos, aliisque, τὸ ἐπιβαλὼν per ἐγκαλυψάμενος interpretatur, ut ſit: *opertus* aut *velatus flevit*, atque ex Plutarcho & Euripide flentes velari ſolitos fuiſſe tradit. Sic Luc. II, 19 συμβάλλειν ex uſu Græcorum autorum vertit *mentem verborum probe aſſequi*; Luc. XII, 50 ἀπηλλάχθαι ἀπὸ τοῦ ἀντιδίκου, *ab actore placato dimitti*; Joan. VIII, 37 ὁ λόγος ὁ ἐμὸς οὐ χωρεῖ ἐν ὑμῖν, *ſermo meus nihil proficit* (aut, *non procedit*) in vobis: ubi τὸ χωρεῖν *feliciter procedere* apud Ariſtotelem, M. Antonium & Polybium ſignificare probat; Act. XV, 29 εὖ πράξετε, non *bene agetis*, ſed *beati eritis*, vertendum eſſe docet, Platonem, Plutarchum, & Ariſtophanem iſtac locutione hanc in ſententiam uſos eſſe confirmans. Eadem opera permultas dictiones, de quarum puritate Gatakerus aliique, Hebraiſmos ſolliciteinquirentes, dubitarunt, profanis ſcriptoribus in uſu fuiſſe commonſtrat, e. g. Matth. I, 18 συνελθεῖν de conjunctione tori; V, 6 χορτάζειν & χορτάζεσθαι de hominibus, XIX, 17 & 20 τηρεῖν & φυλάττειν νόμον de obſervantia legis; Marci V, 38 ἀλαλάζειν de luctu; Act. XXII, 28 κεφάλαιον de ſumma pecuniæ. Sic Matth. III, 6 verbum ἐξομολογεῖσθαι, quod Cl. Jenſius negabat alibi, quam in ſacris literis, occurrere, oſtendit ſæpius exſtare in Plutarcho. Sæpius etiam *locutiones ellipticas* plene exponit, &, quid ſubaudiendum ſit, evidentiſſimis exemplis docet. E. g. Matth. IV, 8 ad phraſin: πεσὼν προσεκύνησε ſubaudiendum eſt vel ἐπὶ γόνατα ex Theophraſto; vel ἐς τὴν γῆν ex Xiphilino; vel ἐπὶ πρόσωπον ex I Corinth. XIV, 25. Sic etiam Marci III, 11 ad verba: προσέπιπτεν αὐτῷ ſubaudiendum vel πρὸς τοὺς πόδας, vel τοῖς γόνασι. Sic Luc XIV, 18 ad verba: ἀπὸ μιᾶς, non ὥρας cum Fullero, nec ψυχῆς cum Druſio & Grotio, nec φωνῆς cum Lamb. Bos, nec γλώσσης cum Cl. Schœttgenio, ſed cum Beza, quem paſſim ſequitur ac maxime contra Cl. Hombergium vindicat, γνώμης ſubintelligit, ut ſit *uno conſenſu quaſi de compacto* rem gerere: plene enim Demoſthenem dixiſſe ὁμοθυμαδὸν ἐκ μιᾶς γνώμης. Confert etiam ex Apoc. XVII, 13 phraſin: μίαν γνώμην

γνώμην ἔχειν, *conſentire*, *conſpirare in ſcelus*, quod Petrus Act. V, 9 *συμφωνεῖν* dixit. Neque minus *particulas* earumque uſum accuratius reſpiciendo locis difficilioribus faculam accendit. Sic Luc. XIX, 9 verba; *εἶπε πρὸς αὐτὸν*, non vult verti: *dixit ei*, vel *ad eum*, ſed *de eo*, vel ſi mavis, *in ipſum*: atque hac ſignificatione particulæ *πρὸς* ex Luc. XX, 19, Hebr. I, 7, IV, 13, nec non ex Æliano confirmata, ſequentia verba: *καθότι καὶ αὐτὸς υἱὸς Ἀβραάμ ἐστι*, Chriſtum digito quaſi in Zacchæum intento ad alios protuliſſe, atque hoc modo omnem hujus loci difficultatem evaneſcere cenſet. Luc. XX, 3 *καὶ* vertit *age*, *agite*; & v. 13 *ἴσως* non *fortaſſe*, ſed *certe*, *ſine dubio*. Pari ſolertia non ſolum quamplurimas Philoſophorum ſententias, veritatem moralem in ſermonibus Chriſti & Apoſtolorum expreſſam continentes, itemque hiſtorias e ſcriptoribus profanis deſumtas, cum dictis ac hiſtoriis ſacris quodammodo convenientes recenſet, e. g. ad Matth. II, 9 ſtellas etiam a profanis viam interdum monſtraſſe perhiberi; ad III, 11 de luſtratione per ignem; V, 8 de pura mente ex ſententia Philoſophorum ſola *θεοπτικῇ* ſive Dei videndi capace; Luc XVI, 22 & 26 de Mercurio *ψυχοπομπῷ* & de *χάσματι*, quod profani quoque apud inferos ponunt; Joan. II, 9 de facultate aquas in vinum mutandi, Diis gentilium, Apollini & Baccho tributa; ſed etiam ex gentilium hiſtoria antiqua, conſuetudine ac ritibus nonnulla Scripturæ loca eleganter illuſtrat: e. g. quando Actor. XXVII, 40 *πηδάλια* in plurali numero ponuntur, ſingularem Beza ſtatuit pro plurali poſitum eſſe, ipſe vero in antiquis navibus bina gubernacula fuiſſe, cum Grotio monet, idque ex Æliano aliisque probat. Ne vero LXXviralem verſionem neglexiſſe videatur, ex hac quoque paſſim dicta novi Fœderis illuſtrat. Sic ad Matth. VI, 19 ex collatione *τῶν* LXX *θησαυροὺς* de *frugum acervis*, & *βρῶσιν* de *animalculo* fruges terræ corrumpente exponit. Conf. Amos VIII, 5, Malach. III, 11. Sic Matth. VI, 30 per *χόρτον τοῦ ἀγροῦ*, cum LXX Interpretes aliquoties Hebræum קש *χόρτον* reddiderint, (ut Jobi XIII, 25) cum Caſaubono *ſtipulas* intelligit, quibus illis in regionibus furnos interdum calefactos fuiſſe probabile eſt ex Exodi V, 12. Sic Lucæ XVI, 21

τὸ

τὸ ἐπιθυμεῖν, quod LXX Interpretes habent pro Hebr. חפץ Jeſa. LVIII, 2, non *deſiderare* vertit, ſed *bene ſecum actum putare, contentum eſſe, magni æſtimare*: & Actor. XIII, 17 τὸ ὑψοῦν ex uſu τῶν ό *eripere, liberare*. Nonnunquam Hebræorum quoque placita & ritus adducit, & v. g. Matth. III, 17 de *bath kol*; ad Act. XVI, 13 de ſynagogis ad fluminum ripas aut litora maris exſtructis diſſerit, atque ultimo loco Martialis *anchialum* de *templo*, quam vocem ex præcedenti verſu repetit, *ad mare ſito* exponit. Ad artem criticam vero ſpectat, quando receptam lectionem tuetur ac vindicat, e. g. Marci IV, 21 ἔρχεται, pro quo nonnulli codices legunt καίεται; Luc. XXIV, 47 ἀρξάμενον, quod recte cum κηρυχθῆναι conſtrui poſſe docet, pro quo Millius legit ἀρξαμένων. Alicubi diſtinctiones mutat, ut Marci IV, 36. ubi verba communiter ita diſtinguuntur: παραλαμβάνουσιν αὐτὸν, ὡς ἦν, ἐν τῷ πλοίῳ, ipſe vero poſt αὐτὸν *punctum* ſtatuit, & verba ὡς ἦν conjungit cum ſequentibus. E contrario Lucæ I, 64 poſt verba, καὶ ἡ γλῶσσα αὐτοῦ, cum τὸ ἀνεῴχθη non niſi καταχρηστικῶς ad linguam referri poſſe videatur, punctum tollit, eademque cum ſequentibus conjungit hoc modo: *& lingua ejus etiam loquebatur laudans Deum.* Sic interrogationem tollit Joan. VI, 70; verba, ὡσεὶ ἡμέραι ὀκτὼ Luc. IX, 28 parentheſi includit; quam Joan. II, 9 incommode factam eſſe contendit, cum verba: καὶ οὐκ ᾔδει πόθεν ἐστὶν, vertenda eſſent; *neque ſciret, unde eſſet*, & tum demum parentheſis locanda. Sic diſtinctiones capitum redarguit Luc. XXIV, 1. Denique accentum mutat, Luc. XVIII, 7, pro μακροθυμῶν legens μακροθύμων, atque adeo pro participio Deum reſpiciente genitivum ſubſtituit pluralem, cum βοώντων cohærentem & ſignificantem electos *patienter ferentes atque exſpectantes.* Critici etiam partes exornat, quando non ſolum Autores profanos ab aliorum emendationibus vindicat, (e. g. p. 27 & 52) ſed etiam novas nonnullorum Scripturæ S. interpretum opiniones refutat, e. g. Matth. V, 19, ubi ἐντολὴν λύειν a Cl. Hombergio exponitur per *præceptum explicare*. Ipſe vero Cl. Autor novas quandoque affert expoſitiones, dignas omnino, quæ majori mentis contentione excutiantur. Nempe Matth. XI, 19 verba: ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν

τέκνων

τέκνων αὐλῆς, tanquam a Judæis in Chriſtum dicta accipit, & ita vertit: *& condemnata eſt doctrina ejus a diſcipulis ſuis.* Matth. XI, 52 per καινὰ (ſubintellecta voce σκέυη) regenitos & bonos, per παλαιὰ irregenitos & malos intelligit, quos quemlibet doctorem in cœtu ſuo habere conſtat, ita ut ſemper bonis mali ſint admixti. Matth. XXIII, 23 τὰ βαρύτερα τȣ̃ νόμȣ reddit *præſtantiora legis, eximia & majoris momenti ac pretii.* Matth. XV, 5 verba, in quibus apodoſin Interpretes ſubaudiendam eſſe cenſent, ita explicat, ut priora: ὃς ἂν εἴπῃ τῷ πατρὶ κ. τ. λ. ſint permittentium, licere ſcilicet patri aut matri dicere: *Deo devotum ſit, quocunque juvari a me velles aut poſſes;* reliqua vero: καὶ ȣ̓ τιμήσῃ κ. τ. λ. ſint imperantium, repetita ἀπὸ τȣ̃ κοινȣ̃ voce λέγετε, prohibere ſcilicet Phariſæos, ne quis honoret, id eſt, non reverentia ſolum, ſed & beneficentia proſequatur patrem aut matrem. Matth. XVI, 18 πύλας ᾅδȣ interpretatur ſumma ac præſentiſſima pericula; Luc. VI, 35 ἀπελπίζοντες μηδὲν vertit *nihil deſperantes.* Luc. XVII, 34 ὁ εἷς παραληφθήσεται, καὶ ὁ ἕτερος ἀφεθήσεται ſenſu contrario accipit hoc modo: *unus comprehendetur ſive captus tenebitur, alter dimittetur & in libertatem reſtituetur.* Luc. XXII, 51 verba: ἐᾶτε ἕως τȣ́τȣ, Chriſtum non diſcipulis, ſed militibus dixiſſe, arbitratur, ut ſibi hominem a Petro vulneratum adeundi facultas detur, hoc ſenſu: *ſinite (me) ad iſtum*, ſubaudi ἐλθεῖν. Joan. X, 8 verba: πάντες, ὅσοι πρὸ ἐμȣ̃ ἦλθον, ita explicat: *omnes, qui ante me tanquam januam ovilis abierunt, & me prætereuntes* per aliam ingredi januam voluerunt. Joan. XXI, 25 nullam admittit hyperbolem, ſed verba Joannis ita exponit: *quæ etiamſi ſigillatim conſcriberentur, non tamen mundo impio* ea accepta fore, aut ad fidem illum atque obſequium permotura. Act. XXVIII, 2 ex eo, quod vipera ex manu Pauli pependerit, opinatur Melitenſes conjeciſſe, ipſum homicidio eſſe contaminatum, cum homines puniri ſoleant per eadem, per quæ deliquiſſent. Id vero an Melitenſibus in mentem venerit, dubitari omnino poteſt, quemadmodum dubium eſt, an Phariſæi puerorum acclamationem Matth. XXI, 15 ideo indigne tulerint, quod pueros Deo gratiſſimos eſſe crediderint;

itemque an Luc. XV, 23 θύειν ſignificet *ſacrificare*, quia ethnici liberis vel recens natis vel ex improviſo domum reverſis ſacrificia obtuliſſe perhibentur. Dura etiam videtur verborum trajectio, qua Act. I, 2 verba, διὰ πνεύματος ἁγίου, cum ſequenti verbo ἀνελήφθη conjunguntur. Ceterum ex iis, quæ hactenus allata fuerunt, abunde conſtat, Cl. Autorem prolixam ab orbe erudito initurum eſſe gratiam, ſi & alterum *Obſervationum ſacrarum* Tomum quamprimum typis exſcribi curaverit.

VELLEJI PATERCULI QUÆ SUPERSUNT ex Hiſtoriæ Romanæ voluminibus duobus. Cum integris Scholiis, Notis, variis Lectionibus, & Animadverſionibus doctorum. Curante PETRO BURMANNO.

Lugd. Bat. apud Sam. Luchtmans, 1719, 8.
Alph. 1 pl. 11.

Cl. Burmannus initio ſtatim Præfationis ſe fatetur nihil minus, quam de Vellejo edendo, cogitantem, bibliopolæ rogatu novam hanc editionem adornaſſe. Nec enim magni unquam fecit hunc Autorem, imo miratur, tantillo poſt Auguſtum Cæſ. tempore Velleji dictionem eousque abhorrere a naturali iſta ſimplicitate & munditie, ac tantopere acumina & ſententiarum frigus affectare. Nec vero plane abjiciendum putat hunc Autorem, ideoque nec dedignatus eſt quanto fieri potuit ſtudio in id incumbere, ut Vellejum orbi exhiberet luculentiſſimum. Hunc in finem perluſtravit omnes, quas quidem nanciſci potuit, ejus editiones, quarum Catalogum in Præfatione exhibet, de ſingulis quid exiſtimet, libere exponens, nec ſolum pædagogicas Minellianorum editiones, ſed & ipſam illam in uſum Delphini paratam editionem admodum parvi faciens. Illud felicitati ejus tribuendum eſt, quod in exemplar quoddam incidit editionis ejus, quam Nic. Heinſius A. 1678 publicavit, cui exemplari ipſe Heinſius adſcripſerat plures novas emendationes. Has igitur nunc publici juris facit Cl. Editor, iisque

iisque adjecit notas omnium usque ad Heinſium interpretum integras & illibatas, ſolius Ruperti notas omittens, nimium quippe longas, etſi bonæ frugis & exquiſitæ doctrinæ plenas. Ipſe Cl. Burmannus Velleji verba ad primam illam Rhenani editionem exegit, &, ubi tolerabilis ipſi lectio videbatur, non temere ab ea receſſit. Ex ſua quoque penu adjecit nonnihil annotationum, plura præſtiturus, niſi ob alia negotia ſubſecivis duntaxat horis operam hanc Vellejo navare coactus fuiſſet, toto quippe pectore incumbens in exactiſſimam editionem Quintiliani atque Ovidii. De Vellejo ipſo, quis qualisque fuerit, ut conſtaret eruditis, præter Lipſii & Voſſii Diſſertationes, Annales Dodwelli Vellejanos (a nobis jam A. 1699 p. 114 recenſitos,) adjunxit, imo nec præfationes omiſit præcipuarum editionum. Adjecit porro Andreæ Schotti notas nondum ante editas in Vellejum Paterculum & Jul. Frontinum *de Coloniis*, agmen claudente Bœcleri Indice plurimis locis amplificato. Subjunxit etiam Præfationi ſuæ elogia & judicia de Velleio Bodini, Sigonii, Robortelli, Junii, Lipſii, Barthii, Berneggeri, Poſſevini, Nardini, & Broukhuſii.

Noſtrum erit, lectoribus noſtris e Burmannianis annotationibus (nam, quæ jam olim fuerunt edita, recenſere non ſolemus,) nonnihil proponere. Hæ igitur Cl. Viri notæ cum partim philologicæ ſint, partim criticæ, ex prioribus *p. 4* diſcimus, *Paterculi* cognomen, quod ſæpius in Romanis lapidibus occurrit, videri ex joco habere originem, primumque ideo dictum eſſe *Paterculum*, quod vel exigua ſtatura, vel ætate prima jam pater factus, vix *patris* nomen ferre mereretur. Ad *lib. 1 cap. 3 n. 2* notat eos, qui Vellejum corrigere auſi ſunt ob repetitionem ejusdem verbi, & exemplis probat, fieri idem ſolere ab aliis iisque præſtantiſſimis ſcriptoribus. Ad *cap. 7 lib. 1 n. 1* defendit hanc Velleji lectionem: *ne in id, quod Homerus, incideret*, oſtendens pluribus exemplis, omitti haud raro ſolere præpoſitionem, ſubſequenti commati æque inſerendam: inter quæ exempla eminet locus ſacer *Actor. XIII, 2*, εἰς τὸ ἔργον, ὃ, pro εἰς ὅ, cetera. Ad *lib. 1 cap. 13 n. 5* defendit formulam *intantum*: quæ quidem argentei ævi Latinitati videtur adſcribenda. Ad

lib. 1 cap. 16 n. 5 docte propugnat vulgatam hancce lectionem: *alter ab altero videri nequiverint*. Nonnulli enim reſcribendum duxerant *nequiverit*, inter quos Cl. Jo. Clericus, acerbius ideo notatus jam in præfatione Editoris noſtri. Hic igitur multis exemplis ſuperiorem lectionem tuetur Cl. Editor, e quibus adducere libet unum illud *Ovidii: Alter in alterius jactantes lumina vultum.*

Accedimus ad notas Cl. Burmanni criticas, e quibus ſequentes diligentius conſideravimus. *Lib. I cap. 2 n. 2* ita Vellejus ait: *Eodem fere tempore Athenæ ſub regibus eſſe deſierunt, quarum ultimus Rex fuit Codrus*. Hic Cl. Burmannus pro *quarum* mallet *quorum*. Ac ſane, ſi Vellejus dixiſſet: *quorum ultimus fuit Codrus*, rectiſſime dixiſſet. At an æque bene dici poſſit: *quorum* (regum) *ultimus Rex fuit Codrus*, haud immerito dubitamus, adeoque malumus retinere vulgatam ſcripturam: *quarum* (Athenarum) *ultimus Rex fuit Codrus. Lib. I cap. 8 n. 2* hæc verba: *quo quidem in ludicro, omnisque generis certaminum, Hercules victor exſtitit;* valde exercuere Lipſium, Gruterum, Voſſium, Heinſium & Burmannum. Quid ſi legas: *omnique genere certaminum?* Ad quem modum Quintilianus Dial. de cauſ. corr. eloq. Cap. XXIX, 7: *in omni genere ſtudiorum exercitationes. Lib.* eodem *cap. 12 n. 5* in hiſce verbis: *Eamque urbem, magis invidia imperii, quam ullis ejus temporis noxis, inviſam Romano nomini, funditus ſuſtulit*, videtur Cl. Burmanno pro *inviſam* reponendum eſſe *inimicam*. Sed nobis nil immutandum videtur. En verborum σύνταξις: *Eamque urbem*, (Carthaginem,) *Romano nomini* (id eſt, Romanis) *inviſam*, (id eſt, quam odio ſummo proſequebantur Romani,) & quidem *magis invidia imperii* inviſam, *quam ullis ejus temporis noxis*, cetera. Sunt enim ablativi cauſæ impulſivæ. Scilicet cauſa odii non erat damnum aliquod eo tempore a Pœnis illatum reip. Romanæ, ſed invidia, qua tacti Romani remp. majeſtate parem vel ſuperiorem ferre nolebant. *Lib. II cap. 17 n. 3* hæc exſtant verba: *petensque Conſulatum, pæne omnium civium ſuffragiis factus eſt. Sed eum honorem undequinquageſimo ætatis ſuæ anno aſſecutus eſt*. Hic mire ſe torquent Critici. Acidalius τὸ *factus*

ctus mutatum vult in *aptus*; Gruterus & Voſſius in *nactus*; Grævius & Munckerus, quibus ſubſcribit Cl. Burmannus, vulgatam ſcripturam tuentur, dictum eſſe putantes *factus eſt* pro *Conſul factus eſt*. Nos equidem non dubitamus ſentire cum Heinſio, qui gloſſema ſubodoratus (quod credimus ortum eſſe ex his margini adſcriptis verbis: *factus Coſ.*) hunc reſcribit in modum: *petensque -- -- ſuffragiis eum honorem*, cetera. Fortaſſe & gloſſema latet in iſtis verbis *lib. II cap. 11 n. 1: immodicus gloriæ, inſatiabilis*. Cl. Burmannus quidem ſuſpicatur, ita ſcribi oportere: *opum modicus, gloriæ inſatiabilis*. At malimus credere, *τὸ inſatiabilis* e margine irrepſiſſe in textum. *Lib. II cap. 35 n. 5* hæc verba: *Catilina fortiſſime dimicans, quem ſpiritum ſupplicio debuerat, prælio reddidit*, hoc modo emendanda cenſet: *dimicans ſpiritum, quem ſupplicio debuerat, edidit*. Sed plane incorruptus nobis videtur iſte locus, hoc ſenſu: *vitam, quam ſupplicio effundere debuerat, effudit in prælio*. Confirmat vulgatam ſcripturam alius locus *cap. 119* ita fluens: *Ceionius, autor deditionis, ſupplicio, quam prælio, mori maluit*. *Lib. II cap. 49 n. 1*. Cl. Burmannus felici verborum transpoſitione ita reſcribit: *qui cum ſine invidia floruiſſent, eminuiſſentque ſine periculo, in rep. quieta, aut certe non præcipitata, fatali ante initium bellorum civilium morte functi ſunt*. Antea par illud verborum, *in republica*, legebatur inſertum poſt *invidia*. *Lib. II cap. 59 n. 4* reperiuntur hæc verba: *Apolloniam eum in ſtudia miſerat*. Hic non abſurde ſuſpicatur Cl. Burmannus, *τὸ in ſtudia* intruſum fuiſſe a gloſſatore, cujus ævo *Academiæ* appellabantur *ſtudia*. Ne pluribus tædium creemus lectoribus talium haud amantibus, illud ad extremum obſervamus, Cl. Editorem non uno loco fateri, adhuc ſupereſſe corrupta in Vellejo loca, adeoque nondum perſanatum eſſe hunc Autorem, ſed aliquid relictum diligentiæ poſteritatis. E tot locis, quibus ſanitatem reddere ſe poſſe ingenue negavit Editor doctiſſimus, unum adſcribimus, quid nobis venerit in mentem, ſimul commemorantes. Occurrit is *Lib. II cap. 26 n. 3*, ubi hæc legimus: *Non perdit nobiliſſimi facti gloriam Calpurnia, Beſtiæ filia, uxor Antiſtii: quæ jugulato (ut prædiximus,) viro, gladio*

ſe ipſam transfixit. Quantum hujus gloriæ famæque acceſſit? Nunc virtute eminet, patria latet. Valde hæc eſſe depravata, nemo, qui ſapit, negaverit. Quanto ſtudio in emendationem intenti fuerint Critici, patet ex editione, quam in manibus habemus. At nemini conatus ex voto ſucceſſit. Fortaſſe nec nobis. Audemus tamen noſtram emendationem publicæ luci exponere, quæ hæc eſt: *Prope perdidit - - - transfixit. Quanta tum hujus gloria famaque! At nunc virtus fœminæ ingloria latet.*

JULII OBSEQUENTIS QUÆ SUPERSUNT ex Libro de prodigiis; cum Supplementis CONRADI LYCOSTHENIS & Animadverſionibus JO. SCHEFFERI, curante FRANCISCO OUDENDORPIO.

Lugduni Batav. apud Sam. Luchtmans, 1720, 8.
Plag. 21.

QUi operam ſuam in hanc Obſequentis editionem contulit Cl. Oudendorpius, eo ſtrenue niſus eſt, ut expolitum &, quantum potuit, emendatum prodiret ſcriptum alioquin valde corruptum. Igitur præter Præfationes Lycoſthenis & Schefferi, cujus utilia multa de Autore tradit, item excerpta ex Jac. Perizonii Animadverſ. Hiſtoric. c. VIII, quod ad Julium noſtrum pertinet, & doctorum virorum judicia, non tantum integras Schefferi animadverſiones, ſed & ſuas perpetuas notas, quæ laude doctrinæ non carent, adjunxit. Uſus eſt Codicibus non quidem MSStis, impreſſis tamen aliquot vetuſtioribus, a quibus vero vix tantum auxilii illi fuit, quam ab iſtis, quos Scaliger & Heinſius viri doctiſſimi manu ſua notaverant, quosque cum Cuperi & propriis ineditis adhuc obſervationibus communicavit Editori noſtro inſignis ille P. Burmannus. Horum ope & ingenio ſuo menda librariorum ſæpe tollit, & Schefferum, qui in hoc Autore divinationibus plerumque abuſus eſt, caſtigat errantemque in viam reducit. Sic cap. LX, quo Schefferus

in verbis: *Tempeſtas ſigna cum columnis evertit*, ex Livio addendum cenſuerat, *quibus ſuperſtabant*; Oudendorpius contra ex c. 77 & 109 monſtrat, poſſe illa haud inconcinne abeſſe. Cap. LXXVI, ubi ille pro *Conſæ arma in cœlo volare viſa* ſcribere voluerat *Conſentiæ*; hic cum Heinſio & Burmanno legit *Coſæ*. Recte. Error enim, ut hoc addamus, ex modo ſcribendi extitit, quo propter accentum veteres N interpoſuerunt in *thenſaurus*, *ſuccendo* apud Paullinum pro ſuccedo, *quotiens* & ſimilibus. Cap. LXXXII cum inſolens illi viſum, quod Ætna dicatur ignibus *abundaſſe*, pro ignes *evomuiſſe*; hic teſtibus eam ſignificationem adſtruit. Cap. LXXXV ille verba, *in Numantia*, mutare voluit in *ad Numantiam*; hic vero docet ex Perizonio ad Ælianum (adde notata ad cap. 110) *in Numantia* idem notare, quod circa Numantiam. Cap. CXXX verba, *a meridiano ad ſeptemtrionem*, non integra putabat ille & ſcribebat *a meridiana ora*; hic vero vulgatum non ſollicitandum, ſed idem eſſe comprobat. Præterea nomina Conſulum, quæ Schefferus reliquerat fere intacta, ex Faſtis, Pighio ceteriſque monumentis commode corrigit. Neque tamen ita ſuccenſet erroribus Schefferi, ut etiam, ubi ille verum vidit, diſceſſionem faciat; conſentit potius cum illo adeo, ut emendationes ejus aliquot locis in textum receperit, v. gr. cap. 61, 62 aliis. Interim haud raro duces ſuos ſequendo a gradu ſuo depellitur. Sic Cap. LVI parum abfuit, quin *Luce* autoritate Heinſii in *Lucæ* urbis nomen mutaſſet, & Cap. LXXIII pro *crebro fulminavit* cum Viro Clariſſimo mavult *ſereno fulminavit*: quaſi crebrior fulminatio prodigium non eſſet. Sæpe incertus mire fluctuat, ut Cap. LVI, variis variorum conjecturis allatis, quæ reſtituerent locum vexatum: *In Umbria ſemimas duodecim ferme annorum natus*, nulli fidem tribuit; cum, niſi vulgatum defendi poteſt, certiſſima ſit Broukhuſii ad Propertium, qui legit *notus* h. e. cognitus. Cap. LXI *lanam* accipit pro *lanea vitta*, ut apud Horatium *purpura* & *oſtrum* pro veſtimentis inde confectis: at quæ amplius tentat, ſupervacua videntur. Eodem capite pro *in lectiſternio Jovis*, mavult nude *lectiſternio* abjecta præpoſitione, quam tamen in talibus formulis ſervant Cæſar, Salluſtius, reli-

qui.

qui. Audet vero iſtud propter unicum Livium; at illum Schefſero patrocinari non permittit, dum loco *prærofcrunt* ex illo facere voluiſſet *prægustarunt*. Eidem imputat Cap. LXX ſcribendum judicaſſe, *e cœlo tacta*; cum potius operarum incuria *e* pro *de* obrepſerit, contra voluntatem doctiſſimi Viri, quam citatum ab ipſo cap. 55 adductusque Virgilius ſatis manifeſtant. Cap. LXXV verba: *ob hæc ipſa corruit*, varie mutat. Sed bene habent ac denotant per vel propter diſſipata ædificia corruiſſe: quo ſenſu ſæpius *ob hæc* in Livio legitur. Cap LXXVII ſcripſit Obſequens: *quod Ariciæ lapidibus plueret, ita ſupplicatio habita*. Verum nec Schefferus, nec Oudendorpius τὸ *ita* poſſunt concoquere. At Cic. XIII Fam. ep. LXX poſt *quia* etiam *ſic* poſuit, nec aliquis particulæ ſtatus controverſiam movet. Proxime iſta verba excipiens *quod* fuit cauſa turbarum, adeoque delendum. Cap. LXXXVII nomen *impenſas* Scaliger accepit pro ἐνθήκη navis; Noſter vero ipſum verbum Græcum ab Autore adhibitum eſſe autumat. Ad Cap. CIV multa obiter contulit de *Matre Idæa, Matrem* nempe illam abſolute, & *Matrem Deam* eſſe vocatam. Pariter alios Autores ita obiter paſſim voluit corrigere, vario, ut putamus, eventu. Meliora ſunt, quæ ex Apollodoro & Pauſania ad Cap. CX produxit de Tabulis, in quibus oracula conſulentes viſa ſibi & audita perſcripſerint. Ex his igitur apparet, non inutiliter quidem laboraſſe Cl. Editorem; multa tamen relicta eſſe, in quibus alii animum exercere poſſent. Certe Cap. CIII (ubi Noſter ſuſpicioni ſuæ addidit: *Meliora ſi quis adſerat, gratam mihi rem præſtabit.*) nulla difficultas eſt ſcribendi: *Simulacrum in templo quod capite adoperto fuit, apertum inventum.* Nam variatio illa in *adoperto* & *apertum* nihil moratur, utpote quæ ex Auſonio, Claudiano & aliis defendi poteſt. Et Cap CV *Fax ardens Tarquiniis late viſa*, ſi quid mutandum, *alte* pro *late* ſcribendum, quales literarum transpoſitiones ubivis obviæ ſunt. Hujuſcemodi plura poſſent afferri, quæ partim ex Hiſtoria, partim ex linguæ genio reſtituenda ſunt. Nam Latinitas hujus Autoris, uti erat ætas ejuſdem, non eſt optima eaque Criticis ſæpe fucum fecit. Verba peregrina, nova, poetica uſurpat: con-

ſtru-

ſtructiones mutat, ut quando ſecundum & quartum caſus pro ſexto ponit. Quæ omnia antea diligentius conſideranda ſunt, quam ad mutationes deveniatur.

VETERUM MONUMENTORUM QUAternio; edidit & notis illuſtravit JO. GEORG. ECCARD.

Hanoveræ, ſumtibus Nic. Förſteri, 1720, f.
Plag. 18.

CEleberrimus Eccardus, quem in Legibus Salicis & Ripuariorum illuſtrandis emendandisque laudabilem operam collocaſſe, ſuperiori anno indicavimus, eodem fere tempore hunc veterum monumentorum quaternionem, ſuis pariter notis magnam partem exornatum, in publicum edi curavit, cujus equidem conſilii Autores ipſi fuere maxime RR. PP. Pezii, quorum benevolentiæ & alacri in his literis evehendis ſtudio priora duo illius quaternionis monumenta, potiſſimam totius operis partem, ſe debere fatetur. Primum locum occupat Hathumodæ, primæ Abbatiſſæ Gandersheimenſis, Ludolpho Duce Saxoniæ natæ, vita, Autore Agio, Presbytero & Monacho coævo, cui accedit ejusdem Agii dialogus elegiaco verſu ſcriptus de obitu Hathumodæ, quod utrumque ſcriptum Celeb. Eccardus ſuis illuſtravit notis, aliquando ampliſſimis; & ad ornandam firmandamque illius ætatis hiſtoriam facere, merito judicavit. Quis autem ille Agius fuerit, nos penitus latet, niſi forte noſtram facere velimus doctam Cl. Interpretis conjecturam, qua Wicbertum, A. 880 ex Monacho Corbejenſi factum Epiſcopum Hildesheimenſem, & Agium noſtrum eundem eſſe, ſibi perſuadet. Fuit ille Wicbertus, fide Chronici Hildesheimenſis, medicæ artis peritisſimus; ob eandem autem cauſam Agius moribundæ Hathumodæ affuiſſe videtur: fuit Wicbertus Corbejenſis; nec alterius familiæ ſacræ eſſe potuit Agius, hoc enim cœnobio aliud Gandershemio illa tempeſtate non fuit magis vicinum. Jam conſtat, eruditos, ſeculi præſertim noni, plerumque nomina, quæ habebant, Germanica in Latina aut Græca mutaſſe; & *wib*, nobis

bis *weihe*, ſacrum, ἅγιον, denotat. Rabanus, qui & ipſe Maurus appellatus eſt: *Sacer uuih.* Kero: *Benedicat uuich.* Quid itaque vetat, quo minus *Wibonem* aut *Wigonem*, (ita enim Wicberti nomen contrahere ſolebant rudes majores) & *Agium* noſtrum dicamus eundem. Monumentorum a Cl. Peziis erutorum alterum eſt incerti Autoris narratio de Electione Lotharii in Imperatorem Romanorum, Lotharii, puta, Saxonis, cui Imperii ſpem Fridericum Suevum reddidiſſe dubiam, noſtri Annales, & hæc inprimis narratio a coævo memoriæ prodita ſatis loquuntur. His Cl. Eccardus e ſuo penu reliqua addidit, ex Codice Bibliothecæ Cantabrigienſis depromta, fragmentum Poematis, ex hybridarum genere, in laudem Henrici Comitis Palatini ad Rhenum A. M CC IX ab Anonymo Lotharingo decantati, notis doctiſſimis explicatum, & Cantica aliquot Seculi XI, quorum I in tres Ottones; II & III in obitum Henrici II; IV in Couradum Salicum; V in ejusdem obitum; VI in Coronationem Henrici III vivo patre Conrado; VII de Herigero Archiepiſcopo Moguntino; VIII in Heribertum Archiepiſcopum Colonienſem, luſerunt pinguia nonnulla iſtorum temporum ingenia.

Amamus hæc monumenta, faciunt enim, ut diximus, ad res patrias explicandas, & ſi non facerent, amaremus ea, quod tam egregie tam docte de variis Hiſtoriæ & Antiquitatum Germanicarum capitibus commentandi occaſionem celeberrimo Eccardo dederunt. Officium feciſſe videbimur, ſi uno alterove ſpecimine allato harum literarum ſtudioſos de illarum præ-
p. 22. ſtantia monuerimus. Fuit Hathumodæ, quam Agius ſoluta & ligata oratione celebravit, Pater Ludolphus, qui Comes primum Saxonum *per Hludovicum magnum Francorum Regem*, (ita Pium deſcribere videtur Hroſwitha) conſtitutus, poſtea alterius *Ludovici* (Germanicum merito appellavit ſequior ætas.) *dono ſuſcepit primum propriæ gentis dominatum.* Notiſſimi Principis Pater hactenus latuit; ab incertis enim recentiorum annalium rumoribus merito abſtinemus. Genus ei fuiſſe ex Saxonum Principibus, conſtans eſt opinio, neque tamen per mares deſcendit ab Witechindo; non tacuiſſit illud Witechindus Hi-

ſtori-

ſtoricus in Henrico Aucupe, qui hujus Conjugem Mathildem *de genere Witechindi Ducis fuiſſe refert.* Claruit iſta tempeſtate inter Saxones Bruno Dux Angariorum, quem Witechindo conjunctum, Annales Loiſeliani & alii memorant. Opportune Bodo in Chronico Picturato monet, Witechindum ex Geva Seyfridi Dani ſorore ſuſcepiſſe Filium Wipertum, & Filiam Haſalam, nobili Saxoni, Bernoni, poſtea nuptam. Rectius ille Giſelam, & Brunonem dixiſſet. Gevæ nomen, quod matris fuit, non eſt diverſum ab illo Gerbergæ, quo Filia Ludolphi uſa eſt, & Brunones in eadem familia plures occurrunt. Nec tamen Bruno poteſt dici Ludolphi Pater; temporum rationes id vetant. In Angaria ſub initium ſeculi noni magna bona habuit, & in Francia Saxoniaque inclaruit Ecbertus, quem *Carolum M. cunctis Saxonibus, qui inter Rhenum & Viſurgim maxima flumina inhabitant, ducem præfeciſſe,* narrat Autor translationis S. Puſinnæ. Huic Uxor fuit Ida, quæ ſanctitatis poſt obitum fama innotuit, & vivens Marito perſuaſit, ut Hirtzfeldiæ ad Lupiam Baſilicam lapideam opere polito in honorem S. Mariæ ſanctique Germani conſtrui faceret, ubi & ſepulta colitur. Ex hoc matrimonio natus eſt Warinus Abbas Corbejæ novæ, autore graviſſimo, translationis S. Puſinnæ ſcriptore, qui & aliorum fratrum Warini, & ſororis, & ex ſorore neptis, Hadvigis Abbatiſſæ Herivordienſis meminit. Qui illi fratres? Egilmarus Epiſcopus Oſnabrugenſis in Querela, cujus excerpta Ertuinus Erdmannus in Chron. Oſnabrugenſi ſervavit, Cobbonem nominat. Sed quis alter Fratrum? Autor translationis S. Puſinnæ, *Warini Fratres,* ait, *adæque clariſſimos Viros, magnis dignitatibus illuſtres & apud exteros & apud domeſticos enituiſſe.* Quis iſto tempore clarior, quis excellentior Ludolpho Saxone? Ludolphus filiolum ſuum in Albis defunctum Hirtzfeldiæ in Eccleſia penes S. Idam ſepeliiſſe dicitur in Actis S. Idæ. Quid conſuetius, quam ſepultura liberorum apud Parentes vel Avos? Idem Autor Actorum indicat, *Hirtzfeldiam hereditaria ſucceſſione* poſt fata Egberti & Idæ ab aliis & inter hos *a præclaro Comite Ludolpho poſſeſſam fuiſſe.* Agius ipſe in vita Hathumodæ narrat, venerabilem amitam ejus, quamvis jam grandæva fue-

rit, & ſenio confecta, indefeſſe morienti adſtitiſſe. Titulus Venerabilis Epiſcopis, Abbatibus & Abbatiſſis proprius eſt. Soror itaque Ludolphi fuit Abbatiſſa. Nec aliud fuit tunc ſanctimonialium Monaſterium quam Herivordienſe. Fuit adeo Abbatiſſa Herivordienſis, & Addila quidem, Tettæ defunctæ ſecundo loco ſurrogata, aſt quam Egilmarus Warini & Cobbonis ſororem fuiſſe claris verbis memoriæ prodidit. Habes ita fratres Ludolphi, Cobbonem & Warinum, habes Patrem Ecbertum, Matrem S. Idam, Avum Brunonem, Aviam Giſelam, Proavum Maternum Witechindum, Proaviam maternam Gevam, Sigfridi Dani Filiam, verbo, genus ordine longo, non clariſſimis ubique ſcriptorum teſtimoniis, (qui enim hoc in talibus fieri poteſt?) ſed quadam conjecturarum non peſſimarum ſerie contextum.

p. 36. Ita, dum Agius, fratrem Hathumodæ Regum neptem in matrimonio habuiſſe, ſcribit, docte admodum in origines Hadwigis Conjugis Ottonis Illuſtris, & Matris Henrici Aucupis inquiritur. De Brunone enim hic ſermonem eſſe, negat Cl. Autor, quod ſcriptores id in morte ejus, quam pro patria A. 880 oppetiit, non tacuiſſent. Regum adeo Neptis eſt Hedwigis, ſive Hatui Ditmari, qui Chronico picturato Lucardam vel Luitgardam quandam laudanti omnino præferendus eſt. Sed qui? dicitur neptis aut ſororis filia Regum, puta, Ludovici Germanici & Caroli Calvi, & ſane fuit Giſela ſoror Caroli germana, Judithæ & Ludovici Pii filia, uxor Everhardi Comitis & Marchionis Forojulienſis, quam inter ceteros liberos filiam habuiſſe Heilwich, tabulæ teſtamenti Everhardi Comitis a Miræo in Codice donationum primum editæ affirmant. En Hathui, Conjugem Ottonis, nomine in iſtis Tabulis in Heilwich converſo, quæ cum Berengarii Italiæ Regis Soror fuerit, ſtemma hujus Principis Francicum potius quam Longobardicum iterum hic aſſeritur & vindicatur.

DE POTU VINI CALIDI DISSERTATIO, Autore JOHANNE BAPTISTA DAVINI, Sereniſſimi RAYNALDI, Mutinæ, Regii, Mirandulæ &c. Ducis Medico.

Mu-

Mutinæ, typis Antonii Capponi, Impreſſoris Epiſcop 1720, 4. Plag. 10.

INter Medicæ Artis difficultates & veluti fluctuationes, quas medicamentorum non minus magna copia, quam parva felicitas & fallax uſus quotidie parit, ſemper ſibi ante oculos poſitum eſſe illud Hippocratis: ſaltem ne noceas; fatetur Clariſſimus Davini ſub initio hujus Diſſertationis, paucisque idcirco ait remediis ſe uſum, iisque tutis, quantum fas fuit, & pompæ nihil habentibus, ſeque beatiſſimum judicavit, quoties caſu vel conſilio in medicamenta inciderit, quibus præter innocentiæ prærogativam inſit domeſticum & gratum cum natura commercium. Hujusque generis cum ſit vinum calidum, ei commendando geminam allegat curationem. Prima concernit illuſtrem quendam Virum, Simonem Tamburinum, ſæviſſimis ventriculi & inteſtinorum doloribus, iisque habitualibus ſæpiusque recurrentibus, laborantem. Ultimi paroxyſmi A. 1702 tempore autumnali & hyemali acerbius torſerant eundem; cujus res cum, reliquis remediis fruſtra adhibitis, deſperatas crediſſent & Medici, & adſtantes, Noſter vini calidi uſum, quo dolores ejusmodi aliquando apud Coſtæum conſopitos legerat, propoſuit, & obſervantem nactus ægrum obſervavit, eodem die, quo primum in prandio illo uſus fuerat, dolorem quieviſſe, noctem ſecutam placidam, alvum, hactenus adſtrictam, ſua ſponte paulatim laxatam, vires paucis diebus recreatas fuiſſe, oblitamque penitus malorum ſuorum naturam priſtinam alacritatem vigoremque reſumſiſſe. A quo tempore ſumma fuit religio Illuſtri Viro a vino calido diſcedere, ſive prandium ſumſerit, ſive cœnulam, qua utitur tenuiſſima. Nec ulli hactenus dolori expoſitus idem, curis, quas pro bono publico dies noctesque ſuſcipit, alacriter expediundis ſufficit, octuageſimum annum jam ſupergreſſus. Altera hiſtoria reſpicit Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Stephanum Felianum, antehac Archipresbyterum civitatis Carpi, nunc Epiſcopum Mutinenſem. Hic a pueritia per intervalla aſthmati convulſivo, cum annis vires acquirenti, obnoxius, nunc ſexagenarius factus tantam reſpirandi difficultatem paſſus fuit, ut ob eam

per plures menſes lectum ingredi non auſus, certiorem tabis metum quam recuperandæ ſanitatis fiduciam ceperit, hinc inſtante autumno majorem mali atrocitatem veritus, Clariſſimum Davini ad ſe accerſi curavit. Cujus conſilium de bibendo vino calido in prandio & cœna ſecutus, proximum autumnum & hyemem proſpere transegit, & ab omni aſthmatis inſultu immunis hoc beneficium vino calido in acceptum retulit. Hujusque uſu continuato factum eſt, ut, Antiſtite interim Mutinenſi defuncto, ipſe deſignatus urbis hujus Epiſcopus per ventos nivesque brumali tempore Romam iter feliciter abſolvere, ibi per tres menſes incolumis ſubſiſtere, Mutinamque reverſus, magno animi robore curas Epiſcopatus abſolvere potuerit. Cum igitur vinum calidum ſtatim ſtomachi dolorem ſanaverit, præcipuam hoc ſuam vim in iſtius viſceris utilitatem conferre; & cum diuturno uſu tum inhibuerit recidivam doloris, tum orthopnœam extirpaverit, non diſſolvendis tantummodo flatibus, & abſtergendo favere ſtomacho, ſed etiam chyloſin emendare ac perficere hoc medicamentum, judicat Noſter. Plura etiam allegat exempla reſpirandi difficultate, atrophia ex catarrho, & hæmoptoe afflictorum, quibus vini calidi uſus admodum ceſſit feliciter. Hinc in laudes excurrit *θερμοπόσεος*, & cum veteres non ſine cauſa vinum aqua calida miſcuerint, atque noſtratium Chocoladæ, niſi hauriatur præcalida, multum venuſtatis, energiæ atque ſalubritatis decedat, exinde diſcere nos debere docet, magis amicos eſſe naturæ noſtræ potus calidos, quam frigidos, & vim ipſam potus calore excitatam explicare ſe uberius, ampliorenique fieri ac validiorem. Digeſtionem ventriculi fotu caloris in animalibus calidis juvari, in propatulo eſt, & vini calore ſtomachum emendari, nec Hippocratem latuit; qui vinum meracum, non actu ſed potentia calidum, commendavit. Quoniam vero hæc validiora vina, quæ in regione Hippocratis naſcebantur, in quotidianum uſum ſine noxa trahi non poſſunt, vina Italica, quæ moderatis turgent ſpiritibus, nec naturæ vim faciunt, nec indolem habent acrem aut inflammantem, ſuavius & tutius prodeſſe, judicat Clariſſ. Davini, ſi actualis frigoris præjudicium eis

detra-

detraxeris. Ut autem vini calidi uſus expectationi reſpondeat, victus rationem admodum temperatam ineundam, vinumque ex uvis maturis expreſſum ſeligendum eſſe jubet, taleque, quod nec durum ſit, nec indomitum, nec aquoſum nimis, ſed leniter generoſum, quodque blande ſtomacho adaptetur, & facili ac molli lapſu ſubeat urinæ vias. Hocque non tepeſcere ſolum, ſed ad eum usque gradum calefieri debere imperat, qui commode ferri poſſit; potum enim tepidum aut ſubvertere, aut debilitare ventriculum, roborare calidum. Præſtare etiam nigrum, quam album, quia illud ſtomachi fibras magis firmat, & ſpiritibus fortiorem texturam conciliat. Nec ubertim nimis bibendum eſſe, ſed pro ventriculi modulo, atque indigentia. De cetero nec corporis exercitationem negligendam, nec decedendum eſſe a potu calido, etiam poſt redditam ſanitatem, monet.

FLUIDI NERVEI HISTORIA, AUTORE JOANNE HYACINTHO VOGLI, Phil. & Med. Bononienſi.

Bononiæ Studiorum, typis Julii Borzaghi, 1720, 8.
Plag. 6.

QUanquam ex recentioribus Medicis Williſius, Malpighius, Vieuſſenius, Ridleyus, Steno, aliique cerebri generisque nervoſi anatomen curatius tradiderint, multum tamen relictum eſſe, uſum harum partium ſi ſpectes, in quo poſteri ingenii aciem exerceant, exiſtimat Clariſſimus Vogli. Quemadmodum autem cerebri productum eſſe ſpiritus animales, plerique Medicorum credunt, ita Noſter eorum elaborationem & munia explicaturus de liquidorum ſecretionibus univerſim & ſummatim agit. Ante omnia vero monendum, a ſpirituum nomine eum ſtudio abhorrere, & fluidi nervei terminum eisdem ſubſtituere. Supponit igitur, nullum ſecretionis genus in corpore viventi animato reperiri, quod originem ſuam non habeat ab arterioſo ſanguine, ſi eam excipias, quæ in hepate contingit; inter arterias & venas dari anaſtomoſin, illasque poris modo am-

amplioribus, modo anguſtioribus, diverſaque figura præditis, inſtructas eſſe, quibus certæ ſanguinis particulæ reſpondeant. Contingere hinc putat, ut ſanguinis heterogeneæ particulæ, quemcunque porum pro ſui intromiſſione aptum reperiunt, eundem ingrediantur. Quanquam autem glandulis officium peculiares humores ſecernendi non adimat, quando ſcilicet unus alterque porus ex arteria ad eas hiat, ſine tamen glandularum apparatu pariter ſecretiones fieri poſſe, ſibi perſuaſum habet. Quibus poſitis negat, cerebri corticem eſſe glandulofum, ob mollitiem, quæ tactui per univerſum cerebrum ſeſe offert; ob ſenſus defectum, ſiquidem nulla in vulneribus & vomicis cerebri creatur moleſtia; ob paucitatem arteriarum corticem lambentium; & ob quantitatem medullaris atque calloſi corporis, cinereæ ſubſtantiæ quantitatem multum ſuperantem, cum alias tubuli excretorii quantitas & extenſio glandulæ quantitate & extenſione ſuperetur. Concedit tamen, vaſa aliquot ſanguinea exiliſſima e piæ menyngis expanſionibus, cerebri ventriculos cooperientibus, in medullarem ejusdem cerebri ſubſtantiam quaquaverſum protendi, ac derivari, in eum certe finem, ut, quo major eorundem vaſorum extenſio habeatur, eo major fluidi nervei ſegregatio & ejusdem in ſpinalem medullam & nervos impulſio poſſit obtineri. In pia menynge enim organum invenit fluidi nervei ſecretorium. Certum quippe eſt, nullum animal moveri, & ne momentum quidem temporis vivere poſſe, absque fluidi illius ſubtiliſſimi per nervos influxu. Jam non deſunt exempla fœtuum, ſine cerebro natorum, quale ipſe notatu digniſſimum ſuperiori anno conſpexit, qui certe fluidi nervei copia non deſtituti, hoc in cerebro non elaborari, ſatis evincunt. Putat itaque, in motu diaſtoles ſanguinem indeſinenter intrare & perfluere arterias, eas etiam minutiſſimas, quæ piam matrem ejusdemque expanſiones præ majori parte conſtituunt, has vero arteriolas verſus quamcunque directionem ſubtiliſſimæ diametri poros nanciſci, & eo præſertim loci, ubi finiuntur, & in occurrentes venulas convertuntur; adeoque cum in ſyſtole vaſa porro hæc conſtringantur, ſanguinem ad quamcunque peripheriam appulſum, ubi

ubi reſiſtentiam non inveniet, ibi translabi; poros itaque illos ſubtiliſſimos proportionabili ſanguinis ſucco, cui reſiſtentiam tollunt, cribrum efficere; oſcula vero venarum reliquo ſanguini tranſitum concedere, hacque ratione ſanguinis ſuccum ſubtiliſſimum quidem præ ſubtilitate pororum a piæ menyngis vaſorum ſurculis ſegregari. Et cum fluidum hoc pro majori parte æthereas ſecum vehat ſubſtantias, quæ motu ſuo elaſtico, ubi minorem reſiſtentiam inveniunt, perpetuo perrumpunt, ac celerrime invehuntur, conſequenter fluidum ſpatium illud, ab abſumto per medullam ſpinalem & nervos fluido neceſſario relictum, ſemper appetere & implere conari, exiſtimat Noſter. Credit pariter, fluidum nerveum in finibus arteriarum illarum, quæ per membranaceas expanſiones diſtribuuntur, æque commode poſſe ſecerni, quo tempore contrahuntur arteriæ, & in annexam cerebri ſubſtantiam deponi, ulteriusque protrudi, quo tempore dilatantur eædem. Imo ab hoc reciproco munere non excludit illas minimas arteriarum propagines, quæ medullarem cerebri portionem quaquaverſus alteque perfodiunt. Quid? quod medulla ſpinalis & nervi omnes, cum extra calvariam quoque ad extremum usque corporis ambitum ubique membranis cingantur, a binis menyngibus immediate productis, æque capaces ſint ob eandem pororum configurationem fluidum nerveum producendi. Indeque eſt, quod in vulneribus cerebri cum deperdita ſubſtantia ſenſus & motus partium ſæpe adhuc ſuperſtes obſervatur, quando ſcilicet ex medulla ſpinali atque nervis ſufficiens ejus copia ſuppeditari poteſt. Quæ ſententia ex eo etiam corroboratur, quod, qui ſine cerebro nati ſunt fœtus, menyngibus tamen nunquam caruerint. Quanquam autem cum illis non conſentiat Autor, qui præter ſubtile fluidum craſſius etiam in nervis vehi, ſibi perſuadent, credit tamen, in plexu choroideo, in pituitaria pinealique glandula lympham quandam affatim continuoque ſecerni, eamque per peculiaria vaſcula in venoſum & refluum ſanguinem pergere, qui particulis ſuis energeticis viduatus, in amplioraque ſenſim vaſa ſe recipiens, motuque ſyſtoles & diaſtoles non amplius acceleratus, facillime conſiſteret, incraſſaretur, & canales

obſtrueret, lympha vero iſta diluitur, & ad fluendum fit concitatior. Nervos porro pro productione, non corporis calloſi, ſed menyngum habet; cerebri vero uſum in eo collocat, ut ſua mole depreſſioni piæ matris reſiſtat, molli ſua ſuperficie contactum membranarum non exaſperet, fluidum nerveum a menyngibus, earundemque productionibus jam ſeparatum non modo colligat, ſed & ſucceſſiva per ſuam ſubſtantiam filtratione amplius depuret, & attenuet. Et quia fluidum hoc, tanquam ſubtiliſſimum, facillime etiam exhalare poteſt, ubique tam in cerebro quam in medulla ſpinali & nervis univerſis ſpongioſa & medullaris ſubſtantia præſto eſt, quæ illud detineat, coerceat, atque dirigat. Juxta hoc ſyſtema motum voluntarium ita explicat: Anima jubet menynges in loco determinato adæquate moveri, ut ita ad determinatas nervorum in appoſitos muſculos tendentium propagines fluidum nerveum potentius, quam ordinario fieri ſolet, dirigatur. Sicut autem extremæ iſtæ propagines in membranam, ſubſtantiam muſculi intus inveſtientem, diſperguntur, & aperiuntur, ita fit, ut, quando e vaſculis nerveis exiliſſimis fluidum nerveum, hactenus coactum & compreſſum, in muſculi rariorem & laxiorem ſubſtantiam protruditur, ætheræ elaſticæ particulæ, quibus illud eſt refertiſſimum, a compreſſione liberatæ in muſculo reſiliant, & dilatentur, atque ita muſculum inflantes tantundem eundem abbrevient, quantum ſe dilatant. Senſorium denique commune non admittit Autor, exiſtimans, impreſſiones omnes fluido nerveo quoquomodo communicatas in ipſo ſenſorii externi limine dijudicare animam, tantumque abeſſe, ut hæc a fluidi nervei impulſione ad reminiſcendum & imaginandum determinetur, ut potius ad ſe tali modo movendum fluidum idem nerveum ab anima impellatur.

THE DOCTRINE OF CHANCES, OR A METHOD of calculating probability of Events in Play.

h. e.

DOCTRI-

DOCTRINA SORTIS, SEU METHODUS computandi probabilitatem eventuum in ludis, Autore ABRAHAMO DE MOIVRE, R. S. S.

Londini, ſumtibus Autoris, 1718, 4 reg. Alph. 1.

CUm A. 1708 in Gallia prodiiſſet tentamen analyſeos ad ludos eventus fortuiti applicatæ, ſuppreſſo Autoris *Reimondi de Monmort* nomine, (de quo vide Acta A. 1709 p. 462,) in Anglia *Franciſcus Robartes* problemata quædam propoſuit *Abrahamo de Moivre*, quæ ad aleam ſpectantia ipſi difficiliora viſa fuerant *Monmortianis*. Poſtquam Vir celeberrimus *Moivræus*, Analyſeos apprime gnarus, eadem feliciter ſolviſſet, autor eidem fuit, ut addita methodo ſolutiones publicaret. Legerat tunc nonniſi *Hugenii* de ratiociniis in ludo aleæ tractatum, & libellum Anglicum *Hugeniana* repetentem; librum *Monmortianum* perfunctorie tantum percurrerat, propterea quod obiter inſpicienti Autor unice methodo *Hugeniana* inſiſtere viſus fuerat. Quamvis autem ultro fateatur, ſe ex tractatu *Hugeniano* primas hujus doctrinæ notiones & modum arguendi in materiis iſtiusmodi hauſiſſe; methodum tamen *Hugenianam* tanquam minus genuinam ac naturalem rejecit & eidem doctrinam combinationum, aliquando ſeries infinitas ſubſtituit, quarum aliæ ſponte abrumpuntur, aliæ exacte ſummantur, aliæ ad verum convergunt. Enatum hinc eſt ſpecimen de menſura ſortis ſeu de probabilitate eventuum in ludis a caſu fortuito pendentibus, quod in Tranſactionibus Anglicanis N. 329 pro menſibus Januario, Februario & Martio A. 1711 prodiit. Iſtud poſtea uberius illuſtravit & novis acceſſionibus auxit, atque ſic tandem excrevit idem in præſens opus typis nitidiſſimis in charta auguſta exſcriptum. Dixerat *Moivræus* in præfatione ad ſpecimen, *Monmortium* variis exemplis regulas *Hugenianas* pulchre illuſtraſſe, ſed cum *Hugenio* non ea ſimplicitate ac generalitate uſum fuiſſe, quam natura rei poſtulabat: dum enim plures quantitates incognitas uſurpet, ut varias colluſorum conditiones repræſentet, ipſum calculum ſuum nimis perple-

rum reddidiſſe, dumque colluſorum dexteritatem ſemper æqualem ponat, doctrinam hanc ludorum inter limites nimis arctos continuiſſe. De hoc judicio ſæpius conqueſtus fuit *Monmortius*, cùm in privatis ad amicos literis, tum etiam publice in præfatione ad editionem ſecundam tentaminis ſui, quæ multo auctior, una cum Commercio epiſtolico Autoris cum *Joanne* & præſertim *Nicolao Bernoulliis* Pariſiis A. 1714 (in 4 reg. 2 Alph. 11 plag.) prodiit: ubi etiam ad ſingulas objectiones *Moivraeanas* reſpondet. Fatetur autem nunc in præfatione ad opus ſuum ipſe *Moivræus*, ſi plus temporis ac ſtudii in tentamine *Monmortiano* evolvendo poſuiſſet, ſe ultro confeſſurum fuiſſe, quod non modo methodum *Hugenianam* exemplis ſelectiſſimis illuſtraverit, verum etiam varia curioſa a ſe inventa addiderit. Ait etiam, ipſum in ſecunda editione varia dediſſe ſpecimina ingenii ſingularis atque capacitatis extraordinariæ.

Præmittit Autor brevem introductionem, in qua præcipuas Artis regulas methodo ſimplici ac plana exponit, ita ut iis inſiſtendo multa problemata ope Arithmeticæ vulgaris absque Algebra ſolvere liceat. Cum liber rariſſimus in paucorum manibus verſetur & ob idioma, quo conſcriptus eſt, a pauciſſimis exterorum legi poſſit, regulas ſingulas recenſeri conſultum ducimus. Sumit itaque, probabilitatem eventus eſſe majorem vel minorem pro numero caſuum, quibus contingere vel non contingere poteſt. E. gr. Si tres fuerint caſus pro eventu, duo contra eundem; probabilitatem quod contingere poſſit, eſſe $\frac{3}{5}$, quod non contingere poſſit, $\frac{2}{5}$. Sumit porro, expectationem rei æſtimandam eſſe per rei valorem ductum in probabilitatem eam obtinendi. Atque hinc deducit 1. ſi caſus, quibus obtineri poteſt a, fuerint p, quibus perditur, fuerint q, expectationem ſeu ſortem in priori caſu fore $pa:(p+q,)$ in poſteriori $aq:(p+q.)$ Supponitur hic, eventus ex ſe invicem pendere, ita ut alter colluſorum *B* perdat, quando unus *A* lucretur. Quod ſi vero eventus ex ſe invicem minime pendeant, fueritque p numerus caſuum, quibus eventus primus contingere poteſt, q numerus caſuum, quibus idem non contingere poteſt, & r numerus caſuum, quibus eventus ſecundus contingere poteſt, s numerus caſuum, quibus idem non contingere poteſt; fore $(p+q)(r+s)$ ſeu

$pr+$

$pr+qr+ps+qs$ numerum omnium caſuum, quibus eventus contingere & non contingere poſſunt. Quando itaque 2. *A* & *B* de his eventibus ita inter ſe certent, ut *A* contendat fore, ut uterque contingat, rationem ſortium fore ut pr ad $qr+ps+qs$; ſi contendat fore, ut primus contingat, rationem ſortium futuram ut ps ad $pr+qr+qs$; ſi contendat fore, ut alteruter contingat, rationem ſortium futuram $pr+qr+qs$ ad qs. Eodem argumentandi genere utendum eſſe, ſi tres vel plures ſint eventus, de quibus *A* & *B* certent. Quodſi eventus omnes numero n habeant numerum caſuum a, quibus aliquis contingere poſſit, & numerum caſuum b, quibus non contingere poſſit; variationem omnium caſuum fore $(a+b)^n$. Quamobrem ſi 3. *A* certet cum *B* ea conditione, ut vicerit *A*, ubi eventus unus vel plures contingant; *B* vero vicerit, ubi nullus contingat: rationem ſortium fore ut $(a+b)^n-b^n$ ad b^n. Si vero *A* cum *B* certet ea conditione, ut, ſi eventus duo vel plures contigerint, *A* vicerit; ſin nullus, vel unus, vicerit *B*: rationem ſortium futuram eſſe ut $(a+b)^n-b^n-nab^{n-1}$ ad b^n+nab^{n-1} & ſic deinceps in ceteris.

Finita introductione, ſequuntur ſolutiones problematum varii generis ex regulis ibi traditis deductæ. E. gr. Solutio problematis primi eſt corollarium regulæ ultimæ. Determinatur in eo ratio ſortium, ſi *A* & *B* una teſſera ludant ea conditione, ut, ſi *A* bis vel pluries octo jactibus teſſeræ monadem jecerit, ipſe *A* vincat; ſin ſemel tantum vel non omnino, vincat *B*. Et nempe hic $a=1$, $b=5$, $n=8$, adeoque $(a+b)^n-b^n-nab^{n-1}$ ad b^n+nab^{n-1} ut 663991 ad 1015625, hoc eſt, ut 2 ad 3 quam proxime. Sed quæ ſequuntur problemata, plus habent difficultatis & plus ingenii requirunt. Inter ea quoque comparent, quæ ludos Gallis *Baſſete* & *Pharaon* dictos illuſtrant. Utitur etiam ſubinde ſeriebus infinitis, veluti problemate quinto, ubi invenire docet, quotenis tentaminibus futurum ſit probabile ut eventus aliquis contingat, ſi a ſint caſus, quibus primo tentamine contingere poſſit, & b caſus, quibus poſſit non contingere, ita ut ſi *A* & *B* de eventu contendant, poſſint *A* & *B* æqua ſorte eventum affirmare & negare. Nimirum cum in hoc

caſu, ſi x denotet numerum tentaminum, quibus eventus aliquis poſſit æquali expectatione contingere vel non contingere, vi regularum antę traditarum ſit $(a+b)^x - b^x = b^x$ ſeu $(a+b)^x = 2b^x$, ponendo $a:b = 1:q$, erit $(1+\frac{1}{q})^x = 2$, hoc eſt, evehendo $1+1:q$ ad dignitatem x, $1 + \frac{x}{q} + \frac{x}{1}.\frac{x-1}{2q^2} + \frac{x}{1}\frac{x-1}{2}.\frac{x-2}{3q^3}$ &c. $= 2$. Si $q = 1$, erit $x = 1$: ſi q infinita, erit x infinita. Ponatur x infinita, erit $1 + \frac{x}{q} + \frac{x^2}{2q^2} + \frac{x^3}{6q^3}$ &c. $= 2$. Ponatur $x = z$; erit $1 + z + \frac{1}{2}z^2 + \frac{1}{6}z^3$ &c. $= 2$. Quare cum ſeries denotet numerum, cujus logarithmus hyperbolicus z; erit $z =$ log. 2, conſequenter $z = \frac{7}{10}$ quam proximę, cum logarithmus hyperbolicus ipſius $2 = \frac{7}{10}$ quam proxime. Quoniam vero doctrina inprimis combinationum utitur ad reſolvenda problemata, ideo ejus regulas explicat & theoremata exhibet, quæ problematibus ſortis reſolvendis inſerviunt. Demonſtrat itaque, ſi n fuerit numerus rerum, probabilitatem ſumendi a primo & b ſecundo loco fore $\frac{1}{n.n-1}$ & numerum permutationum, ſi ſingulæ binæ ſumantur, $n.n-1$. Probabilitatem ſumendi a primo, b ſecundo & c tertio loco, fore $\frac{1}{n}.\frac{1}{n-1}.\frac{1}{n-2}$ & numerum permutationum ſumtis ternis, $n.n-1, n-2$. Et generatim ſi n ſit numerus rerum, quarum prima p, ſecunda q, tertia r, quarta s &c. vicibus repetatur, fore numerum permutationum $n.n-1.n-2.n-3.n-4$ &c. (donec numerus terminorum $= p+q+r$ ſive $n-s$) diviſum per facta ſequentia $p\ p-1, p-2$ &c. $q.q-1.q-2$ &c. $r.r-1, r-2$ &c. ubi primus factor continuatur, donec numerus terminorum fuerit p; ſecundus, donec idem fuerit q; tertius, donec idem fuerit r &c. Similiter oſtendit, numerum combinalium rerum n, ſi binæ ſumantur, fore $\frac{n}{1}.\frac{n-1}{2}$; ſi ſumantur p vicibus, $\frac{n.n-1.}{p.p-1.}$ $\frac{n-2.n-3.n-4}{p-2.p-3.p-4}$ &c.

Atque

Atque his principiis aliunde jam notis utitur ad reſolutionem variorum problematum, inprimis etiam eorum ope novam quandam Algebræ ſpeciem eruit, per quam problemata ad combinationes ſpectantia ſubinde facilius ſolvuntur. Utitur novo quodam notationis genere, nempe $+a'$ denotat probabilitatem, quod *a* futurum ſit in primo loco, $-a'$ probabilitatem, quod *a* non futurum ſit in primo loco. Similiter $+b''$ denotat probabilitatem, quod *b* futurum ſit in ſecundo loco, & $-b$ probabilitatem, quod *b* non futurum ſit in ſecundo, & ita porro. Hinc in compoſitis $a'+b''$ exprimit probabilitatem, quod *a* in primo & *b* in ſecundo loco futura ſint: contra $a'-b''$ probabilitatem, quod, dum *a* futurum eſt in loco primo, *b* non ſit una futurum in ſecundo. Similiter $a'+b''+c'''-d''''-e'''''$ denotat probabilitatem, quod, dum *a* futurum eſt in loco primo, *b* in ſecundo, *c* in tertio, *d* non ſit una futurum in quarto, nec *e* in quinto & ita porro. Ad inſtituendum calculum ſumit hoc axioma, quod numerus ſortium, quod *a* futurum ſit in primo loco, contineat numerum ſortium, quod idem futurum ſit in primo loco & *b* una in ſecundo. Unde infert 1. ſi a numero ſortium, quod *a* futurum ſit in primo loco, ſubtrahatur numerus ſortium, quod *a* futurum ſit in loco primo & *b* una in ſecundo, reſiduum fore numerum ſortium, quod *a* futurum ſit in primo, *b* autem non una in ſecundo. 2. Si a numero ſortium, quod *a* futurum ſit in loco primo, *b* in ſecundo, ſubtrahatur numerus ſortium, quod *a* futurum ſit in primo, *b* in ſecundo & *c* in tertio; reſiduum fore numerum ſortium, quod *a* futurum ſit in primo, *b* in ſecundo, *c* autem minime in tertio, atque ſic porro. Quodſi jam brevitatis cauſa dicatur $\frac{1}{n}=r$, $\frac{1}{n.n-1}=s$, $\frac{1}{n.n-1.n-2}=t$, $\frac{1}{n.n-1\,n-2.n-3}=v$ &c. cum ſit $a'=\frac{1}{n}$, $a'+b''=\frac{1}{n.n-1}$, $a'+b''+c'''=\frac{1}{n}.\frac{1}{n-1}.\frac{1}{n-2}$ &c, vi doctrinæ permutationum; inde deducit

$$b''=r$$
$$b''+a'=s$$

Ergo

Ergo 1. $b'' - a' = r - s$ vi cor. 1. ax.
$c''' + b'' = s$ ob eandem rationem, quod $a' + b'' = s$
$c''' + b'' + a' = t$

Ergo 2. $c''' + b'' - a' = s - t$
$c''' - a' = r - s$ per concl. 1.
$c''' - a' + b'' = s - t$ per concl. 2.

Ergo 3. $c''' - a' - b'' = r - 2s + t$
$d'''' + c''' + b'' = t$
$d'''' + c''' + b'' + a' = v$

Ergo 4. $d'''' + c''' + b'' - a' = t - v$
$d'''' + c''' - a' = s - t$ per concl. 2.
$d'''' + c''' - a' + b'' = t - v$ per concl. 4.

Ergo 5. $d'''' + c''' - a' - b'' = s - 2t + v$
$d'''' - b'' - a' = r - 2s + t$ per concl. 3.
$d'''' - b'' - a' + c''' = s - 2t + v$ per concl. 5.

Ergo 6. $d'''' - b'' - a' - c''' = r - 3s + 3t - v$
$-a' = 1 - r$ quia $+a'$ & $-a'$ junctim $= 1$ & $+a' = r$
$-a' + b'' = r - s$ per concl. 1.

Ergo 7. $-a' - b'' = 1 - 2r + s$
$-a' - b'' = 1 - 2r + s$ per concl. 7.
$-a' - b'' + c''' = r - 2s + t$ per concl. 7.

Ergo 8. $-a' - b'' - c''' = 1 - 3r + 3s - t$

Problemate 30 methodo utitur ſingulari progreſſionem arithmeticam convertendi in geometricam, cujus ideam ſibi veniſſe ab *Hallejo* fatetur, quo ab annis 25 amico utatur. Singularia etiam artificia occurrunt problemate 31, tum alibi ; ſed quæ ſingula ſigillatim commemorari nimis prolixum foret. Operæ pretium faceret Cl. Autor, ſi librum in exterorum gratiam idiomate Latino recudi curaret, cum in eo contineantur, quæ ad incrementum Analyſeos faciunt.

Sequuntur deinde problemata de duratione ludorum, ubi una dexteritatis colluſorum habetur ratio, veluti ſi *A* & *B*, quorum dexteritates ſunt ut *a* ad *b*, ea conditione ludant, ut, quoties *A* ludum unum vicerit, *B* tradat ipſi numum unum ; quoties

ties vero *B* vicerit, *A* ipſi tradat nummum unum, & non prius ludo deſiſtant, quam eorum alter nummos omnes alterius lucratus fuerit, determinarique jubeatur expectatio ſpectatorum *R* & *S*, quorum ille affirmet, hic neget, certamen intra datum ludorum numerum finitum iri. Sit e. gr. numerus nummorum, quos uterque colluſorum habeat, 2; ſit etiam numerus, de quo *R* & *S* contendant, 2. Quia 2 numerus ludorum, de quo contenditur, jubet $a+b$ elevari ad poteſtatem ſecundam $aa+2\ ab+bb$. Cum terminus $2\ ab$ ipſi *S* faveat, reliqui adverſentur, expectationem ipſius eſſe concludit $2\ ab:(a+b)^2$. Hæc adjicere libuit, ut quandam doctrinæ hujus ideam animo concipiant lectores.

Tandem in appendice ſeu colophonis loco ad melius exercendam artem exhibet ſolutionem nonnullorum problematum eos ludos concernentium, qui hodie maxime in uſu ſunt. Ceterum cum *Nicolaus Bernoulli* in præfatione ad Artem conjectandi, opus poſthumum *Jacobi Bernoulli*, noſtrum invitaverit ad menſuram ſortis problematibus œconomicis atque politicis applicandi; ipſe hunc laborem Dominis *Bernoulliis*, præſertim *Joanni*, commendat.

ANALYSIS SPECIOSA TRIGONOMETRIÆ Sphæricæ, primo mobili, triangulis rectilineis, progreſſioni arithmeticæ & geometricæ, aliisque variis problematis applicata a R. P. JACOBO KRESA, e Societate Jeſu. Opus poſthumum.

Pragæ, typis Univerſitatis Carolo Ferdinandeæ, in Collegio Societatis Jeſu ad S. Clementem, 1720, 4.
Alph. 2 Tab. æn. 1.

POſtquam *Jacobus Kreſa*, gente Moravus, in Brunenſi Gymnaſio literis politioribus animum excoluiſſet, Societati Jeſu nomen dedit, in qua, confecto ſeveriorum diſciplinarum curriculo, Philoſophiam primum, tum Matheſin, denique & Theologiam univerſam publice, nec ſine maxima doctrinæ atque ingenii commendatione, defendit. His ille gravioribus curis

linguarum ſtudium adjunxit, eo profectu, ut poſt Bohemicam, quam veluti cum lacte ſuxerat, & poſt Latinam ac Germanicam, Hebraicæ, Græcæ, Italicæ, Gallicæ, Hiſpanicæ, Luſitanicæ peritus, novem linguis loqueretur. Quo apparatu inſtructus Hebræam linguam anno uno Profeſſor Publ. docuit. Exinde partim in Academia Pragenſi, partim in Olomucenſi Mathematicas diſciplinas triennio profeſſus eſt. Cumque egregiam ejus ſcientiæ famam comparaſſet, in Hiſpaniam evocatus eſt, ubi pro Scholis Regiis Madriti ipſos annos quindecim Mathematicam cathedram moderatus eſt. Quo tempore adeo ad Autorem noſtrum audiendum Hiſpana Nobilitas confluxit, ut domeſticum ejus cubiculum in auditorium publicum tranſiiſſe videretur, in quo ille ſuccedentibus ſibi aliis atque aliis Mathematum ſtudioſis diem totum dabat. A morte vero *Caroli II* Hiſpaniarum Regis reducem in Bohemiam Univerſitas Carolo-Ferdinandea Pragenſis excepit, & Doctoris Theologiæ inſignibus auctum, biennio Controverſarum de Fide Quæſtionum Profeſſorem habuit: Illuſtriſſimus etiam Comes *Herberſteinius* atque nonnulli alii e Societate in condiſcenda Analyſi ſpecioſa privatim Magiſtrum. Unde liquet corrigendum eſſe *Auguſtinum Thomam a S. Joſepho*, qui in una aliqua epiſtolarum ſuarum ad Illuſtriſſimum *Herberſteinium* datarum exiſtimavit, nullam Analyſis ſpecioſæ notitiam habitam in Bohemia, ſed eam doctiſſimo illi Comiti e Belgio hauſtam atque accerſitam fuiſſe. Poſt hæc *Carolus III* Hiſpaniarum Rex (nunc etiam Auguſtiſſimus Romanorum Imperator) Autorem noſtrum Viennam accitum Hiſpanicæ profectionis ſocium ſibi eſſe juſſit. Itaque annos decem, per quos ſcilicet expeditio illa tenuit, inter proſpera & adverſa Regi Catholico individuus comes adhæſit, eique ac Reginæ Catholicæ anni ferme ſpatio, Aulicis vero decennio a Confeſſionibus fuit. Reverſum demum ex Hiſpania, & Brunæ commorantem (ibi enim reliquum ætatis ſub cœlo patrio egit) Cæſarea benevolentia iteratis clementiſſimi affectus teſtificationibus, mortuum quoque verbis his, neſcio majorine dolore an elogio plenis, proſecuta eſt: **Es iſt uns von Hertzen leyd um den wackeren Mann.** Obiit P. *Jacobus Kreſa* ætate & meritis gravis anno vulgaris æræ Chr.

M DCC

M DCC XV, ætatis anno 67, initæ Societatis 48, a nuncupatis votis quatuor ſolennibus 30. *Euclidem* in Hiſpanicam linguam tranſtulit & opus hoc poſthumum reliquit, quod ex autographo Magiſtri ſui eleganti charactere exſcripſit R. P. *Carolus Slawiczek*, hodie Præco fidei Catholicæ Pekini apud Sinas, ſubrogatus R. P. *Franciſco Tilliſch*, Kreſiano item antehac in Analyſi ſpecioſa Pragæ diſcipulo.

Dividitur opus in tres libros. Liber primus continet iſagogen ad Analyſin ſpecioſam, In ea explicatur algorithmus ſpecioſus cum in integris, tum in fractis, tum etiam in ſurdis ſeu irrationalibus more vulgari. Exprimit numerum quartum proportionalem per $\frac{ab}{c}$ & hanc quantitatem in factores v. gr. $\frac{e}{c}$ & b, item $\frac{b}{c}$ & a &c. reſolvendo regulam trium variat. Similiter canones poteſtatum pro binomio ad extractiones radicum applicat, etiam cum *Vieta* ad poteſtates affectas. Explicat deinde analytice proprietates progreſſionis arithmeticæ & geometricæ & regula alligationis tradita varia problemata arithmetica ſubnectit, quæ inter unum eſt de anatociſmo legibus prohibito.

Liber ſecundus exhibet analyſin triangulorum rectilineorum. Primum trigonometriam planam analytice exprimit, veluti ſi radius circuli r, ſinus rectus x, quod coſinus ſit $\surd(r^2-x^2)$ & tangens $rx:\surd(r^2-x^2)$. Deinde varia problemata de triangulis tam rectangulis, quam obliquangulis reſolvit, quorum nullum ultra æquationes quadraticas aſſurgit. Plurima ex *Ghetaldo* deſumta.

Liber tertius tractat de analyſi triangulorum ſphæricorum. Explicat hic primum problemata trigonometriæ ſphæricæ, atque analogiis iſtis utitur in reſolvendis problematibus primi mobilis, ita ut ſubinde utatur expreſſionibus ſinuum analyticis & valorem ſinus quæſiti inveſtiget per extractionem radicis ex æquatione algebraica: quo ipſo tamen calculus trigonometricus vulgo receptus non abbreviatus, quin potius prolixior redditur, præſertim cum logarithmis non ſit locus.

Tenendum vero, Autorem uti artificiis analyticis *Hugonis de Omerique*, qui in Analyſi Geometrica Gadibus 1698 edita æquationibus ſubſtituit analogias & per earum transformationes tandem devenit ad analogiam problema reſolventem, reducendo æquationes quadraticas affectas ad inventionem linearum reciprocarum.

JOANNIS NICOLAI FUNCCII DE ORIGINE Latinæ linguæ Tractatus.

Gieſſæ & Francofurti, apud viduam Jo. Reinh. Vulpii, 1720, 4.
Pl. 16.

EJUSDEM DE PUERITIA LATINÆ linguæ Tractatus.

Marpurgi, apud P. C. Mullerum, 1720, 4.
Pl. 18.

DUplex idque egregium induſtriæ & eruditionis ſpecimen hic exhibet doctiſſimus Autor, haud contentus perfunctoria Latinitatis cognitione, ſed maximis Philologis ducibus in intimos iſtius linguæ receſſus penetrans & vel ipſam linguæ Latinæ originem repetens altiſſime. Ac huic quidem meditationi priorem dicavit libellum, cujus *primo* Capite, productis diverſis de origine Latinæ linguæ opinionibus, Dionyſii Halicarnaſſenſis, Quintiliani, Varronis, Joſ. Scaligeri, Bocharti, Stiernhelmii, Inchoferi, Jac. Hugonis, Gotfridi Viterbienſis, Cellarii, Walchii, Becmanni, Gravinæ, ipſe ad extremum ſtatuit, aviam Latinæ linguæ eſſe incertam, matrem vero eſſe linguam Celticam ſive Germanicam. Id ut luculentius efficiat, *Cap.* 2 de lingua primæva diſputat, quam cum alii velint eſſe Hebraicam, vel Chaldaicam, vel Syram, alii Belgicam, vel Suedicam, vel Gothicam, vel Græcam, vel Sinicam, Autor noſter Cluverium, Grotium, Scaligerum, Huetium & Morhofium ſecutus duces, primævam linguam plane putat interiiſſe, hoc
p. 27. potiſſimum uſus argumento, quod fieri non poſſit, ut lingua omni cultu & frequentia ſcriptorum deſtituta per 2500 annorum

norum ſpatium maneat integra & incorrupta. Diluit ſimul eorum argumenta, qui Hebraicam linguam pro primæva defendendam ſuſceperunt. Hinc *tertio Cap.* Babylonicam linguarum confuſionem excutit, verba Moſis nequaquam interpretans de miraculo, ſed de diſcordia inter ædificantes exorta, quam migratio populorum, iſtamque diverſitas linguarum ſecuta ſit: ubi & cauſas naturales immutationis linguarum cognituros ablegat ad Borrichii libellum *de cauſis diverſitatis linguarum.* Jam *Cap. IV* ad antiquitatem linguæ Germanicæ, quam & Celticam atque Scythicam vocat, venit, ac docet, Aſchenazem fuiſſe conditorem Celtarum, Scytharum & Germanorum, eumque ex Oriente delatum eſſe in Germaniam, ex eaque homines in Italiam transgreſſos primas ibi fixiſſe ſedes. Sequi hinc oſtendit *Cap. V*, linguam Germanicam eſſe Latinæ matrem. Neque ſolum firmiter credit, Germanos in vicinam tranſiſſe Italiam, ſed nec dubitat, eos in ipſam Græciam progreſſos ibi ſedes fixiſſe, iisque proinde aſſentitur, qui plurimorum Græcorum vocabulorum natales in Germanica lingua quæſierunt. Quod autem ad Latinam attinet linguam, ambabus manibus amplexatur ſententiam Praſchii, ſingulari libello (quem in his *Actis A. 1686 p. 325* recenſuimus,) contendentis, Latinæ linguæ matrem eſſe Germanicam. Subnectit eum in finem alphabetico ordine magnam vocabulorum Latinorum farraginem, quæ ipſi mere Germanica videntur, e g. *ager*, Acker/ *agmen*, Menge/ *angelus*, Engel/ *arca*, Kaſte/ *butyrum*, Butter/ *caballus*, Gaul/ &c. Ubi tamen, præterquam quod nonnullorum convenientia non ſatis eſt manifeſta, etiam diſtinguendæ fuiſſe videntur ceteræ voces ab iis, quas Germani acceperunt occaſione introductæ religionis Chriſtianæ a Latina Eccleſia, e. g. *angelus*, Engel. *Sexto Cap.* Cl. Autor demonſtrare conatur, Aborigines, antiquiſſimos Italiæ incolas, fuiſſe natione & ortu Germanos. Id probari poſſe putat inde, quod (1) Germani haud videntur neglecturi fuiſſe adeo propinquam & fertilem regionem, (2) Græci hiſtorici, dum non tradunt, primos Italiæ incolas e Græcia adveniſſe, hoc ipſo confirmant, eos adveniſſe aliunde, (3) Aboriginum vita moresque admodum convenerunt cum Germanorum

moribus atque inſtitutis; id quod uberius proſequitur ſatisque docte. Omittimus cetera ejus argumenta, & ad *Cap. VII* nos convertimus, quo oſtenſum it Autor doctiſſimus, e Germanis ortos eſſe Siculos, Umbros, Ligures, Auſones, Oſcos, aliasque Italiæ gentes. Contra *Cap. VIII* docet, ex Græcia in Italiam trajeciſſe Pelasgos, Oenotrios, Tyrrhenos, aliosque novos colonos; imo & claro illo Hercule Thebano, Jovis & Alcmenæ filio, duce novam Græcorum coloniam ſtatuit deductam fuiſſe in Italiam. *Cap. IX* Æneæ in Italiam adventum propugnat adverſus Bochartum, Cluverium, & Gravinam, horumque argumenta refellit. Denique *Cap. X* paucis oſtendit, Latinam linguam aliis linguis ſucceſſu temporis permixtam fuiſſe, atque ita hoc opuſculum concludit.

Tranſimus ad alterum librum, quem *de pueritia Latinæ linguæ* inſcripſit Cl. Autor. Conſtat is quinque capitibus, quorum *primo* oſtendit, eſſe quidem linguam Latinam ortu barbaram, ſed Græcos colonos eam expoliviſſe, ſcripturamque & literas Græcas in Italiam invexiſſe. Qua occaſione copioſe diſputat de ſcripturæ origine in univerſum, nihil tamen certi definiens; ſimulque convenientiam Latinarum literarum cum Græcis figillatim commonſtrat atque illuſtrat. *Cap. 2* docet, Græcanicis literarum & diſciplinarum ſtudiis in Italiam invectis, Latinam linguam perpolitam fuiſſe, ut adeo Italia linguæ ſuæ culturam debeat Græciæ tanquam magiſtræ, ad cujus ſtructuram exculta fuerit lingua Latina, quæ dimidiam partem Celto-Scythica, dimidiam Græca fuerit. Ut autem oculis curioſorum exponatur priſci temporis lingua Latina, veteris ævi reliquias a Philologis collectas Cl. Autor hic quoque producit & breviter illuſtrat, & quidem *Cap. 3* fragmenta legum Romuli & Numæ, hymnorum Saliarium, & Annalium maximorum; *Cap. 4* fragmenta duodecim Tabularum; *Cap. 5* Tabulam roſtratam Duilii, & aliam Scipionis. Ex his omnibus apparere cenſet, eo ævo linguam Latinam oppido rudem & incultam fuiſſe longeque remotam a nitore ætatis Ciceronianæ. Ut pro ſpecimine nonnulla hinc proferamus, p. 88 *furtum lance licioque conceptum* ita interpretatur, quod a lictore, qui licio cinctus lancem ſive patinam præ ſe ferebat;

bat;

bat, in domo aliena repertum fuerit; p. 95 *crcta cita* exponit per *bona diviſa;* p. 124 ex Plutarcho docet, literam G olim non fuiſſe in uſu, ſed circa annum V. C. 540 demum introductam a grammatico quodam, Spurio Carvilio; p. 132 varias etymologias profert, cur veteres Romani elephantos vocarint *lucas boves*, ſimulque, quid ſit *æs grave*, exponit.

Hiſtorie der Deutſchen Sprache etc.

i, e.

JO. AUGUSTINI EGENOLFFI HISTOriæ linguæ Germanicæ Pars II.

Lipſiæ, apud Jo. Chriſtian. Martini, 1720, 12.
Plag. 19.

QUam olim Boxhornius, Salmaſius, Stirnhelmius, Cluverius, Rudbeckius, Morhoſius & alii foverunt opinionem, de prima quadam ac generali omnium Europæ incolarum lingua, eam denuo in ſcenam producere, dictosque viros inter ſe conciliare hujus libelli Autor tentat. Cumque ejusdem Parte prima, de qua diximus in Actis A. 1716 p. 327, in probando totus fuiſſet, cunctos Europæ primos incolas fuiſſe Japeti poſteros, & quod exinde ſubſequitur, omnes eorundem & ſingulos uno eodemque aliquando uſos eſſe idiomate, quod Japeticum, Scythicum, Celticum, ſive Teutonicum vocari poſſe aſſerit: innitens nunc hiſce principiis, hac altera Parte evincere laborat, in omnibus linguis Europæis latere quasdam veteres radices vel Noeticas, i. e. quarum reliquiæ in omnibus linguis, quarum aliqua haberi poteſt cognitio, reperiuntur, vel Japeticas, cum quibus conjuncta vocabula per ſolam Europam diſperſa ſint. Septentrionem præ ceteris regionibus iisdem eſſe repletam, perſuaſus, linguam Islandicam, Danicam, Suecicam, Anglicam, Belgicamque laudat, & ad eruendas antiquitates linguæ Teutonicæ non ſolum harum, ſed & literaturæ Runicæ, Ulphicæ & Anglosaxonicæ collationem inevitabilem eſſe re ipſa comprobat, [illegible], plures eſſe antiquitatum

tatum Germanicarum reliquias, quam quidem vulgo credatur: quicquid Septentrio harum rerum poſſideat, ad Germanos pertinere: Græcorum Latinorumque loca, quibus de Hyperboræis, Scythis, Celtis, Germanis &c. agant, nequaquam negligenda, ſed probe ponderanda eſſe: migrationes populorum, & cognomina, hominibus & locis antiquitus impoſita, certiores omnino facere poſteros de ſtatu linguæ priſcæ Europææ ſeu Germanicæ, & tandem per anatomiam quandam ſeu vocabulorum reſolutionem, de primo eorum ortu & fatis, quæ perpeſſa ſint, judicandum. His fuſius pertractatis in Sectione prima, altera demonſtratur, ſatos de gente Japeti, & præcipue Germaniæ incolas, a primo ſuo ex oriente adventu literarum uſum habuiſſe, & per omnia deinceps ſecula retinuiſſe. Explicatur hic locus Taciti, & ſecus ſentientes, præcipue vero Otfridus, Conringius &c. teſtimoniis Patrum Eccleſiaſticorum & Scriptorum profanorum refutantur. Cum facile appareat, priſcis temporibus non Germanorum omnes artem legendi & ſcribendi calluiſſe, quinam eorum ejusdem non expertes fuerint, inquiritur. Quod quidem cum præcipue de Druidibus, Bardis & Vatibus, ſive Scaldis affirmandum ſit, hos non niſi unum genus hominum fuiſſe, docetur, inque Gallia & Britannia dictos ipſos eſſe Druides, in Germania & Belgio Bardos, & in Scandinavia Scaldos, vel vates, ſimulque quæ maxime ſunt ſcitu neceſſaria de eorum inſtitutis vivendique & docendi ratione, adducuntur. Per carmina Bardorum hiſtorias Gentis & vitas præcipue heroum literis runicis conſcriptas, usque ad tempora Waſtbaldi, Hunibaldi & Otfridi multas ſuperfuiſſe, & hodienum ſupereſſe pauca earum fragmenta. Quod Scandinavia ſola excepta, omnem per reliquam Europam & præcipue in Germania extirpata ſit literatura runica, duas præcipue ſubeſſe cauſas, nempe Chriſtianiſmum, cujus conditores in eo toti fuerint, ut omnia ſuperſtitionis eradicaverint veſtigia, præcipue vero runas, quibus ad magicas artes multum abuſos eſſe prioris temporis homines noverant, & nimium Latinæ linguæ uſum & amorem, qui infinita intulerit damna linguæ Germanicæ. Ad literas denique runicas ipſas proceditur, quibus Germani a primo ſuo ex oriente adventu ad dicti Waſtbaldi, Hunibaldi & Otfridi tempora uſi fuerint, ubi affirmatur, Runas ſive Japeticas literas omnium eſſe antiquiſſimas; ab initio earundem non niſi undecim vel duodecim fuiſſe, tres vocales & reliquas conſonantes, quæ quomodo videantur ceteras procreaſſe, & inter ſe permutari poſſint, ultimo loco inquiritur. Dolet Autor, per correctoris incuriam, tot tantisque vitiis libellum cumulatum eſſe, ut multis in locis vix ſenſus erui poſſit, quare etiam catalogum potiorum typographi vitiorum addi curavit.

Proſtat Supplem. Tomi VII Sectio X, ejusdemque Sectio XI ſub prelo eſt.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Aprilis Anno M DCC XXI.

OEUVRES DIVERSES DE PHYSIQUE ET DE Mechanique de Mrs. C. & P. Perrault.

h. e.

OPERA DIVERSA PHYSICA ET MECHAnica CLAUDII atque PETRI PERRALTIORUM, Academiæ Regiæ Scientiarum & Academiæ Gallicæ quondam ſodalium, in duo Volumina diviſa.

Lugduni Batavorum, apud Petrum van der Aa, 1721, 4. Alph. 5 plag. 6 Tabb. æn. 51.

OPera pleraque, quæ in his Voluminibus continentur, ſunt *Claudii Perraltii*, Medicinæ Doctoris, Phyſici ac Architecti inſignis, rerum etiam mechanicarum apprime periti. Ob affinitatem materiæ atque libri raritatem Editor ſubjunxit *Petri Perraltii*, qui erat *Claudii* frater, Tractatum de origine fontium. Continentur itaque in hac collectione 1 Tentamina phyſica, quorum tres Tomi priores A. 1680 & quartus A. 1688 in 8 lucem adſpexere: 2 epiſtola ad *Mariottum* de novo quodam invento circa viſum, una cum reſponſione *Mariotti*: 3 Obſervationes de fructibus monſtroſis: 4 Monitum de obſervandis periodis diverſis æſtus marini, una cum deſcriptione machinæ huc ſpectantis: 5 Relatio de vermibus in inteſtinis: 6 Obſervationes de quibusdam ſingularibus in ovo: 7 tres ad *Hugenium* epiſtolæ de duabus novis machinis, quarum alteram ipſe, alteram *Boſſatius* invenerat, & 8 Collectio plurium machinarum recenter inventarum: quibus

T colo-

colophonis loco, uti diximus, 9 accedit *Petri* Tractatus de fontium origine. Dedit præterea *Claudius* ſplendidam non minus, quam accuratam *Vitruvii* verſionem Gallicam, notis egregiis & Tabulis æneis nitidiſſimis exornatam, cujus editio poſterior priori auctior & emendatior Pariſiis 1684 in fol. reg. prodiit: dedit compendium *Vitruvianum* A. 1681 in 8, in quo præcepta *Vitruvii* in meliorem ordinem rediguntur: dedit denique opus de columnis A. 1684 in fol. Sed hæc ſcripta, cum ſint alterius prorſus generis, e præſenti collectione exulant. Opus de columnis commendavimus in Actis A. 1684 p. 128, Tomum quartum Tentaminum Supplementorum Tom. I p. 491 & collectionem machinarum A. 1701 p. 228. Reſtat, ut jam de ceteris dicamus.

Tentaminum Tomo primo continentur Tractatus de elatere & duritie corporum, de gravitate, de motu periſtaltico, de circulatione ſucci nutritii in plantis, una cum diſcurſu de nova inſertione ductus thoracici & deſcriptione ductus novi biliaris. Gravitatem, elaterem atque duritiem tanquam primas & præcipuas qualitates corporum naturalium conſiderat, quia omnibus communes exiſtunt & per eas magna pars eorum in Phyſicis explicatur, quæ inter obſcuriſſima & difficillima locum habent. Duritiem a compreſſione fluidi ambientis, aeris nempe ſubtilioris, cum *Malebranchio* arceſſit. Maſſam nimirum aeris ex aere craſſo, ſubtili atque æthereo compoſitam eſſe ſumit; corpora vero omnia ex corpuſculis indiviſibilibus ſeu atomis, quorum alia ſunt ſphærica, alia cubica, alia figuram habent ad iſta prope accedentem. Ætherem conſtare ex particulis perfecte ſphæricis, itemque partem aeris ſubtilem, aerem vero craſſiorem atque corpora reliqua ex cubicis aut polyhedricis. Preſſionem iſtam tribuit gravitati aeris ſubtilis, atque adeo duritiem corporum a gravitate aeris ſubtilis petit. Eundem aerem ſubtilem pro cauſa elaſticitatis habet, quatenus compreſſa urget, ut ſitui priſtino reſtituantur. Gravitatem omnem, etiam quam habet pars aeris ſubtilis, parti ejusdem ætheræ tanquam cauſæ adſcribit. Supponit autem, 1 aeris partem æthercam penetrare in poros ſeu interſtitia corporum ab

aere

aere ſubtili derelicta &c. 2 ferri motu circulari eoque rapidiſſimo circa axem mundi ab occaſu in ortum; 3 omnia corpora reliqua naturaliter repugnare rapiditati iſti; 4 agitationem materiæ æthereæ eſſe diverſam in planis infinitis, perinde ac aqua diverſa celeritate per diverſas ſectionis canalis partes fluit; 5 quodlibet corpuſculum una feriri per differentes vortices & eorum circulos. Has nempe hypotheſes ſumit, ut ſufficiens gravitatis ratio inde reddi poſſit. In diſſertatione de motu periſtaltico conſiderat motum arteriarum & fibrarum in partibus membranaceis corporis animalis, veluti in gula, ventriculo, inteſtino, nec non in muſculis. Explicat nempe omnem motum in machina animali per contractionem fibrarum ab elatere pendentem. Tractatum de circulatione ſucci nutritii plantarum in tres dividit partes. Prima continet theoriam hujus circulationis generalem; ſecunda experimenta, quibus ea probatur; tertia denique notas quasdam ſpeciales in eandem una cum reſponſionibus, quibus ab objectionibus vindicatur. Monet, ſibi atque *Mariotto* hanc ideam eodem tempore veniſſe, antequam conſtaret, alium eandem jam ante habuiſſe. Primam ejus mentionem fecere in conſeſſu Academiæ ſcientiarum d. 15 Jan. A. 1667: monet tamen Noſter, ſe poſtea didiciſſe, quod eandem materiam jam pertractaverit *Major*, Medicus Hamburgenſis, in diſſertatione de planta monſtroſa Gottorpienſi. Defendit autem, ſuccum nutritium in radice præparatum aſcendere & partes nutritioni commodas deponere: quod ubi factum fuerit, partem aquoſam denuo deferri ad radicem, ut ibi cum novo ſucco ex terra attracto commiſceatur & concoquatur. Inter experientias, quibus circulationem ſucci nutritii ſtabilire nititur, refert phænomena plantarum, inprimis arborum, quorum ratio reddi poteſt ſuppoſita circulatione ſucci. Cum hoc argumentum in Academia Scientiarum proponeret, *du Clos* varias objectiones oppoſuit, quas ſingulas Noſter examinat; replicanti antagoniſtæ denuo reſpondens. Tractatus de nova inſertione ductus thoracici continet hiſtoriam inventionis novæ communicationis ductus thoracici cum vena cava, quam etſi non viderant, adeſſe tamen debere ſuſpicati fuerant *Bartholinus*, *Wartonus*

tonus & *Conringius.* Primo loco hic comparet excerptum ex epiſtola *Pecqueti* ad *Carcavium* d. 27 Martii A. 1667 ſcripta, ubi experimenta recenſentur, quæ *Pecquetus* cum *Perraltio* & *Gayantio* inſtituit ad detegendam communicationem ductus thoracici cum vena emulgente. Sequitur deinde deſcriptio communicationis ductus thoracici cum vena cava inferiore ab ipſo *Perraltio* concepta. Subjiciuntur *Needhami*, Angli, animadverſiones in eandem, qui eam tribuerat *Pecqueto*, ex Transactionibus Anglicanis huc translatæ. Additur tandem *Perraltii* ad eas reſponſio. Ductus biliarii, quos in ultima diſſertatiuncula deſcribit, ſunt iſti, quos Anatomici nunc ramulos, nunc radices folliculi, nunc ductus hepatico-cyſticos vocant, ac præter *Perraltium* obſervarunt etiam *Gliſſonius*, *Bidloo*, *Verbeyenius*. Ipſe *Perraltius* vocat ductum, quem in bove detexerat & in omnibus animantibus adeſſe debere rationibus probat, cyſthepaticum.

Tomus ſecundus Tentaminum de Sono & Muſica veterum agit. Maximam partem conſtituit Tractatus de Sono in tres partes diviſus, quarum prima explicatur aëris agitatio, qua ſonus producitur; ſecunda modus, quo ſonus ex percuſſione corporum oritur; tertia denique, quomodo ſonus mediante organo auditus percipitur. Agitationis aeris, in qua ſonus conſiſtit, ſex phænomena propria recenſet, nimirum 1 quod ceteræ aeris agitationes non perinde ac ſonus aurem feriant, 2 quod agitationes aeris ordinariæ ſe mutuo impediant, cum ſono ceteræ non obſtent, 3 quod agitationes diverſæ junctæ ac inter ſe confuſæ exhibeant ſonum unicum, 4 quod ſoni a diverſis objectis producti ſe mutuo non impediant, 5 quod ſonus propagetur quaquaverſum, cum ceteræ agitationes aeris ſequantur directionem impellentis, 6 quod ſonus ſemper propagetur eadem celeritate. His phænomenis utitur ad ſtabiliendam hypotheſin de aeris agitatione in productione ſoni. Statuit autem, moleculas aeris ſingulas per exiguum admodum intervallum moveri, ſed celeritate maxima. Atque hæc ſufficere arbitratur ad reddendas illorum rationes, quas etiam inde reddere conatur. Motum in corporibus ſonoris, quo ſonus producitur, fieri

fieri in particulis imperceptibilibus, adeoque inobſervabilem eſſe: propagari autem per aerem craſſiorem, atque hinc celeritatem minui. Diſtinguit autem ſonum in ſimplicem & compoſitum. Simplicem vocat, qui ex ictu unico; compoſitum vero, qui ex ictu diuturno vel repetito oritur. Diſtinguit etiam ſonum in ſonum ex percuſſione, qui ex colliſione duorum corporum ſolidorum ortum trahit, & in ſonum verberationis, qui ex colliſione corporis ſolidi cum aere ortum ducit. Atque has ſpecies ſingulas ſigillatim expendit. Inter ſoni modificationes refertur a Noſtro primum Echo; deinde reſonantia, quam vocat ſoni intenſionem, vel per reflexionem, vel per impulſum externum facta; tandem tonus, quem in gravem atque acutum dividi in vulgus notum eſt. Docet deinceps Cl. Autor, quomodo ſonus varietur in diverſis inſtrumentis muſicis, atque his finitis ad auditum progreditur. Initium hic facit a ſtructura auris, auditus organo, atque ſingulas partes figuris æri inciſis repræſentat, earumque uſum commonſtrat. Hinc prolixe disquirit, quomodo animal cognoſcat impreſſionem ab objectis in organum auditus factam, & tandem judicia explicat, quibus animal utitur ad errores circa auditum declinandos. Tractatus de Muſica veterum non phyſicus eſt, ſed hiſtoricus: ob affinitatem tamen materiæ locum hic meruit. Apparet inde, Muſicam veterum, ſi præſertim cum noſtra conferatur, admodum imperfectam fuiſſe. Ceterum hic idem Tractatus ſatis ſuperque oſtendit, quantum Noſter in lectione Autorum veterum fuerit verſatus.

Tomus tertius Tentaminum complectitur Mechanicam animalium. Dividit eandem Autor in tres partes, quarum prima de organis ſenſuum, ſecunda de organis motus, tertia de organis nutritionis tractat. Ceterum Noſter non tantum (quod vulgo fieri ſolet) rationem habet corporis humani, verum ettiam brutorum cujusvis ſpeciei, atque hinc ejus Mechanica animalium multas continet obſervationes curioſas. Exponit differentias organorum in diverſis animalibus, ut ſapientia Numinis admiranda inde innoteſcat. Ubi organa ſenſuum deſcribit, primum obſervat, dari animantia nonnulla, quæ præter ta-

ctum alio ſenſu non videntur gaudere. In eorum numerum refert oſtreas, muſcas, pulices, erucas, limaces, cancros, & inſecta cornibus prædita, quibus tangendo examinant, quæ alia animantia oculis dignoſcunt. Explicat deinde finem ſenſuum atque docet, quomodo natura per ſtructuram eos defendat. Poſtquam artificium in ſtructura eorundem obvium expoſuit, diverſos ſenſuum uſus recenſet, pro diverſitate animantium. Inſtrumenta motus cum ſint muſculi, de motu muſculorum ex profeſſo tractat, ubi inprimis inquirit, quomodo fibræ abbrevientur. Conſiderat deinde ſpecies motus & primum quidem motum progreſſivum, pro diverſis viventium generibus diverſum; hinc motum offenſivum & defenſivum, ubi organa deſcribit, quæ animantibus pro armis data ſunt; porro motum partium voci formandæ inſervientium; tandem motum partium nutritioni deſtinatarum. Poſtremo loco cerebrum examinat, quod primum motus animalis principium appellat. Inter organa nutritionis primo loco conſiderat dentes & cetera maſticationis inſtrumenta; addit ventriculum & cetera digeſtionis inſtrumenta: ſubnectit cor, pulmones cum ceteris reſpirationis inſtrumentis, organa transpirationi inſervientia, & hac data occaſione ſimul declarat, quæ nutritionem animantium concernunt.

Miſſo Tomo quarto, de quo alibi diximus, ad quintum accedimus, quo continentur varia collectanea ſupra commemorata. In epiſtola ad *Mariottum* contra eundem diſputat, quod præcipuum viſus organon choroidem ſtatuat, non retinam. Fructus monſtroſi, quos deſcribit, ſunt pira, quorum unum protruſit aliud minus in parte ſuperiori: quod phænomenon extraordinarium in vegetabilium numero ſiſtit, quod *Bartholinus* Hiſt. 100 cent. 6 in hominum genere annotavit, cujus fide conſtet, in Dania natam fuiſſe puellam infante gravidam. Machinam ad obſervandum æſtum maris ideo proponit, quod non ante hypotheſin ad explicandas ejus circumſtantias condi poſſe arbitretur, quam hiſtoria exacta proſtet. Relationes de vermibus in inteſtinis & de ovo minore in majore incluſo paucis lineis terminantur. In epiſtolis ad *Hugenium* agitur de machi-

nis

nis ad ſidera per tubos obſervanda occaſione Aſtrocopiæ compendiariæ ab *Hugenio* editæ. Quæ in collectione machinarum ſingularia habentur, eadem alibi recenſuimus, uti paulo antè monuimus. Quod autem Tractatum de fontium origine attinet, qui *Petrum Perraltium* Autorem habet, in eo tam veterum, quam recentiorum Philoſophorum, nempe *Platonis*, *Ariſtotelis*, *Epicuri*, *Vitruvii*, *Senecæ*, *Plinii*, *S. Thomæ*, *Scaligeri*, *Cardani*, *Dobrezenzki de Nigro ponte*, *Helmontii*, *Lydiati* Angli, *Petri Davity*, *Carteſii*, *Nicolai Papini*, *Gaſſendi*, *Jo. Baptiſtæ du Hamel*, *Schotti*, *Robalti*, *Joannis Franciſci*, *Bernhardi Paliſſy*, placita examinat & omnibus excusſis fontium ex aquis pluvialibus ac nivalibus originem defendit. Ait autem in præfatione, ſe imitatum eſſe *Schottum*, qui, cum de origine fontium commentaretur, ante Autorum anteriorum hypotheſes refutavit, quam ſuam proponeret. Illud adhuc notandum, editorem tabulas æneas juſſu *Perraltii* in Gallia a *Clerico* æri inciſas non exiguo pretio redemiſſe, ne quid deeſſet, quod ad præſtantiam editionis præſentis pertinere judicabunt intelligentes æſtimatores. Facile nimirum quivis videt, quantum momenti ſitum ſit in figuris accuratis, quibus organa animantium depinguntur.

Neu erfundene ELEMENTAR-MACHINE,

h. e.

MACHINA NOVA ELEMENTARIS INventa a JOANNE JACOBO BRUCKMANNO, Architecto militari & Magnæ Britanniæ Regis ac Electoris Brunſuicenſis Præfecto rei tormentariæ Harburgi, atque JOANNE HENRICO VVEBERO, Architecto itidem militari & Haſſiæ Landgravii Præfecto rei tormentariæ Caſſellis.

Caſſellis, apud Joannem Bertramum Cramerum, 1720, 4.
Plag. 8.

OFferunt pro certa pecuniæ vi Principibus bono publico natis inventores machinam, quam elementarem vocant, quod

quod elementis Ariſtotelis igne, aqua, aere atque terra ad eam animandam utantur. Inſignem eorum uſum præſertim in metallifodinis prædicant, & in quovis machinarum genere potentiæ huic motrici cum prærogativa eſſe locum gloriantur. Equidem inventum celant: cum tamen fateantur, machinam elementis Ariſtotelicis animari, ſed absque vento, absque fluminibus, absque hominum ac brutorum viribus, haud obſcure colligitur, motum fieri debere ab aqua mediante aere vi ignis expanſo propulſa, cujus etiam ideam quandam dedere in Anglia *Thomas Savery*, in Gallia *Amontons*, in Germania *Papinus* etſi Gallus, ſed ab horum inventis prorſus differentem ac ſimplicitate ſua commendabilem nobiſcum communicavit *Leupoldus* noſter. Videantur Acta A. 1700 p. 29, A. 1704 p. 157 & A. 1707 p. 420.

URANIES NORICÆ BASIS ASTRONOmica, ſive Rationes motus annui ex obſervationibus in Solem hoc noſtro & ſeculo abhinc tertio Norimbergæ ſub eodem Meridiano habitis quam plurimis deductæ & ampliter demonſtratæ &c. editæ a JOH. PHILIPPO A VVURTZELBAU.

Norimbergæ, typis Johannis Erneſti Adelbulneri, 1719, fol. Plag. $22\frac{1}{2}$ Tabb. æn. 1.

EDidit jam A. 1697 Celeberrimus obſervator *Wurtzelbauerus* Tractatum de ſitu Geographico ſecundum latitudinem & longitudinem Civitatis Norimbergæ ſub titulo *Uranies Noricæ Baſis*, quem in Actis A. 1698 p. 138 & ſeqq. recenſuimus. Cum poſtea obſervationes continuaret, atque latitudinem, longitudinem & refractiones ſolares ibi conſtitutas ulterius examinaret, latitudinem iisdem conſtanter conſentientem deprehendit; in longitudine tamen ac refractionibus aliquid immutandum eſſe reperit. Edidit eum in finem Supplementum quoddam ſub titulo: *Stabilimentum Baſeos Uranies Noricæ Aſtronomico-Geographicæ pro deducta antehac inclytæ urbis latitudine & corrigendis longitudinum Geographicarum numeris*

ris &c. Norimbergæ, ſumtibus *Johannis Chriſtophori Lochneri*, 1713 in fol. (plag. 5½.) Ejus c. 1 latitudinem Norimbergæ ante 49° 28′ & paucorum ſecundorum ſtabilitam novis obſervationibus confirmat. Uſus eſt cum *Hevelio* in obſervationibus pinnacidiis *Tychonicis*, ſed nec dioptris teleſcopicis obſervationes accuratiores fieri poſſe, cum eodem *Hevelio* propria experientia fretus aſſeverat. Longitudinem c. 2 ex variis obſervationibus tum eclipſium lunarium, tum Mercurii in Sole viſi, tum eclipſium circumjovialium determinat, obſervationibus nimirum domeſticis collatis cum Pariſinis *Caſſini* & *Philippi de la Hire*, atque Argentoratenſibus *Eiſenſchmidii*. Statuit autem ibidem differentiam horariam Meridianorum Norimbergenſis atque Pariſini 34′ 40″ iſtius atque Argentoratenſis 12′ 20″, ipſam longitudinem Norimbergæ 31° 10′, primo Meridiano, ex mente *Caſſini*, ab obſervatorio Pariſienſi decima ſexta circuli parte diſtante. Ceterum obiter hic notamus, *Caſſinum* in epiſtola quadam, ex qua excerptum communicat Noſter, Mercurium in Sole viſum præferre ceteris phænomenis in determinandis longitudinibus. C. 3 immutabilitatem obliquitatis eclipticæ defendit & ex triginta annorum obſervationibus eam 23° 29′ 54″ determinat. C. 4 refractionem horizontalem, quam 30′ 28″ ſtatuerat, duobus ſcrupulis ſecundis auget: in ceteris nihil immutandum cenſet. Mantiſſæ loco accedunt parallelorum ab Æquatore ad polos gradatim aſcendentium rationes in ſingulos circulorum minorum gradus ſupputatæ. Sumit autem cum Pariſienſibus Aſtronomis, uni Telluris gradui convenire 57060 hexapedas Pariſienſes. Placuit hæc de ſtabilimento Baſeos Uranicæ Noricæ in medium afferre, tum quod de eo nondum diximus in his Actis, tum quod cum Tractatu de ſitu Geographico Norimbergæ Motuum Solarium operi, quod hic recenſere ſtatuimus, ab Autore adjicitur, ut adeo opus integrum, prout in bibliopoliis nunc proſtat, conſtet 2 Alph. 9 plag. 5 Tabb. æn.

Quid circa motum Solis præſtiterit Noſter, in dedicatione ad Auguſtiſſimum Cæſarem recenſet. Uſus nimirum & obſervationibus tertio abhinc ſeculo a conterraneo ſuo *Bernhardo*

Walthero, magni illius *Regiomontani* diſcipulo, in eodem Meridiano Norimbergenſi celebratis, quas cum domeſticis per triginta ſex annos aſſidue continuatis ſolertiſſime contulit, cum aliquot millia obſervationum Solis meridianarum collegerit. Atque ita Tabulas ſuas condidit ex meris obſervationibus ſub eodem Meridiano habitis, & reviſione vel decies iterata correxit, donec tandem obſervationibus poſtea inſtitutis comprobarentur. Quantitatem anni ex æquinoctiis tam vernalibus, quam autumnalibus, partim a *Walthero* ab A. 1476 usque ad A. 1496, partim a ſe ab A. 1688 usque ad A. 1718 obſervatis determinat dierum 365 *h.* 5 48′ 55″, atque hinc more communi Tabulas mediorum motuum condit, Epocha A. 1700 ſtyli novi fixa in 9 *S.* 9° 51′ 26″ ad diem ultimum Decembris præcedentis & Meridianum Norimbergenſem. Forſan non ingratum erit Aſtrophilis in uſum ſimilem æquinoctia *Waltheriana* ſequenti Tabula comprehenſa exhibere.

An. Chriſti	Æquinoctia Vernalia	A. Chr.	Æquinoctia autumnalia
1476	Mart. d. 10. h. 19. 46′. 18″	1476	Sept. d. 13. h. 9. 8′. 2″
1477	11. 1. 29. 18	1478	13. 22. 49. 17
1478	11. 7. 31. 14	1479	14. 5. 23. 29
1488	10. 17. 28. 17	1487	14. 1. 23. 6
1489	10. 23. 34. 0	1488	13. 7. 39. 0
1491	11. 11. 51. 45	1491	14. 0. 52. 3
Obſervavit *Waltherus* regulis *Pto-*		1493	13. 12. 21. 8
lemaicis, aurichalceis, quadricubi-		1494	13. 18. 11. 20
talibus, ad radium 100000 parti-		1496	13. 5. 31. 5
um diviſis.			

Ex æquinoctiorum vernalium & autumnalium comparatione deducit intervallum eorundem æſtivum *d.* 186 *h.* 13 15′ 22″ & hibernum *d.* 175 *h.* 16 33′ 33″, ita ut mora æſtiva hibernam ſuperet diebus 7 *h.* 20 41′ 49″. Ex tabula motuum mediorum Solis aſſignat intervallo æſtivo 183° 52′ 29″ 9‴; hiberno 176° 7′ 30″ 51‴, ita ut arcus eclipticæ æſtivus ſuperet hibernum 7°, 44′ 58″ 18‴. Eccentricitatem inveſtigat per duo æquinoctia & locum Solis inter æquinoctium & ſolſtitium fere medium methodo

thodo *Arzachelis* a *Ricciolo* perfecta ſeu ad Trigonometriam logarithmicam aptata. Pluribus calculis inſtitutis, eam tandem determinat 3410 partium, qualium radius orbis annui 100000 continet. Notandum vero eſt, obſervationes *Waltherianas* eandem exhibere fere 20 partibus minorem, ut adeo Noſter eccentricitatem mutabilem ſtatuat, nempe ſpatio 200 annorum partibus 20 auctam. Notum eſt, eadem methodo, qua eccentricitas determinatur, reperiri quoque locum Apogæi. Quamobrem Noſter inde ſimul motum Apogæi annuum determinat 44″ 14‴, & Epocham Chriſti pro Apogæo Solis ab æquinoctio vernali 2 *S.* 16° 46′ 31″, ſeu ad A. 1700 ſt. n. 3 *S.* 7° 39′ 37″. Tabulas æquationum conſtruere docet in Ellipſi methodo *Sethi Wardi* atque Comitis *de Pagan*, terra in foco uno, centro mediorum motuum in altero conſtituto, quia hæc facilior *Kepleriana* atque *Bullialdina*. Oſtendit autem, Ellipſin Solis a circulo parum differre, cum ſemidiameter minor 99985 a majore 100000 nonniſi 15 particulis centimilleſimis differat. Quamobrem etiam ipſe Tabulas æquationum cum *Ricciolo* in hypotheſi circulari condidit, ſed ita ut ſingulis quinquaginta annis eccentricitatem augeat quinque partibus, adeoque Tabulæ varientur intra ſeculi dimidium. Has Tabulas habitis aliorum atque ſuis obſervationibus Solis meridianis antiquis & recentibus contulit, nec diſſenſum alicubi notabilem deprehendere potuit. Inter Tabulas Solares Noricas præter Tabulas Epocharum, mediorum motuum & proſthaphæreſium comparent etiam Tabulæ diſtantiarum Solis a Terra ad eccentricitatem 3410, declinationum eclipticæ, ſuppoſita maxima 23° 29′ 54″, aſcenſionum rectarum, & obliquarum cum differentiis aſcenſionalibus atque amplitudinibus ortivis itemque angulo Horizontis & Eclipticæ pro elevatione poli 49° 28′ 7″; angulorum eclipticæ & Meridiani; motuum Solis verorum pro ſingulis anomaliæ mediæ gradibus tam diurnorum, quam horariorum; æquationum quoque temporis & converſionis partium æquatoris in horas & viciſſim.

SOLUTIO PROBLEMATIS A NICOLAO BERNOULLI, JOANNIS Filio, propoſiti de curvis motis ſecundum axem & ſe mutuo conſtanter ad angulos rectos ſecantibus, miſſa ex Anglia in literis d. 7 Febr. A. 1721 ſtyli veteris datis.


TOmo VII Sect. VIII p. 352 Supplem. ad Acta Er. Nicol. Bernoulli, Joh. filius, Problema Geometricum propoſuit his verbis:

Inter duos axes parallelos poſitione datos invenire & conſtruere curvam, eandemque adhuc inverſo ſitu poſitam, ita ut alterutra vel utraque mota ſecundum axem ſuum motu ſibi ſemper parallelo curvæ ſecent conſtanter ſe mutuo ad angulos rectos, hoc eſt, ut ſecandæ & ſecantes ſint curvæ eædem.

Solutio.

Exhibentur hujusmodi curvæ ratione ſequenti.

Sint FG, MN parallelæ datæ. Ducatur AB, quæ cum iis angulos conſtituat FAB, NBA æquales angulo, quo curvæ ſe mutuo ſecare ponuntur, ſive rectus ſit, ſive obliquus. In duas partes æquales dividatur linea AB in e, & ſumatur in ea pro arbitrio punctum D, ducaturque DE rectis FG, MN parallela. Literæ autem a, c, d denotent quantitates quascunque datas, R quantitatem non datam, m, n numeros quosvis inter ſe *primos, & impares*. Fiatque $CD = R^{m:n} \left(\frac{n}{m} c + \frac{n}{m+2n} d RR\right)$ deinde $DE.a = R^{m+n,:n} \left(\frac{n}{m+n} c + \frac{n}{m+3n} d RR\right)$ + area curvæ, cujus abſciſſa R & ordinata $R^{m-n,:n} (c + dRR)\sqrt{(aa+RR)}$ quo facto locus puncti E erit curva quæſita. Erit autem irrationalis ſive, ut appellant, transſcendens,





dens, ſi vero ſit $d = (m+3n)c:ma^2$, locus puncti *E* erit rationalis ſeu algebraica; erit enim $DE = \frac{nc}{ma^3}R^{m:n}\left[(aa+RR.)^{3:2} + \frac{maa}{m+n}R + R^3\right]$, exiſtente $eD = \frac{n}{m}R^{\frac{m}{n}}\left(c + \frac{(m+3)c}{(m+2n)a^2}RR\right)$ Item ſi *n* ſit unitas & *m* numerus negativus & ternario major (vel etiam ternarius, ſi ſit $d=0$) locus puncti *E* rationalis erit.

Sunt formæ generales, quibus hujusmodi lineæ ex curvarum quadraturis derivantur, quæ, præter jam memoratas, alias quoque innumeras curvarum ſpecies utriusque generis ſuppeditant; inter quas occurrunt duæ lineæ Geometris non ignotæ, nimirum logarithmica, &, quando angulus interſectionis rectus eſt, cyclois.

Scholium.

Quæritur, quibus computationibus adductus ſit problematis Autor inter duos ejus caſus ita diſtinguere, ut in altero, ubi angulus interſectionis rectus eſt, curvas rationales diſertim requirat; in altero autem, quando angulus eſt obliquus, an tales dari poſſint, dubitare videatur.

ACCURATA DESCRIPTIO LUCULÆ BOREALIS in Obſervatorio Gieſſeno Acad. d. 17 Febr. & 1 Mart. M DCC XXI obſervatæ a JO. GEORG. LIEBKNECHT, SS. Th. D. ejusque & Math. Prof. P.

UT in noſtris regionibus hucusque parum hyemaſſe fuit viſum: ita dies XVII Febr. liquore Thermometri infra 20 lin. deſcendente præter ſpem ſerenus erat. Quare & Auditoribus tunc meis ſuaſor fui, ut mecum poſt horam ſtatim ſextam veſperi ad obſervandam ♀rem & dein menſurandas in Orione fixarum diſtantias minimas in Obſervatorium publicum aſcenderent. Ubi vix dimidia hora poſt fere ſeptentrionem verſus mirabilis apparuit *arcus* quidam *ſubpallidus*, undique in hemiſphærio ſplendentibus admodum, una cum ♀re, ſtellis TAB. IV. Fig. 1.

 fixis.

fixis. Primus hic arcus ſub initium vix abſimilis apparebat illi, quem anno 1710 die 26 Novembr. heic Gieſſæ obſervavi, in Actis Eruditor. A. 1711 p. 325 delineatum. Succreſcens integrum ſub ſe continebat ſegmentum, cujus amplitudo adhuc ſuccreſcebat in parte tam occidua, quam ortiva. Horizon integer contra iſthanc temporis rationem, antea indicatam, ſat erat ab exhalationibus liber, unde & talem primitus albuginem parum inter labores alios curavi: id quod etiam cauſæ fuit, cur ſpectatores nullam ibi nubeculam ſuſpicarentur, meque magis urgerent, ut oculos eo dirigerem. Erat *ſegmentum obſcurum A B* poſtea in plaga ſeptentrionali 10 gr. 50 min. altum, & ejus *arcus ſubpallidus B C* inſuper 4° 40′.

TAB. IV. Fig. 2. Poſt horam ſeptimam novus adhuc ſuccedebat arcus obſcurior *CD*, cujus altitudo cum prioribus ſeu *A D* erat ab Horizonte=19 grad. Mox arcus uterque, & lucidus, & obſcurior, illud perpetuo continebat ſegmentum obſcurum & denſum, id quod tamen nullum dabat nubis cujusdam ſignum: undique enim transparebant ſtellæ fixæ, quaſi faces in tenebris magis lucentes, de quibus deinceps. Neque ſtellæ iſtæ prius apparebant, quam ſecundus arcus *DE* lucidior oriretur. Interea in prædicto ſegmento obſcuro paſſim ſurgebant quaſi luminoſæ columnæ ſeu trabes uti veteres vocabant. Erant autem, ut magis declaremus, nihil aliud, quam radii ſubpallidi in ordine ut plurimum parallelo exſurgentes, nunc ſcoparum inſtar divaricantes, qui in una modo parte creverunt, mox decreverunt in altera, & quaſi dimicantes invicem diſparuerunt, majori impetu rurſus apparuerunt, ceu velitantes hinc inde currendo ſolent. Surgebant primo & inferioribus locis, quos mox relinquendo alii ſuperius continuabant circa arcus obſcuri marginem. Erant nonnullæ columnæ radioſæ, aliæ denſiores, aliæ paulo incurvatæ, ſed hæ perinde ut obliquius pergentes admodum raræ. Poſt horam VIII ferè tertius arcus *D E* ſublucidus & amplior illis prioribus *B C* & *C D* accedebat; qui omnes ita junctim altitudinem ab Horizonte referebant *A E* 40°, 20′. Extremus hic arcus ſatis erat firmus, quem ne quidem columnæ ſeu radii e vicino obſcuro ſurgentes turbabant, nec novus accede-

cedebat, nec ullibi ad horizontem amplior fiebat; quare ejus amplitudinem ortivam a cardine ſeptentrionali *A G* ſumſi = 51 gr. & occiduam *A F* = 55°: ut ideo totus arcus, ſc. iſte major, qui reliquos & ſegmentem obſcurum continebat, amplitudinem haberet = 106 gr. & altitudinem antea adductam = 24°, 20′. Dignum eſt notatu ſegmentum nigrum nullas exhibuiſſe ſtellulas, nec prius iſtas apparuiſſe quam tertius arcus luminoſus apparuit. Ubi demum in parte tam nigri ſegmenti, quam arcuum optime transmicare cœperunt, & quidem in parte occidua Cygni α, ξ & μ juxta Bajeri appellationem; in ortiva parte etiam ſtellæ tertiæ & quartæ magnitudinis transparebant, quæ etiam ſubinde micabant inter columnas dictas. Clarior etiam & illuſtratior, quod miratus ſum, reddebatur *via lactea* regio vicinior, cujus ita albugo fiebat major, quocunque tales radii luminoſi pergebant. Poſtea ſuperior arcus lucidus in parte occidua disruptus quaſi videbatur, qui inſtar nebulæ Andromedam peræque albicantem transcendebat, quem poſt horam X radii ex ipſa plaga ſeptentrionali ſequebantur. Horizon ſeptentrionalis non aliter erat illuſtratus, ac ſi lumen eſſet in viçinia, quæ tamen ceu aliunde conſtat, non potuit non longiſſime tunc abeſſe. Reliquæ Horizontis partes non ita erant illuſtratæ: immo ipſæ illuſtratæ partes non æque illuſtratæ, ſed quaſi umbris ſubinde diſtinctæ erant. In eadem plaga Horizontis ſeptentrionali, ex obſervatorio noſtro 80 pedes Rhinl. alto, omnia, etiam remotiſſima ædificia poterant cognoſci, inque his non ſolum tegulæ & feneſtrarum orbes; ſed & in viis lapides.

TAB. IV. Fig. 1.

Fig. 2.

Die 1 Martii poſt horam ſeptimam fere per feneſtram in boreali plaga notabilem *arcum* vidi. Hic uti præcedente exiſtebat amplior & clarior: ita claritatem ſuam ſubinde mutabat, neque ſegmentum ejus tantam habebat obſcuritatem. Quæ borealis facies diu hærebat immobilis, utut horizontem verſus nonnullæ columnæ inſtar fumi tenuiſſimi obſervarentur; arcus ipſius altitudine ſemper manente = 31° 50′. Prout vero priorem faciem ſuperavit altitudine: ita & figura

Fig. 3.

gura ipſa erat illuſtrior, ſiquidem ab initio videbatur fumare ſicque flammas quaſi projicere. Quantumvis vero cœlum ſat erat clarum ſtellasque fixas egregie exhibebat, non tamen Horizon exinde erat multo clarior, ceu nuper quidem; immo nullæ ſtellæ micabant in ſegmento hoc clariori, licet tales arcus ipſe monſtraret. Poſt horam fere nonam tres, uti nuper, apparuerunt arcus, manente tamen eadem altitudine prædicta = 31° 50′; neque hæc, uti nuper, cum ipſis arcubus ſuccrevit, neque columnæ priores erant adeo rectæ, ſed fumi inſtar vacillantes. Quid? quod arcus ſuperioris extremitas tota quaſi vacillare videbatur præ meris ejusmodi fumoſis ductibus. Inter omnes vero trabes priores apparuit in ſeptentrione *A B* illa major ſupra & inferius ſuos radios ſpargens; diſparente hac ſtatim nova apparuit in *C* magis lucens. Impediebat autem, quod valde dolui, tunc corporis infirmitas, quo ipſe vix amplius continuare valerem hanc meam obſervationem; ſuaſor tamen fui auditoribus ejusmodi rebus ſat adſuetis, ut eo curatius hanc cœli faciem intuerentur. Qui etiam ſequentia mihi expoſuerunt una cum aliis viris fide dignis. Nimirum poſt horam XI apparuiſſe ex Oriente magnum radium & infra hunc obſcuriori arcui inſidens globoſum & crinitum quaſi, ſed valde obſcurum corpus *C*, cujus tamen inferiorem rotunditatem obſervatores non potuerunt oculis percipere, perceperunt tamen alii, qui cum vulgo inde ſtellam novam dictitarunt. Dein tamen omnino illum radium ex arcu venientem verſus plauſtrum majus ſuum curſum direxiſſe, tertio fere mutatis vicibus inſtar velitantium radios apparuiſſe, ita ut, diſparente uno in Oriente, alter apparuerit in Occidente eodem plane modo, quem in ſingulari ſyrmate A. 1716 d. 20 April. obſervavi. Inter hanc velitationem quarto in Oriente luminoſum admodum radium inſtar teli *D* columnam illam majorem tranſiiſſe, unde vulgus ſibi crucem finxit. Mox tamen in Occidente nubeculas fuiſſe viſas, & poſt mediam demum noctem ex oppoſita parte paullatim & ſic porro alibi diſparuiſſe columnas illas fumantes una cum arcubus, ceu quidem obſervatores antea laudati mihi expoſuerunt. Quod aeris conſtitutionem attinet, diem 1 Martii ſat ſerenum nubi-

nubilus excipiebat, Therm. ad lin. 22 reſurgente & Barom. ad 31′, 1″ immo tertius Martii dies itidem inſtabilis noctem pluvioſam relinquebat.

ADDITAMENTUM DE SIMILIBUS phænomenis in vicinia nuperrime obſervatis.

SImile phænomenon, quale modo ex obſervationibus Cl. *Liebknechti* deſcripſimus, obſervatum etiam fuit d. 1 Martii ab hora 9 usque ad 2 hic Lipſiæ, Halæ Saxonum, Merſeburgi, Tenſtadii in Thuringia, Miſenæ ac alibi. Nimirum Miſenæ h. 11 claritas inſignis aeris inter ſeptentrionem & occidentem obſervata eſt, per quam innumeri radii ſub initium ſubrubri, deinde ſubalbidi inſtar flammarum ſerpentium ejiciebantur. Ex loco editiore videbatur nubes obſcura, unde radii iſti evibrabantur &, quod horridum adſpectu erat, per eam veluti in firmamento corpus ex iridibus ſe mutuo interſecantibus huc illuc volutari videbatur. Claritas illa, quæ lumen Lunæ plenæ ſuperabat, per ampliorem tractum diffundebatur una cum radiis fulgurantibus.

Tenſtadii ab h. 7 usque ad 8 tenuis atmoſphæram inferiorem obſidebat nebula, cujus pars ſuperior ſplendore quodam ſubalbido illuſtrata ſemicirculum referebat ab occidente verſus orientem protenſum. Luna occidente arcus altior fiebat & per eum h. 9 multi admodum radii aſcendebant. Hor. 10 inter continuas fulgurationes vehemens in nebula iſta agitatio obſervata, quæ h. 11 increſcebat, ubi fumus quaſi illuminatus verſus Auſtrum propelli videbatur, non tamen ex eodem conſtanter loco. Hor. 12 arcus accenſus videbatur, flammis a ſeptentrione verſus auſtrum ſerpentibus & ſeſe mutuo celerrime inſequentibus. Hor. 1 ab occidente proficiſcebatur nebuloſum quoddam corpus aliud, altius arcu verſus auſtrum excurrens & radios pyramidales continuo evibrans, variis coloribus contινctos. Prope Arcturum ex improviſo quaſi fulgur perſtringebat oculos obſervatoris, igne in ſtellam veluti conglobato deſcendente, ac mox in radium latum protenſo, qui

ultra 8 circiter minuta lucebat ac in figuram ſere triangularem ſeſe contrahebat, lumine ſenſim ſenſimque imminuto, donec prorſus evaneſceret. Ab hora prima flammæ fiebant remiſſiores, arcu nebuloſo h. 2 ſubſidente, ita ut aliqui adhuc radii, ſed flamma nulla conſpiceretur. Obſervata etiam eſt ibidem d. 17 atque d. 23 Febr. aurora borealis, ſed non adeo illuſtris.

Non abſimilia ceteris quoque in locis viſa ſunt.

ANTIQUITATES SELECTÆ SEPTENtrionales & Celticæ &c. Autore JOH. GEORGIO KEYSLERO, *Societatis Regiæ Londin. Socio.*

Hannoveræ, ſumtibus Nicol. Fœrſteri, 1720, 8 Alph. 1. pl. 18 fig. æn. 16.

Continet hoc Volumen ſex libellos ſingulares, quibus nonnulla loca Conciliorum & Capitularium explanantur, & dogmata Theologiæ Ethnicæ Celtarum gentiumque ſeptentrionalium perquiruntur, cum moribus & inſtitutis majorum noſtrorum circa idola, aras, templa, oracula, lucos, ſacerdotes, regum electiones, comitia & monumenta ſepulchralia. Singula ex monumentis tum editis tum hactenus nondum viſis illuſtrantur. Prima Diſſertatio ſiſtit monumentum vetus ex ingenti ſaxorum mole compoſitum in Salisburienſi planitie Ultonienſis provinciæ, quod vulgo *Stone-Henge* appellant Angli. Sectionis primæ caput 1 luculentam ejus deſcriptionem exhibet, ut & eorum quæ ſimili compage cernuntur in Weſtphalia, ditionibus Brunſuicenſibus, tractu Megalopolitano, Holſatia, Marchia Brandenburgica &c. quo loco notandum, figuram æneam pag. 9 adjectam, quæ molem Saxeam Helmſtadienſem lectoris oculis ſubjicit, minus accuratam eſſe, poſterioribusque curis forſan emendandam. Caput 2 oſtendit prolixe, ſaxis quidem a veteribus Celtis atque ſeptentrionalibus divinum cultum fuiſſe exhibitum, eum autem ad hæcce monumenta minime pertinere. Illam vero inſtituti rationem Autor per totum librum ſibi ſumſit ſequendam, ut occaſione textuum e veteribus legibus alle-

allegatorum, tranſeat in notis ſubjunctis ad diſquiſitiones a ſcopo non alienas, lectorisque hoc pacto animum novis ſubinde ſtimulis excitet. Ita pag. 14 inſertam habes obſervationem de candelarum uſu & abuſu in ſacris, & pag. 19 de Edda Islandorum, quam Boſius in Epiſt. ad Reineſ. 39 p. 361 perperam pro nomine ſcriptoris habuit. Occaſione lapidis olim fatidici apud Scotos, qui nunc in templo Weſtmonaſterienſi adſervatur ſub ſella Regum inaugurationi dicata, artes & techinas Druidum detegit Autor p. 24. Hiſtoriam lapidis ipſius perſequitur ex Manuſcripto Codice Bibliothecæ Bodlejanæ p. 30 ſeq. in cujus explicatione p. 33 ſeq. plura adducit, quæ uſum linguæ Hibernicæ in Etymis Celticis perveſtigandis demonſtrant, productis in medium appellationibus Druidarum, vatum, Herculis Ogmii &c. Caput III de aris veterum ſeptentrionalium agit probatque monumenta hæc earum numero non eſſe habenda. Caput IV ea habet, quæ pertinent ad lucos & templa arborumque cultum majoribus noſtris ſolemnem, eorum ſimul refellit ſententiam, qui monumentum Salisburienſe pro templo venditarunt, Pag. 72 ſeq. inquiritur, quid veteribus legibus ſint *arbores ſanguinum, ſacra Nimidarum, Frithſplottum, leges Unſtallesbomicæ* &c. Caput V agit de lapidum prægrandium in Comitiis & regum electionibus uſu, ad hæc tamen monumenta non pertinente. Pag. 87 ſeq. originem fabulæ de ſagarum conventu in monte Bructerorum a campi Madii obſervatione deducit. Sectionis ſecundæ caput I probat, lapides hoſce fuiſſe monumenta ſepulchralia. Subjunctus eſt pag. 110 ſeq. catalogus ſcriptorum, qui de urnis in Germania effoſſis egerunt. Caput II pluribus inquirit in dogmata majorum noſtrorum de ſtatu animarum poſt mortem, eorumque fabulas de Metempſychoſi, crepuſculo Deorum, Bifroſta ſive iride, Himmel, Valhalla, Odino, Eſo, Einheriis, verre Jolenſi, Hela &c. mortis etiam contemptum, quem majores noſtri adfectabant a genuinis cauſis derivat. Pergit Cl. Autor pag. 173 ſeq. in indagandis rationibus, quæ illos impulerunt, ut arma, equos, calceos, divitias una cum defunctis ſepelirent. Pag. 164 ſeq. agit de gladii ſanctitate juramentisque ſuper eum præſtitis, de carnifi-

cum item munere nulla olim macula notato; porro de equorum cultu, calceorum ex corio factorum apud veteres raritate & origine fabularum animalium de theſauris ardentibus. Caput III locum Taciti de Mor. Germ. c. 2 evolvit de Herculis columnis in ſeptentrione, inſcriptiones ſimul nonnullas hactenus ineditas de Hercule Saxano, Maguſano, in petra &c. explicat. Cap. IV eorum opinioni obviam it, qui Saxa Salisburienſia pro ſepulchro Vortigerni vel Ambroſii habuerunt. Caput V de ſacrificiis & oblationibus ad ſepulchra diſſerit & Cap. VI de Autoribus ſtupendorum horum operum. Pag. 209 ſeq. inſeritur Manuſcriptum Bibliothecæ Oxonienſis de origine Gigantum in Britannia; reliqua capitis hujus inquirunt in habitum corporis veterum ſeptentrionalium cauſasque veras decreſcentium virium humanarum. Cap. VII & VIII Anglo-Saxones faciunt conditores Monumenti Salisburienſis.

Secundum in volumine hoc locum occupat *Exercitatio Hiſtorica de Dea Nehalennia, numine veterum Walachrorum Topico,* quæ jam anno 1717 Cellæ prodierat in lucem. Meminit hujus Diſſertationis Montefalconius in addit. ad Tom. II operis Antiquarii, ſed ita ut ex mutila quam refert inſcriptione ſatis appareat, eam ipſi non fuiſſe inſpectam. Collectas hic habet Lector omnes inſcriptiones partim hactenus ignotas, partim obſcuras, quæ Deam hanc patriam referunt. Illud imprimis hac opella agit Autor, ut dogmata veterum ſeptentrionalium de Nymphis, Nehis, Necco aliisque aquatilibus dæmonibus excutiat, Nehalenniamque non aliam eſſe, quam Neham cultam in loco *Halle* dicto, demonſtret. Pag. 250 & in addendis p. 589 nonnulla monet de pia Pontificiorum vel fraude vel ignorantia in explicandis veterum Inſcriptionibus. Additus eſt ſub finem conſpectus operis edendi de Germania Gentili, ſive de Diis veterum Celtarum Gentiumque ſeptentrionalium, nominibus Deorum hactenus incognitorum.

Tertia *Diſſertatio* eſt *de viſco Druidum* ad D. Jacobum Douglas Medicum Londinenſem, qua denominationes ejus ſuperſtitionesque Druidum circa fruticem hunc fuſe perquiruntur. Occaſione loci ex Edda adducti agitur pag. 310 ſeq. de baptiſmate

ſmate majorum noſtrorum, antequam etiam ad ſacra Chriſtianorum tranſiiſſent, & pag. 318 de quercubus quibusdam in inferiori Saxonia celebribus.

Diſquiſitiones Hiſtoricæ, quæ ſequuntur, in duas Sectiones diſpeſcuntur, quarum prima eſt *de interdicto carnis equinæ eſu*, quem Autor non ex legibus Iſraeliticis ſed Antiquitatibus patriis repetendum autumat. Uſus enim hujus carnis non modo frequens ſed & maxime ſolennis erat in ſacrificiis majorum noſtrorum, quorum reliquias & hoc pacto abolere ſatagebant primi converſores. Epilogus eſt de modo præpoſtero, quo uſi ſunt primi converſores in plantanda Eccleſia Chriſtiana, quod ad noſtras attinet terras: item de perſecutione ob ſacra diverſa, quam jam gentiles noſtri pro illicita habebant. *Sectio* II ſiſtit *Compotationes ſacras*, quæ ſacrificia olim excipiebant, illuſtrat ſimul poculorum genera, eorum conſecrationes, ſocietates Gilden vel Innungen dictas, Bragi Dei poculum, & reliquias gentiliſmi complures in cœtibus Chriſtianorum etiamnum hærentes. Agmen claudit Etymologia vocis Hornung, qua Germani menſem Februarium appellant. Autoris ſententia eſt, eam non a Kernunno Deo, quod Leibnizius fecerat, ſed a cornibus ſive poculis & feſtis diebus repetendam eſſe, idque confirmat Faſtis Runicis pag. 367 adductis.

Excipit has Obſervationes *Diſſertatio de mulieribus fatidicis veterum Celtarum gentiumque ſeptentrionalium*, quæ ſeptuaginta fere Inſcriptionibus ex parte ineditis lucem adfundit, ac ſpeciatim agit de Matribus & Matronis, Mair, Druidibus fœminis, volis, Genis, Samnitis, Alirunis, Velleda, Aurinia, Ganna, Jetha, Sifa, Thrudur, reliquiisque gentiliſmi inter Chriſtianos, quod ad hanc materiam. Quo pertinent fabulæ de ſagis pag. 491 ſeq. oculorum faſcino p. 493 tempeſtariis p. 494 ſeq. converſione hominum in lupos, p. 495 ſeq. collectione herbarum, p. 496 ſeq. dæmonio meridiano p. 498 ſeq. ſpectris Alforum p. 500 ſeq. oraculis Alrunicis &c. p. 504 ſeq. quæ ſingula ex hiſtoria maxime veteri ſuam accipiunt lucem. Inſperguntur paſſim obſervationes uberiores ad rem pertinentes, ut pag. 398 ſeq. de *Domus Divinæ* elogio in Inſcriptionibus, Imperatorum-

que Romanorum inſana ambitione. Pag. 408 ſeq. de more gentilium ſimulacra & imagines membrorum morbo adfectorum appendendi ſtatuis Deorum tutelarium, quæ votorum ratio etiam ad Chriſtianos tranſiit: pag. 449 de ſomniis vetularum: pag. 457 de Duſiis & concubitu dæmonum cum mulieribus: pag. 461 de literis Runicis & incantationibus veterum ſeptentrionalium; de Bructerorum, Finonum & Marſorum denominationibus pag. 473 ſeq. de jure Cunnagii & Marcheta p. 483 ſeq. Illud hoc loco notandum cenſemus, Antiquitates Galliæ Manuſcriptas, quæ pag. 380 citantur, non Dagerahtum autorem agnoſcere, uti ibi habetur, ſed Gudium. Extant nunc ex in Bibliotheca celeberrimi & de patriæ Antiquitatibus præclare meriti *Joh. Georgii Eccardi*, qui eas Autori communicaverat.

Finem imponit opuſculis hiſce *deſcriptio urnæ ſepulchralis* in agro Neilingenſi veteris Marchiæ menſe Septemb. 1719 erutæ, cujus etiam figura æri inciſa addita eſt. Acceptam eam fert Autor *Davidi Solbrigio* Regiæ Majeſtatis Pruſſicæ in Diœceſi Seehuſana Inſpectori, conſtatque totus apparatus diverſis vaſis & varia ſupellectile partim ænea partim argentea, quæ equorum ornatui inſerviit, ut putat Autor. Fuſum eſt opus multaque figurarum ſerie inſigne, pondere 6 librarum Brunſuicenſium. Accedunt tandem indices locupletiſſimi tum ſcriptorum tum rerum, cum addendis, quæ poſtquam jam ſub prelo ſudaverat liber, ſuccurrerant.

JOURNAL DES CHOSES MEMORABLES ADvenues durant le Regne de Henry III Roy de France & de Pologne.

h. e.

DIARIUM RERUM MEMORABILIUM regnante Henrico III Rege Galliæ & Poloniæ geſtarum. Tomi II.

Coloniæ, apud Hæredes Petri Marteau, 1720, 8. Alph. 3 fig. æn. 12.

Nota

NOta eſt Satyrarum Collectio, quæ jam pridem A. 1663 ac rurſus additionibus & commentario aucta A. 1664 in 4, demumque ſub titulo *Recueil de diverſes pieces ſervant a l'hiſtoire de Henry III &c.* Coloniæ apud Petrum Marteau 1693 unico volumine in 12 prodiit. At cum nondum omnia liquere viderentur, quod & nomina ſæpe conficta & res ſollicite velatæ deprehenderentur, rem fecit hiſtoriarum cupidis oppido exoptatam doctiſſimus *Duchat*, Curiæ ſupremæ Gallorum Berolinenſis Conſiliarius, qui & notulas ſubinde ad marginem adlevit, & ſcripta integra ceteris inſeruit, & animadverſiones ultimo imprimis ſcripto longe plurimas adjecit. Exhibetur itaque hic primo loco *Diarium*, quod ſolum in titulo operis memoratur, & a menſe Majo A. 1574 ad Majum A. 1589 pertingit: cujus Autorem cum alii crediderint *Servinum* Advocatum generalem Parliamenti Pariſienſis, Noſter nunc potius opus illud Viro arguto, *L'Eſtoile*, Peliſſonio in Hiſtoria Academiæ Gallicæ commendato, tribuendum, & Servini in opere edendo partes alias non fuiſſe judicat, quam quod hujus lucubrationibus, quæ latius, ut paulo infra docebimus, excurrunt, ea detraxit, quæ ad Henricum III ſpectant. Sequuntur *Divortium ſatyricum amorum Reginæ Margaritæ* & *Hiſtoria amorum magni Alcandri*, cum clave & notis pereruditis; quantum vero conjectari licuit, utrumque ſcriptum *Victori Cajetano* debetur. Succedunt, quæ in ultima editione Colonienſi non comparebant, *Epiſtolæ* nempe *amatoriæ Henrici IV ad Belloſortiam Ducem, Additiones* item *ad Diarium Henrici III* & Incantationes Henrici Valeſii & ſacrificia dæmoni facta in luco Vindocinenſi. Quæ deinde excipiunt antea quoque huic collectioni inſerta: *Apologia Henrici IV*, vulgo *Rohaniæ Viduæ*, a nonnullis tamen *Cajetano* adſcripta, & *Mira narratio de vita Catharinæ Mediceæ*, de cujus Autore etſi nihil conſtet, certum tamen eſt, eam ante Henrici III tempora fuiſſe compoſitam, quippe jam tum A. 1574 Collectioni ſcriptorum ad Carolum IX ſpectantium inſertam. Clauditurque hic Tomus *vera Fatalitate fani Clodoaldi* ſeu narratione de cæde Henrici Tertii, quæ loco Pariſiis vicino *S. Cloud* dicto contigit, ſimili ſcripto, quod in Tomo II

Saty-

Satyræ Menippeæ 1720 recuſæ comparet, oppoſita, & nunc primum pariter huic operi inſerta. Qua quidem occaſione Noſter monet in præfatione, latuiſſe Autorem, quod Choquetus Dominicanus in libro *de Sanctis Belgii Ordinis Prædicatorum* Timmermannum ob ſauciatum Guilielmum Arauſionenſem morti damnatum inter ſanctos Ordinis Martyres retulerit. Tomus ſecundus totus fere deſtinatus eſt *Confeſſioni Sancii* antea quoque editæ, cujus ſingulis capitibus curioſæ ac prolixæ ſubjiciuntur annotationes, ut correctiones & Additiones ad finem rejectas taceamus. Etſi vero hæc confeſſio nomen præferat *Harlæi Sancy*, cave tamen putes ab ipſo compoſitam, quin potius ab *Aubignæo* aut, ut alii putant, a *Chamierio* aut *Cajetano* Harlæo ſuppoſitam fuiſſe, compertum eſt.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE de France &c.

h. e,

COMMENTARII HISTORIÆ GALLICÆ inſervientes, quibus ea quæ in Gallia ab A. 1515 *ad* 1611 *memoratu digna geſta ſunt, continentur.* *Tomi II.*

Coloniæ, apud hæredes Hermanni Demla, 1719, 8.
Alph. 2 pl. 7 fig. æn. 30.

OPportune hunc librum jungimus præcedenti, quippe univerſum illud Petri de l'Etoile opus complexum, ex quo particulam quæ ad Henricum III ſpectat, jam olim detractam & ſub *Diarii* nomine aliquoties vulgatam diximus. Quare & noſter Editor, dum cetera inde ab A. 1515 usque ad 1611, qui Autori emortualis exſtitit, publici juris facit, totum illud Diarium non uno quidem loco emendatum & auctum Tomo I a pag. 35 usque ad finem hujus Tomi, repetere non gravatus eſt. Ut itaque nunc quoque Diarium, quod in omnium manibus eſt, prætermittamus, e reliquis, in quibus tamen hiatum deprehendimus T. II p. 229, ubi Editor dolet, volumen res ab

A. 1595 ad 1606 geſtas complexum, fruſtra hactenus quæſitum, præmiumque inventori ſpondet,) pauca quædam hoc loco communicabimus.

De Franciſco I refertur, quod cum ſuaſu Cancellarii pactum quod *Concordatum* vocant, ſanciviſſet cum Pontifice Leone X, reducem Bononia Cancellarium his verbis compellaverit: *magnopere vereor, ne hoc pactum utrique noſtrum, tibi æque ac mihi, inferno luendum ſit.* Carolum Borbonium, in oppugnatione Romæ glande trajectum, jamjam exſpirabundum, proximo militi dixiſſe traditur: *Injice mihi ocyus pallium, ne ceteri, cum me mortuum viderint, animo dejiciantur*, additurque diſtichon: T. I. p. 2. 4.

Unum Borbonio votum fuit arma ferenti,
Vincere vel morier, dedit utrumque Deus.

Stephanus Jodellus, Poeta Pariſienſis, promptus & ingenioſus, ſed omnibus voluptatibus diffluens, Numinisque contemptor, cum inter maximos cruciatus, ut divinam opem imploraret, admoneretur, nec agniturum ſe Deum nec invocaturum reſpondit, quoad ille ſibi tantum inferat mali, atque deſperabundus exſpiravit A. 1573. Cum Franciſcus Belleforeſtus Hiſtoriam novem Carolorum Galliæ Regum ediderat, quo illos magnopere commendaverat, his non nemo verſibus luſit: 30. 34.

Noſtrorum evolvas annoſa volumina Regum,
Et quæ ſunt illis dicta vel acta legas;
Regibus e Carlis dabitur cui tertia ſedes,
In vivis fatuus vel furioſus agit.
A magno incipias & tertius ordine ſimplex,
Tertius tunc ſequitur, quem furor exagitat.
A ſexto hinc numeres, eſt Carolus ordine nonus,
In cædes hujus mens male ſana ruit.

Coſmographus Thevet, A. 1590 mortuus, mendaciſſimus atque rerum omnium adeo ignarus fuiſſe perhibetur, ut ſibi perſuaderi pateretur, Anacreontem ipſum ſcripto teſtatum, quod uvæ acino perierit. Ad A. 1594 obſervatur, Maynium Ducem nummum Pariſiis diſtribuiſſe, qui ipſum repræſentabat, gladium manu tenentem, cum epigraphe: *Carolo Lotharingio clavum Regni te-* T. II. p. 28. 181.

 nente,

nente, in averſa vero inſignia Galliæ & Lotharingiæ, cum lem-
p. 203. mate: *Vacante Lilio Dux me regit optimus.* Cum A. 1594 eodem
die, quo Rex Henricus IV Lutetiam ingreſſus erat, Hiſpani im-
petrata venia diſcederent, Rex de porta S. Dionyſii deſpiciens
prætereuntes Duces blande ſalutabat, additis verbis: *commen-*
235. *date me Domino veſtro, at nunquam revertimini.* Libri cui ti-
tulus *Les amours tragiques de ce temps* Autorem vocari *Laffe-*
mas, ſartorem primum ac poſtea cauſarum patronum,
affirmatur, quem & alium librum politicum ſcripſiſſe con-
ſtat, quem cum Henrico IV afferret (cujus hic varia pulcre di-
cta memorantur) reſpondiſſe fertur: *quoniam ſartores de ſtatu*
politico libros ſcribunt, poſthac Cancellariis braccas conficiendas
credam, quod paulo quidem aliter Perefixius in vita Regis enar-
239. rat. Ubi pacem inter Paulum V & Venetos A. 1607 conciliato-
re Henrico IV factam refert, obſervat Cl. Editor, interdictum
a Pontifice fuiſſe revocatum, nec ullo modo illi a Venetis ſatis
factum, nec petitam abſolutionem, nec receptam ſolenniter, aut
ulla ab illis lætitiæ ſigna edita: imo nec literis mandatum pa-
cificationis tractatum, eoque ſpurios & a Cardinali Cajetano ſup-
248. poſitos eſſe articulos a Romana curia vulgatos. De Renato
Rapino, celebri Poeta, quem monachi filium creditum Editor
putat, die 15 Febr. 1608 Cæſaroduni mortuo, narratur, quod
tribus ante obitum horis a filio de valetudine interrogatus, ca-
lamum arripere juſſerit & nihil hæſitans verſiculos (quales mul-
ti paſſim in opere occurrunt) dictaverit:

Qui digitis floccos legit, & ſua complicat in ſe
Lintea, miraturque manus ſpectator ocellis;
Cui ſummi digiti frigent, manibus, pedibusve,
Et naſi ſupremus apex; cui tempora pauco
Tempore labuntur, nares ſimæque, & apertæ,
Dirigiturque pilus velut horrens, lumina ſenſim
Hebeſcunt, & ſingultu vox hæret acuto;
Qui matulæ oblitus, læſi dat ſigna cerebri,
Et linguæ titubans non ſe regit ordine ſermo:
Ejus ſpes nulla eſt, animumque videbis ovantem
Scandere ſupremas multo cum gaudio ad arces.

Memi-

Meminit mox Autor nummi, a Peireſcio ſibi oblati, cum icone & inſcriptione: *Diana Dux Valentinorum clariſſima*, & in averſa: *Omnium victorem vici.* Ubi Lancelotum du Voeſin de la Popeliniere, hominem elegantem & eruditum, inedia demum oppreſſum Pariſiis 1608 obiiſſe memorat, addit, eum in Hiſtoria turbarum Galliæ civilium deſcribenda principem dici poſſe, ſi poſteriores libri reſponderent prioribus, certe tam vere tamque libere ſcripſiſſe, ut ideo mortis periculum incurrerit, quippe Rupellis aliquando corpus gladio trajectus. Præſidem Janninum Legatum Gallicum, qui inducias A. 1709 inter Hiſpanos Belgasque feliciter conciliaverat, in eruditos imprimis fuiſſe admodum liberalem docetur, ſimulque notatur, Juſtum Scaligerum marſupium mille thaleris plenum, iterum iterumque ab eo oblatum, conſtanter detrectaſſe. Georgius Critton, Profeſſor Regius d. 8 Apr. 1611, hiſce verbis Latinis adſtantes affatus: *valete amici, valete ſuperſtites, mortalitatis immemores*, exſpiraſſe fertur. Denique de Roberto Conſtantino, Lexici Græco-Latini Autore, notamus, eum a Noſtro A. 1611 centum & decem annis majorem Montalbani defunctum memorari, quem alii quidem A. 1605 ætatis centeſimo tertio obiiſſe teſtati ſunt.

p. 249. 276. 365. 368.

LA VIE DE MADAME JEANNE-MARIE BOUVIERES de la Mothe Guion.

hoc eſt,

VITA GUIONIÆ, AB IPSAMET CONSCRIPTA. Partes III.

Coloniæ, apud Joan. de la Pierre, 1720, 8.
Alph. 2 pl. $13\frac{1}{2}$.

QUi Præfationem huic operi præfixit, poſtquam commemoraſſet, Guioniæ adverſarios & doctrinam & mores ipſius plurimis oneraſſe calumniis, haud paucos refert veriora eſſe edoctos, quibus ea poſt mortem maximi ſui adverſarii in libertatem vindicata ſui conveniendi poteſtatem fecerit. Iidem ex ipſa cognoverunt, ſe ſuam ipſius vitam copioſe de-

ſcripſiſſe, imo Anglo cuidam, viro ſuæ nationis primario, ea dono dedit MStum vitæ ſuæ codicem, rogans, ut ipſa defuncta publici eum juris faceret. Exſtincta igitur Guionia Blæſis A. 1717 d. 9 Junii, ſtatim typis fuit mandata, quæ hic exhibetur, tripartita Vita Guioniæ. Præfationi huic, in cujus exitu etiam docetur, quo ordine ſint Guioniæ libri legendi, ſubjicitur primo Epiſtola d. 16 Junii A. 1717 Blæſis ſcripta a quodam, qui morienti Guioniæ adfuerat, deinde Catalogus librorum ejus. Ex priore diſcimus, Guioniæ mortem præceſſiſſe graviſſimum trium menſium morbum: aperto mortuæ corpore, nullam partem deprehenſam fuiſſe ſanam, excepto corde, quod tamen flaccidum fuerit, & cerebro, quod & ipſum ſolito fuerit humidius: cæteras partes corporis & inteſtina fuiſſe vel putredine corrupta vel ardore correpta, fel vero petrificatum, ut cum phyſicis loquamur. Catalogus librorum a Guionia Gallice conſcriptorum hic eſt:

Vetus Teſtamentum una cum explicationibus & meditationibus vitam interiorem ſpectantibus. Tomi XII.

Novum Teſtamentum una cum explicationibus & meditationibus vitam interiorem ſpectantibus. Tomi VIII.

Sermones Chriſtiani & ſpirituales de variis argumentis ad vitam interiorem ſpectantibus. Tomi II.

Epiſtolæ Chriſtianæ & ſpirituales ejusdem argumenti. Tomi IV.

Anima Dei ſui amans, repræſentata in Herm. Hugonis emblematibus de Piis deſideriis, & in Oth. Vænii emblematibus de amore divino, una cum figuris novis, quibus ſunt ſubjuncti verſus ad vitam interiorem viam demonſtrantes.

Vita ipſius, ab ipſamet conſcripta. Tomi III.

Ejus Opuſcula ſpiritualia, hoc eſt, via brevis & facilis ad recte orandum, Torrentes ſpirituales, &c. Nova editio.

Ejus Apologiæ, & Cantica ſpiritualia, nondum ſunt in lucem emiſſa.

Venimus ad Biographiam Guioniæ, in qua non ſimplici brevitate hiſtoria ejus exponitur, ſed muliebri facundia crebræ interſeruntur digreſſiones, quibus modo DEUM, cujus miram providentiam ubique agnoſcit & prædicat, exemplo Auguſtini allo-

alloquitur, modo caſus vitæ ſuæ, qui curioſiſſime deſcribuntur, in pias allegorias convertit piasque iis adjungit meditationes. Nata eſt, ut e *Cap.* 2 diſcimus, d. 23 Apr. A. 1648 piiſſimis parentibus, & nata quidem eſt partu octimeſtri, tamque debilis, ut diu haberetur pro vitæ experti. Adhuc infans quatuor annorum per ſomnum vidit infernum terribili ſpecie, quem oblivisci nunquam potuit. Eodem tempore jam ſenſit cupiditatem martyrii. Ab infantia usque ſemper verſata eſt in monaſteriis virginum, ibique a propria ſorore inſtituta cum ad octavum vitæ annum perveniſſet, tam docte ad quæſtiones theologicas reſpondere valuit, ut omnibus eſſet admirationi. Vix duodecennem inceſſit cupido monaſticis ſe conſtringendi votis. Sed obſtitit ætatis ratio, quo minus inter moniales reciperetur. Ipſa vero libenter & aſſidue jam tenera illa ætate legebat ſacram Scripturam, & alios pios libros, interque eos maxime Opera S. Franciſci Saleſii. Singulari exarſit amore erga pauperes, ac ad ignoſcendum injuriis jam puella ſe præbuit facillimam. Adultior tamen facta cœpit preces negligentius obire, ſibi ipſi ob corporis ſui pulchritudinem impenſius placere, fabulas Mileſias lectitare. Nec nuptias averſata, A. 1664 marito ſe junxit, infelici tamen implicita conjugio, quippe cum a ſocru, tum a marito, quibus nec ſermones Guioniæ nec mores probabantur, adeo male habita, ut aliquando cultrum arriperet, exciſura ſibi linguam, qua nihil ſocrui placens proferre poſſit. Agnoſcit vero ſtatim calamitatis hujus utilitatem, qua quippe opus ipſi fuerit ad opprimenda vitia muliebria. Dabat enim tum maximam operam vincendis animi pravitatibus, & lectitandis piis libris. Gravida hoc tempore cum eſſet, quas corporis infirmitates tum ſenſerit, perſequitur, ac rurſus redit ad incommodos mariti ſui mores, quem fuiſſe dicit melancholicum, & uxoris quidem amantiſſimum, at ſimul graviſſima ſuſpicione metuentem, ne ipſa majori flagraret amore aliorum. Hinc narrat, quomodo pugnare perrexerit cum pravis animi propenſionibus, & orare, & pauperibus officia caritatis præſtare, largiendo eleemoſynas, & ægrotos pauperes viſitando. Hoc ipſo temporis tractu undeviginti annos nata edocta fuit a monacho quodam

Margin notes: P. I Cap. 3. — 4. — 5. — 6. — p. 58. — Cap. 7. — 8.

dam orationem interiorem, qui monachus, ab ipſa rogatus, ut ipſius directionem ſpiritualem ſuſciperet, cum primum noluiſſet, tandem dicente ad ipſum DEO: *Ne timeas hujus fœminæ*
Cap. 9. *curam ſuſcipere, eſt enim ſponſa mea*, id fecit. Donum illud interioris orationis ſe divinitus accepiſſe, vehementer gaudet, illudque donum præſtantius eſſe judicat dono ecſtaſium & viſionum. Viſiones enim ait illuſioni obnoxias eſſe, ac DEUM ipſum nunquam apparere, ut quidem homines ſibi perſuadeant, imo vix unquam JEſum Chriſtum, ſed Angelum quendam lucis: id quod probare conatur ex 2. *Cor. XI, 14.* Ecſtaſes etiam obnoxias eſſe credit illuſioni, itemque alloquia interna, quæ & ipſa ſtatuit nunquam fieri ab ipſo Deo, ſed ab Angelo quodam. Revelationes quoque docet eſſe periculoſas, cum proficiſci poſſint a Diabolo, &, ſi vel maxime ab Angelo quædam proficiſcantur, tamen mentem impediant, quo minus totam ſeſe permittat providentiæ divinæ. Illud vero ecſtaſeos genus ſummopere probat, quo anima a DEO attrahitur, & a rebus mundanis penitus abſtrahitur, in Deumque quaſi in centrum ſuum deducitur. Hoc loco adjicit Guionia, ſe DEI gratia deductam fuiſſe in ſtatum iſtum puriſſimum beatiſſimumque.
10. Hinc exponit, quomodo corpus ſuum excarnificaverit ipſa omnis generis cruciatibus, e. g. abſinthium gerens in ore, colocynthida miſcens cibis, ſpinis cutem diſpungens, ſcrupulos injiciens calceis, &c. Quo tempore ait ſe tam ardenter amaſſe Deum, ut ſolum in Deum ejus ferretur omnis cogitatio, & ut nemo vir Galateam ſuam dulcius teneriusque amare poſſit: ſe viciſſim abſorptam fuiſſe in Deum, ut toti mundo in univerſum valedixerit, & acerbiſſima quæque pro Deo pati geſtierit: ac tum Deum ſibi ſemper præſentiſſimum fuiſſe per divinam quandam infuſionem & per unionem voluptatis pleniſſimam.

Libet hic abrupto narrationis filo ſubſiſtere. Nam cætera, quæ ſequuntur, ejuſdem generis ſunt, tamque multa narrat Guionia de reſignatione ſui totali, de divinis tentationibus & exercitationibus, de bonis ſuis operibus, de calamitatibus ſuis, de miris divini amoris influxibus, ut compendium quoddam Theologiæ Myſticæ hic reperire liceat. Excerpemus tamen

non-

nonnulla plane ſingularia. Tale eſt, quod *Cap. 19 p. 185* narrat. Scilicet A. 1672, poſtquam pridie jejunaſſet, & largius erogaſſet eleemoſynas, Dominicæ cœnæ interfuit annulum geſtans in digito. Domum hinc reverſa ſuum ſe contulit in ſacrarium, & imagini Chriſti infantis formulam contractus nuptialis prælegit, ſignavit, & ei annulum ſuum dedit. En formulam illius contractus: *Ego N. promitto, quod ſponſum mihi ſumam JESUM infantem, & me ipſi, quamvis indignam, tradam ſponſam. Ego ab ipſo pro dote ſpiritualium harum nuptiarum exigo crucem omnis generis, contemtum, confuſiones, opprobria, & ignominias, & ipſum rogo, ut mihi dignetur infundere humilitatem ſuam & abnegationem univerſalem.* *Cap. 22 p. 211* refert, ſe ſingulis diebus Dominica cœna uſam eſſe. *P. 213* docet, anno 1676 maritum ſibi morte ereptum fuiſſe, quocum duodecim annos in matrimonio conſumſerat: nec diu poſt ejus mortem (*p. 216*) ipſi fuiſſe revelatum, quod defunctus maritus jam ſit liberatus e purgatorio, & evectus in ſedes illas beatiſſimas. *Cap. 29 p. 278* tradit, ſe ſomnia ſubinde habuiſſe myſterioſa, quæ vocat, quorum unum hoc ipſo loco exponit.

Accedimus ad ſecundam hujus vitæ partem, qua hæc ſingularis exempli mulier exponit, quid ipſi extra Galliam verſanti & varia loca perluſtranti contigerit. Scilicet A. 1681 abiit ex Gallia relictis omnibus ſuis bonis, paupertatem Chriſti imitandi cupida. Refert hic *Cap. 1*, ſe quotannis renovaſſe ſuum cum Chriſto matrimonium. *Cap. 2* memorat unionem ſuam ſpiritualiſſimam cum P. la Combe, qui deinceps ipſius director fuit in ſpiritualibus. *Cap. 5 & 6* refert, Epiſcopum Genevenſem ſibi factum eſſe inimicum, & hoſtili odio perſecutum eſſe tum ipſam, tum etiam Combium. *Cap. 16 p. 178* enarrat ſomnium myſterioſum, quod inter omnia hujus generis ſomnia, quæ habuerit, plane ſingulare & eximium judicat. In hoc Chriſtus Guioniam introduxit in cameram, ubi erant duo lecti. Rogatus ab ipſa, quid duo hi lecti ſibi velint, reſpondit Chriſtus hunc in modum: *Alter meæ matri paratus eſt, alter tibi, o mea ſponſa.* *Cap. 21* refert, ſe Scripturam S. legiſſe, & inter legendum divino inſtinctu excitatam fuiſſe ad ſcribendos in eam commen-

men-

mentarios. Dicit, ſe ſcripſiſſe illos, quid ſcriberet, ignorantem, & mirantem, ſe ea ſcribere, quæ antea prorſus ipſi fuerint incognita: tantum ſe accepiſſe lumen mentis, tantos theſauros ſcientiæ. Scripſit igitur in univerſa Biblia commentarios, & quidem non ullius libri utens ſubſidio. Se quoque ait tam rapido calami curſu exaraſſe illos commentarios, ut, quod ipſa ſcripſerit una nocte, ſcriba vix quinque dierum ſpatio deſcribere valuerit. *P. 229* refert, aliquando a nimia ſcribendi aſſiduitate ipſius brachium intumuiſſe tanto cum dolore, ut putarit, ſe longo tempore non valituram quicquam ſcribere. Aſt proxima nocte ſibi apparuiſſe in ſomnio animulam aliquam e purgatorio ad ſe delatam, ſeque ab ea rogatam, ut ipſa (Guionia) liberationem ſui precibus expoſceret a ſponſo ſuo. Id ſe feciſſe, hisque verbis animulam illam dimiſiſſe: *Si verum eſt, quod tu ſis liberata ex purgatorio, fac ſanes brachium meum.* Statim vero ſanatum ſibi eſſe brachium, redditamque ſibi ſcribendi facultatem. *P. 230 ſq.* refert, ſe aliquot miraculoſas ægrotorum ſanationes patraſſe, imo Diabolum, qui puellam aliquam magno malo affecerit, coercuiſſe. *Cap. 22* ſcriptum reliquit, ſe a multis pro ſaga fuiſſe habitam. Ibidem *p. 234* refert, ſe, cum commentarios vellet perſcribere in hiſtoriam Davidis, tam arctam iniiſſe cum Patriarcha hoc unionem, ut divino quodam ac realiſſimo modo cum ipſo ageret tanquam cum præſenti.

Pars tertia hiſtoriam Guioniæ perſequitur a reditu ipſius in Galliam usque ad A. 1709. Scilicet redux A. 1686 Lutetiam graviſſimas in perſecutiones incidit cum Combio ſuo, cum quo inhoneſtam colere dicebatur familiaritatem: quod tamen mendacium ob mentientium imprudentiam ſtatim fuit deprehenſum. Paulo poſt Combius Molinoſiſmi ſive Quietiſmi reus factus in cuſtodiam fuit datus, nec diu poſt ipſa quoque, tanquam hæreſi Molinoſi infecta, cujus tamen ne nomen quidem tum ad aures ipſius pervenerat. Hic enarrat inſidias & peſſimas hoſtium ſuorum artes, & acerbiſſimam tractationem tum Combii, tum Guioniæ. Liberata e carcere tamen perpetuis obnoxia fuit perſecutionibus, Theologis aliquot Pariſienſibus, maximeque Epi-

Epiſcopo Meldenſi, Boſſueto, imo ipſo Archiepiſcopo Pariſienſi, Harlæo, ſcripta ipſius improbantibus. Initio quidem Boſſuetus favebat Guioniæ, & vitæ myſticæ, quam vocant. Deinde vero ſcriptis Guioniæ ſevero examini ſubjectis multo aliter ſentiebat, & ipſi Guioniæ coram proponebat plures objectiones adverſus ipſius doctrinas, jubebatque eam libris ſuis aſſerere orthodoxiam. Hic vero ipſa negabat, id a ſe poſſe fieri: ſe enim, etſi inter ſcribendum planiſſime intelligat, quæ ſcribat, poſtea tamen omnium dememiniſſe, adeoque rationem ſcriptorum ſuorum reddere haudquaquam poſſe. Boſſuetus inter alia eam reprehendebat, quod velit ipſa haberi pro fœmina illa *Apoc. XII, 1* deſcripta. Reſpondebat Guionia, ſe id ſcripſiſſe non ſponte ſua, ſed divino inſtinctu: deinde nihil contingere in Eccleſia, quod non quadantenus contingat huic vel illi animæ. Sed nolumus vel objectiones Boſſueti vel reſponſiones Guioniæ plures proferre in medium, ne juſto latius evagemur. Illud prætermittere non debemus, quod ſubjecta huic vitæ ſit Appendix *p. 246 ſeqq.* exhibens aliquot epiſtolas mutuas Combii & Guioniæ, item quatuor cantica ſpiritualia, quæ in captivitate ſua compoſuit Guionia. Cap. 14.

E LITERIS CHRISTFRIDI VVÆCHTLERI, JC. occaſione locorum quorundam Philoſtrati.

JO. Laur. Mosheim, *Biblioth. Bremenſ. claſſ. 3 Faſc. 1 p. 1,* in Epiſtola de imaginibus teleſticis, quas Apollonium Tyanæum confeciſſe negat, ferre non potuit I. quod D. Gottfridus Olearius in notis ad Philoſtratum *de vita Apollonii l. 3 c. 22* dixerat, præcipuum illarum inter Græcos magiſtrum eundem fuiſſe. Seldenus autem *ad Marm. Oxon. p. 51* dixerat ſimiliter, *ante Apollonii Tyanei tempora nunquam in Græcia has artes teleſmaticas fuiſſe notas, a Zabiis autem habuiſſe originem.* Moſheimius hic adſtipulari Seldeno noluiſſe videtur; Apollonii tempore τελεςικὴν non admodum fuiſſe notam. Sed nullam plane hic pugnam cernas. Eundem autem Apollonium ea feciſſe, quæ Antiochiæ & Byzantii miranda effeciſſe putatur aliis, haud ſcripſit D. Olearius. Nam illa commemorantur a recentioribus qui-

buſdam. An credat Moſheimius Philoſtrato, Apollonium ſtruxiſſe Epheſi adverſus peſtem ἄγαλμα ἀποτροπαῖον, *lib.4 c. 10*, non liquet. Videntur autem imagines teleſticæ, ἀγάλματα talia, ſtatuæ etiam teleſticæ, & quocunque nomine veniant artes Apollonii, in eundem cenſum cadere, & a vaferrima magia iſtorum temporum ortum habere. Revera tamen primum illum apud Græcos ab imaginibus iſtis celebrem factum eſſe, aſſerit etiam Stanlejus. *Philoſ. Orient. Lib. 1 Sect. 1 c. 22.* Et Jo. Clericus: *Magicis artibus celebrem fuiſſe nemo negaverit. Impoſtor fuit, magus quippe. Hiſt. Eccleſ. Sect. 1 p. 500.* Atqui Damis, Maximus, Mœragenes, quorum primus perpetuus comes Apollonii fertur & commentarios de eo reliquit, reliqui duo Apollonii res plenius adhuc ſcripſerunt, ejusque temporibus proximi, *penitus ignorant prodigioſa illa opera*, ait Moſheimius. Sane vero nihil extat horum omnium: neque noſtrum eſt adeo definire, quid ſciverint vel ignoraverint de prodigiis iſtis. Et præſtabat dicere, tres iſtos nihil omnino conſignaſſe literis, ſed figmenta eſſe omnia & a Philoſtrato primum excogitata. Ergo & Origenes mentitus videbitur, qui Mœragenis ſcripta profitetur ſe legiſſe, de Apollonii Tyanenſis, magi & philoſophi, ἀπομνημονεύμασι. *Captos eſſe ab illius magia non ignobiles philoſophos*, ὡς πρὸς γόητα αὐτὸν εἰσελθόντας. Sed quia non adulabatur Apollonio Mœragenes, ad eum non putabat eſſe attendendum Philoſtratus. Huet. *Demonſtr. Evang. p. 1067.* Celſus etiam ipſe, contra quem ſcripſit Origenes, Hierocli præluſit, & magicas operationes contulit cum hiſtoria & miraculis JEſu, *L. 1 p. 53*, quia id ipſi commodum in præſens videbatur. Cumque vixerit ſeculo ſecundo, notasque habuerit artes Apollonii omnes, videtur easdem recenſere apud Origenem *Lib. 6 p. 301:* ἀποπομπίους φωνὰς, κτύπους, δαιμονίους σχηματισμοὺς, αἰσθητῶν, (ἐσθήτων) ἀριθμῶν, λίθων, φυτῶν, ῥιζῶν, καὶ ὅλως παντοδαπῶν χρημάτων παντοῖα ἀλεξιφάρμακα, *incantationes, effigies formasque dæmonum varias pellendis morbis, & amuleta diverſorum generum in veſtibus, numeris, lapidibus, plantis, radicibus.*

2. II. Apollonium ſemel ſub Domitiano fuiſſe Romæ, ut ſe purgaret a crimine, quod ei objiciebatur, exiſtimabat D. Olearius: Moſheimius etiam paulo ante, quam patraſſe ibidem iſtud argueretur

retur. Non abnuebat ſane Apollonius, ſe tunc, cum diceretur patratum eſſe, fuiſſe Romæ, ſed domi aſſediſſe amico veteri, Philiſco, graviter decumbenti, præſente inprimis Teleſino, Viro Conſulari & Medicis. Factum hoc conjicit Mosheimius Anno Chriſti XCII, accuſatum autem fuiſſe anno XCIII. Sed dubium reddit hunc calculum, quod in Apologia Apollonii *L.8 c. 7 Sect. XI* dicitur, *his triginta & octo annis non acceſſiſſe Eum limina Imperatorum.* Ita recurrimus ad annum Neronis X, quo Apollonius prima vice fuit Romæ, ac Teleſino innotuit, atque apud Tigillinum præf. prætorio accuſatus, per artem magicam fecit, ut volumen, quod tenebat in manu accuſator, & in quo accuſatio erat deſcripta, omne veſtigium literarum amitteret ſubito, quum Tigillinus illud præſente Apollonio explicaret. Volebat ergo is Domitiano perſuadere, ſe per hos XVIII annos, & usque ad Domitiani annum XII Romam non adveniſſe, vel ad limen Imperatoris. Quod erat ambigue dictum. Sub initium Imperii Domitiani erat Nerva adhuc Romæ, ſed quia idoneus videbatur qui imperaret, jubebatur habitare Tarentum. Apollonius igitur, qui bene ſperabat de Nerva, forte tunc erat adhuc Romæ, & una cum Nerva diſceſſit. Cumque accuſaretur ex urbe in agrum egreſſus eſſe noctu ad Nervam, ut eum ſacrificato puero erigeret ad ſpem imperii, in exitium Domitiani; dicendum erit, cadere eam accuſationem in annum primum ſtatim Domitiani, & Chriſti XXCI. Diu enim præſentem pati Nervam non potuiſſe Domitianum, nemo dubitat. Ita vero recte reſpondit Apollonius, per hos XVIII annos ad limen Imperatoris ſe non acceſſiſſe, Romæ tamen apud Nervam fuiſſe, ſed noctu tunc non egreſſum in agrum, nec ſacrificaſſe. III Diſputat Mosheimius, Hieroclem ex judi- 3.
ce Nicomedienſi non ſtatim fuiſſe præfectum Alexandriæ, ſed prius præſidem Bithyniæ. Obſervavit autem ipſe Olearius, apud Euſebium exprimi *δικαςήρια τὰ ἀνωτάτω καὶ καθόλου*, & adeo per totam illam próvinciam, *in Hierocl. c. 4 f. 432.* Lactantius autem *de mort. perſecut. c. 16* nondum videtur omnino loqui de eo Hierocle, cujus meminit *divin. inſtit. L. 5 c. 2*, neque id hactenus probavit vel Valeſius ad Euſebium vel Baluzius ad Lactantium. Deſtituimur enim juſta ſerie, in quam collocan-

dus ſit Flaccinus, Hierocles, & Priſcillianus: & an ea cadant in hunc Hieroclem, quæ enarrat Lactantius *L. 5 c. 2: compoſuit libellos duos, non contra Chriſtianos, ſed ad Chriſtianos*, ut humane ac benigne conſulere putaretur, *in quibus adeo multa capita Scripturæ, adeo intima enumerat, ut aliquando ex eadem diſciplina noſtra fuiſſe videatur: niſi forte caſu in manus ejus divinæ literæ inciderunt.* Num ſimilia occurrant in animadverſ. Euſebii ad comparationem Hieroclis cum Chriſto, videndum foret aliis.

4 IV Improbat Moſheimius, verſionem Billianam Iſidori Peluſiotæ *Lib. 1 epiſt. 398* corrigi a D. Oleario: *καινὲς* enim *λόγες* non eſſe ei hiſtorias mirabiles de teleſticis Apollonii, ſed ſermones tantum novos & ante non auditos, de quibus tamen non conſtet, quid iis veri ſubſit. Nos hic laudamus, quod fatetur Moſheimius, *τελεσάμενον* rectius expoſitum D. Oleario, *teleſtica collocantem Apollonium.* Non contradicit etiam Iſiodorus, nec Apollonium liberat a ſuſpicione illorum telesmatum: ſed urget tantum, non poſſe illa exhiberi, conſiderari & inſpici. Erant enim haud dubie defoſſa multis in locis, neque facile eruenda & examinanda. Ita ſeculo quarto, quum Conſtantius Imperator putaret theſaurum in Thracia eſſe inveniendum, effoſſæ ſunt tres ſolidæ ex argento ſtatuæ, ſpecie barbarica, & veſte barbarica indutæ, & in ſeptentrionem verſæ. Dicebant autem incolæ, antiquo ritu ſtatuas ibi conſecratas, & locum *ἐξ ἀρχαίας τελετῆς ἱερὸν* eſſe. Paucos etiam poſt dies Gothorum gens univerſam incurrit Thraciam & ſecutæ paulo poſt incurſiones Hunnorum ac Sarmatarum in Illyricum & ipſum Thraciam. Locus autem conſecratus erat inter Thraciam & Illyricum. Photius *ex Olympiodoro, Cod. 80 f. 187, 188.* Hæc cum comperta haberet Iſidorus ſeculi quinti ſcriptor, recte reſpondit, ante omnia oſtendi debere locum telesmatum fide dignum. Omiſiſſe autem hæc Philoſtratum, qui tamen vitam Apollonii cum cura ſcripſerit. Calumniam ergo eſſe, ab hoſtibus illius concinnatam. *Egregium profecto locum*, ait Moſheimius, *cujus initia multi arripiant, ſed reliqua non conſiderarint.* In verto totum hoc argumentum Moſheimius enim videbit hic, Iſidorum rem tanti momenti noluiſſe hactenus approbare, ob ſilentium Philoſtrati, qui non expreſſerit, iis locis defoſſa ab Apollonio eſſe

teles-

teleſmata. Si omnem fidem hiſtoricam ei ademiſſet Iſidorus, reſpuiſſet hunc Autorem plane, ceu hominem, quo non ſit ineptior nec ſuperſtitioſior, quique quadrata rotundis miſcuerit, & tot monſtra fabularum conquiſiverit, ut mente captus hinc inde videri poſſit. Perit igitur etiam alterum Mosheimii argumentum, non confeciſſe Apollonium imagines teleſticas, nec alia admiranda Antiochiæ & Byzantii, ob idem ſilentium Philoſtrati. Totam is enim ejus enarrationem explodit, ut Apollonio ſervetur fama viri boni. Ipſe autem Iſidorus ille Peluſiota ſcripſit librum, qui non extat, adverſus Gentiles, quod omnes illorum divinationes (ἡ μαντικὴ) ſint nugæ, & fruſtra omnium ore celebrentur. Itaque & telesmata Apollonii damnavit eo modo, ſicut Origenes. V. Demonſtraſſe autem opinabatur Mosheimius, usque ad tertium ſeculum, quo vixit Philoſtratus ſub Severo, nihil extare apud veteres contra Apollonium. Adde tamen alium locum Origenis *lib. 4 contra Celſum*, quem habet Seldenus *de DIs Syr. Synt. 1 c. 2 p. 116.* Porphyrius porro ſeculo tertio provocat tum ad veteres, tum qui ſua & patrum memoria vixerint, & ex nuperis ad hunc Apollonium, *de abſtin. l. 3 §. 3*, qui affirmaverit, hirundinem garrientem aliis aviculis indicaſſe frumentum ante urbem effuſum eſſe in terra. Refert iſta etiam Philoſtratus *Lib. 4 c. 3.* Porphyrius ergo non negavit, factum eſſe, quod ille ait de Apollonio, & ſocios ejusdem deprehendiſſe, illud ipſum effuſum vere frumentum fuiſſe ibidem, & hirundines omnes etiam eo avolaſſe. Recitat præterea & Celſus apud Origenem, colloquia inter aves fieri. Reſpondet Origenes, hoc quoque dæmonas indicaſſe hominibus, ut ſcirent, quid colloquerentur illæ aves, *Lib. 4 p. 222 & 228.* Apollonium ergo docuere dæmones omnia illa magica Philoſtrati, quæ Mosheimius habet pro fabulis. VI. Seculo enim quarto demum ait cœpiſſe tenuem rumorem inter vulgus ſpargi de magia Apollonii, qualis ille apud Euſebium *contra Hierocl. c. 44 f. 464.* Iterum retinet Mosheimius & verſionem & notam D. Olearii de machinis teleſticis Apollonii, quæ Euſebii ævo credebantur ab illo poſitæ. At vero is non eſt rumor tenuis, ſi qui affirment, ſeſe deprehendiſſe ac reperiſſe etiam hodie ἀτεχνῶς τὸ νῦν, machinas ſimiles, easque poſſe oſtendi. Et quan-

(margin: 5. beside "modo, ſicut Origenes. V."; 6. beside "VI. Seculo")

quam Euſebius ibi his non immoretur, fecit id tamen *de præpar. Evang. L. 5 c. 7*, ubi diſputat non modo contra Porphyrium, ſed & ipſum Apollonium. Nam & libros ejus *de ſacrificiis* legiſſe certum eſt *L. 4 c. 5.* Machina Epheſina huc pertinet, quam jactat ipſe Apollonius apud Domitianum *L. 8 c. 7 Sect. 9*, totque alia, quæ Philoſtratus profecta putat a ſapientia & Deorum auxilio. Utique etiam probat locus ex *qu. XXIV ad Orthodox.* ſive Juſtini Mart. ſive recentioris auctoris, Apollonii telesmata adhuc illo ſeculo dubitationem non contemnendam injeciſſe Chriſtianis. Dicebant enim, *videmus plurima illorum in rebus ipſis oſtendi*, & poſſe adeo ſimplices ad gentiliſmum ſeduci. Reſpondet Juſtinus, utique olim Diabolum ἐν τῷ ἐκείνῳ ἀγάλματι Apollonii habitaſſe, ſed obmutuiſſe; etſi ſtatua ipſa adhuc oſtendatur, & corporalem qualemcunque operationem vi materiæ, ac per conſenſionem & diſſenſionem potentiarum naturalium, quæ Diabolo erant cognitæ, adhuc exercere videatur. Junge *qu. 2, 5, 10, 31, 42, 52, 74, 81, 126*, ac nemo dixerit, hunc Autorem eſſe

7. nullius fidei. VII. Laudat Moſheimius D. Olearium, quod recte legat textum Philoſtrati *L. 8 c. 21 f. 364.* Græcos diſcipulos Apollonii omnes itidem vocaſſe *Apollonios.* Sed ſtatim reprehendit, quod inter illos in notis *ad L. 4 c. 11 f. 148* numeret Thonum Ægyptium, cujus mentio apud Lucianum Pſeudom. Neque vero aſſeverabat hoc D. Olearius. *Forte*, inquit, &, *ni tamen.* Utique etiam occurrit ibi diſcipulus aliquis Apollonii, medicus ſcil. & Præceptor Alexandri, ſed anonymus. Claudit agmen Jo. Cleri-

8. cus, qui verba Epiſtolæ Apollonii VII f. 387 corrupta dixit, *Bibliotheque ancienn. & mod.* T. XIII P. 2 *artic. 3 p. 343*, quod pro κάλων ſcriptum ſit καλῶν. Viderat autem Noſter etiam ex Lubino, κάλως omnino eſſe funem, ſed *funium mercatorem* inepte dici, ἔμπορον κάλων. Sic enim conſtruxerat hæc verba Lubinus, qui debuiſſet πάντα κάλων conjungere. Dum ergo errantem feſtinante calamo ſequitur Noſter, retinuit verſionem Lubini, πάντα δεῖν σείειν, quaſi ſcriptum eſſet, τὰ πάντα, *omnia oportet movere.* Eam vero non eſſe mentem adagii, notiſſimum erat Noſtro vel ex Eraſmo, *Chil. 1 Cent. 4 p. 303.* Tu vero hic reſpice ad Iſidori Peluſiotæ *Lib. 4 epiſt. 60*, ἴσως γὰρ — ἀφικόμην.

AN

AN ESSAY UPON THE SILK-WORM.

i. e.

DISSERTATIO DE BOMBYCIBUS, ET Ratione ſerici conficiendi &c. Autore HENRICO BARHAM, *Eqv. R. S. S.*

Londini, typis J. Bettenham & Th. Bikert, 1717, 8.

Pl. 12½.

INſtitutum eſt Autori cives ſuos incolas M. Britanniæ excitare ad culturam bombycum & ſtudium texendorum filorum ſericorum, ne exoticis ad operas ſuas opus habeant, eoque & facilem monſtrat viam atque expeditam, & quæſtum proponit haud exiguum. Occaſionem ſcripto dedit edictum regium A. 1718 23 Maj. publicatum, quo ſocietati eorum, qui huic negotio incubituri, de mororum plantatione in ſylva *Schelſegenſi* jam ſolliciti fuerunt, ampla privilegia conceduntur. In hoc adeo inſtituto ita verſatur Noſter, ut ab ovo plane rem ordiendam crediderit, oſtendendumque, bombycum culturam antiquiſſimis mortalium curæ fuiſſe, adeoque ab antediluvianis initio facto, non præter rem exiſtimavit, pluribus id de Noacho probare. Et quoniam Seres dicuntur ſerici conficiendi ſcientiam primi habuiſſe, Chinenſes autem pro Seribus habentur, Whiſtoni ſententiam, quod Noachus poſt diluvium in Sinas conceſſerit, ipſeque ille Fohi, celeberrimus gentis Sinenſium autor, extiterit, multis rationibus adductus confirmare nititur, nec minus locum, ex quo verſus Orientem ſeceſſerit, quem montana Ararat Scriptura nominat, pro ipſo Paradiſo terreſtri venditat. Etſi vero Chinenſes primi rationem bombycum tractandorum habuiſſe ipſi videantur, contendere tamen ſe nolle cum his innuit, qui Perſas vel prius vel ſimul cum Chinenſibus huic negotio ſe dediſſe ſtatuant, cum illi ab aliquo Noachi filiorum, qui in Occidentalioribus regionibus remanſerant, doceri ejus rationem potuerint. Primum vero *Alexandri M.* temporibus, victo Dario, ſericas merces in Europa viſas, probat, ſed tantæ raritatis fuiſſe usque ad tempora Juſtiniani Imp. ut *Aurelianus* Imperator, teſte Vopiſco, veſtis holoſericæ uſum ne quidem uxori ſuæ permittere voluerit: libram enim ſerici libra auri æſtimatam tum fuiſſe. *Juſtinianum*, narrat, monachos miſiſſe in Indiam, ut ſerici tractandi modum diſcerent & bombyces inde aſportarent, quod cum fieri non poſſe retuliſſent, ſecundo eos ad ova petenda ablegaſſe, quæ magno numero allata ortum dederint bombycibus Europæis. Ut tamen major ſerici copia in Europam adveheretur, primus utique curavit *Cha Abbas* Perſiæ monarcha, qui accitos ad ſe Armenios emiſit in Europam, idque mercaturæ genus, quod hodienum viget, maxima parte Smirnam atque inde in Europam transportari, inſtituit. Etenim hinc ſerici operis frequentia lucri cupidos inter Europæos facile permovit, ut de variis mediis, quibus filorum & materiæ

teriæ ſericæ majorem copiam nanciſci poſſent, diſpicerent. Inſularum adeo Archipelagi, *Moreæ, Siciliæ, Calabriæ*, demum univerſæ *Italiæ* incolæ ad bombycum culturam ſe contulerunt, apud *Gallos* vero *Henricus IV*, ut in idem ſtudium incumberent, legibus latis providit. Idque adeo jam in animo fuiſſe *Jac. I* Angliæ Regi, ut in *Anglia* & *Virginia* ſubditos in hæc ſtudia accenderet, verum lente admodum negotium fuiſſe geſtum & vix quicquam quod operæ pretium ſit, hactenus actum, memorat. Inde poſtquam de ortu & progreſſu hujus culturæ egit, de curatione & nutritione bombycum & ipſa ratione conficiendorum filorum tractat, omnia, quæ in Autoribus a ſe allegatis, *Bonoeilio, Isnardo, Malpighio, P. Noel, Chomelio*, ſcopo ſuo convenientia invenit, huc congerens. De mori foliis & fructibus agens, mori albæ folia bombycibus gratiſſima eſſe docet, & quomodo ea arbor plantari colique debeat, exponit. Certe clima Angliæ adeo temperatum putat, ut juſto tempore, quo bombyces opus ſuum faciunt, folia eorum haberi poſſint, tum vero, quid expediat, exponit, ſi frigore proventum eorum retardari contingat. Ceterum obſervaſſe quosdam, nec refugere eas folia pomorum, ceraſorum, quin imo quercuum & aliorum arbuſculorum. Multas enim fabulas ferri, quæ deterreant aliquos ab hac cultura tanquam difficili & noſtris regionibus non attemperata, qualis eſt quod tonitruum frequentia bombycibus noxia ſit. Agit etiam de virtutibus medicis tam mori arboris, quam bombycum, de transmutationibus ſive metamorphoſibus, morbisque & generatione illorum; æquivocam generationem eorum, quam jactant Hiſpani, in dubium vocat, ſcilicet quod, ſi vitulus ſolis mori albæ foliis nutritus & ſaginatus mactetur, bombyces ex ejus cadavere naſcantur: promittitque, ſi præſens opus civibus ſuis arriſerit, ſe mox etiam verſionem diſſertationis Epiſtolicæ Malpighii de bombyce daturum, cujus libri interim contenta recenſet. Ceterum quantum ad lucrum ex hac cultura redundans, obſervat, in Gallia borealiori ex una ſeminis ſive ovorum uncia produci tot vermes, qui conficiant 5 vel 6 libras filorum ſerici, in meridionali ex eadem fieri 7 vel 8; Breſciæ in Italia ex ſeminis ex Hiſpania allati uncia 8, 9 vel 10 libras filorum provenire; bombyces vero ad paſtum requirere 250 libras foliorum; ibidem ex ſeminis e Calabria allati uncia 11 vel 12 libras fieri, 300 vero libras foliorum bombyces depaſci. Quod ſi adeo Noſter pretium, quo ſeminis uncia comparatur, & quo ſerici libra quovis loco diſtrahi ſuevit, appoſuiſſet, de lucro judicium ferre poſſemus. Ceterum ipſe monet, obſervatum eſſe in Gallia, impenſas, quæ in libram ſerici ſunt faciendæ, quartam partem pretii, quo venditur, æquare, in Italia ſextam partem; pretium foliorum ad paſtum bombycum neceſſariorum efficere dimidiam partem harum impenſarum, ſiquidem eadem argento comparanda ſint; e quibus facile patet, quam parvi contra ſumptus faciendi ſint, ſi arbores ipſi colamus ac plantemus.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Maji Anno MDCCXXI.

ATLAS HISTORIQUE &c.

i. e,

*ATLANTIS HISTORICI TOMUS V, TUM in genere Aſiam, tum ſpeciatim Aſſyriam, Armeniam, Georgiam, Turciam Aſiaticam, Terram ſanctam, Arabiam, Perſiam, Tartariam, Status Magni Mogoli, Indiam Orient. Chinam, Japoniam & Regnum Siam complectens; Autore C. *** Accedunt Diſſertationes GUEUDEVILLII.*

*EJUSDEM OPERIS TOMUS VI, AFRICAM & Americam Septentrionalem & Meridionalem, tum generatim, tum ſpeciatim Ægyptum, Barbariam, Nigritiam, Guineam, Æthiopiam, Congo, Cafreriam, Caput Bonæ Spei, Canadam ſeu novam Franciam, Ludovicianam ſeu Miſſiſſipi, Virginiam, Floridam, Regna Mexicanum & Peruvianum, item Chili & Braſiliam, cum Inſulis Madagaſcar, Philippinis, Moluccis, Antillis & Ceylano complectens; Autore C.*** Accedunt Diſſertationes GUEUDEVILLII.*

*EJUSDEM OPERIS SUPPLEMENTUM, ſeu Tomus VII, varia ad Chronologiam, Genealogiam & Hiſtoriam, tum Sacram tum Profanam, ſpectantia complectens, Autore C. *** Accedunt Diſſertationes H. P. de LIMIERS, Jur. Doct.*

Amſtelodami, apud Honoré & Chatelain, T. V & VI 1719, T. VII 1720, fol. reg.

Conſt. T. V Alph. 2 pl. 3 Tabb. æn. 60, T. VI Alph. 1. pl. 20 Tabb. æn. 40, T. VII Alph. 2 pl. 13 Tabb. æn. 41.

POſtquam de operis hujus ſplendidiſſimi Tomo IV in Actis A. 1716 M. Apr. p. 138 ſſ. de prioribus vero alibi diximus, nunc reliquos etiam intra biennium feliciter abſolutos producere par eſt. Cum vero de ordine & univerſo operis conſpectu jam alias dictum ſit, Tomos quidem V & VI, ab ipſo Gueudevillio editos, prolixe recenſere ſuperſedemus, quod ex titulis, quos integros dedimus, de contentis eorum ſatis conſtet; aſt de poſtremo, ſeu VII, quem, Gueudevillio operi immortuo, Celeb. *de Limiers*, qui illi in antecedentibus quoque Tomis duobus adjutor fuerat, ſolus, ut videtur, prelo paravit, varii quippe ac diverſi argumenti res complexo, quædam dicenda ſuperſunt. Præmiſſis nimirum e conſilio J. Lipſii (Cent. Miſcell. Epiſt. 61) tabulis duabus Chronologicis, quarum altera annos ante & poſt C. N. ſecundum utramque periodum Julianam & Dionyſianam, altera calendarium antiquum & novum, ſimulque utriusque in hiſtoria uſum exhibet, de Chronologiæ & Hiſtoriæ nexu diſſerit, novisque Tabulis Regnorum ſeriem ab Adamo usque ad Æram vulgarem, iterumque ab occaſu Imperii Romani ad noſtra tempora repræſentat. Mox de Imperiis Occidentis & Orientis nonnihil commentatur Autor, quæ chartis Geographicis utriusque Imperii usque ad tempora Theodoſii & ſucceſſorum illuſtrat: tum de utilitate rei nummariæ in Hiſtoria diſſerit, ubi imprimis Anſelmum Bandurum commendat, qui in colligendis illuſtrandisque Imperatorum Orientalium numiſmatibus Cangii induſtriam longiſſime ſuperaverit. Quoque magis Noſter juvaret rei nummariæ ſtudioſos, icones Imperatorum Rom. usque ad Heraclium tum & eorum uxores, liberos & propinquos ex nummis in tabula depingi curavit. Sequitur de familia Auſtriaca diſſertatio, in qua, ducto a Rudolpho Habspurgico initio, ea quodammodo continuantur, quæ Parte I Tomi II de

vete-

veteri ſtirpe dicta ſunt. Hic variis de Habspurgicæ domus origine ſententiis recenſitis, quas inter eam, quæ a Sigeberto Theodeberti II Auſtraſiæ Regis filio Habspurgicos repetit, ab ipſo Carolo V ceu nimis incertam exploſam, at ab Hiſpano Famæ Auſtriacæ 1641 editæ ſcriptore Joſepho Pelizer de Salas revocatam, teſtatur; demum extra dubium ponit, familiam Habspurgicam ab Ecchinoaldo, qui Major domus fuiſſe fertur ſub Clodovæo II, eſſe derivandam. Accedit & Tabula Genealogica familiæ Auſtriacæ locupletiſſima, & altera inſignium tum Auſtriacorum, tum Germaniæ procerum reliquorum, Electorum, Epiſcoporum, Abbatum, Principum, Comitum, quæ, ut alia tum in antecedentibus, tum in hoc ipſo Tomo, ſingulari induſtriæ Viri doctrina & dignitate maxime conſpicui, Ferdinandi Ludovici de Breſler & Aſchenburg, Conſil. Cæſarei & Senatoris Vratislavienſis, debentur. Pari diligentia Regum Franciæ familiam, aliasque ex illa, tum & e Witechindi familia oriundas deſcribit Autor, ſimulque adeo ſigillatim de Ducibus Saxoniæ, Regibus Daniæ, Sabaudiæ item & Aſcaniæ Ducibus, accurate agit, ſubjunctis Franciæ Regum tabulis Genealogico-Heraldicis; quibus & interſperſa ſunt haud vulgaria de familiis Comitum Drocenſium & Britanniæ minoris, tum Regum Neapolitanorum & Navarræ, quæ e Gallica Regia derivantur, ut & de familia Curtinæa. His ſuccedunt pauca quædam de Regibus Hiſpaniæ & Luſitaniæ, non minus Genealogicis quam Heraldica tabula luculentiſſime illuſtrata, nec non de familia Ducum Brunſuico-Lunæburgenſium, & Baronum de Waſſenaer, qui inter illuſtriores Belgii familias emicant. Præterea ne quid deſideretur ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam, non modo aliquot diſſertationibus fata Eccleſiæ ab Adamo ad Chriſtum exponuntur, verum & Genealogiæ Regum, Patriarcharum, Prophetarum, Chriſti, ſeries item Pontificum, ſchiſmatum, perſecutionum, ordinum ſacrorum, conciliorum (quæ geographice illuſtrantur) operoſis tabulis deſcribuntur. Denique adumbrata in tabulis Hiſtoria gentilium fabuloſa, & arte Heraldica inſignibus illuſtrata, de Ordinibus militaribus, quorum pariter inſignia re-

 præ-

præſentantur, de architectura item militari, quatenus cognitam eſſe decet hiſtoriarum ſtudioſis, & de arte nautica, (quo loco & vexilla navium diverſa depinguntur) nonnulla lectu & adſpectu haud indigna adduntur.

HISTOIRE DE L'ACADEMIE ROYALE des Sciences Année 1717 &c.

h. e.

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM Anni 1717, cum Commentariis Mathematicis & Phyſicis ejusdem anni.

Amſtelodami, apud Petrum de Coup, 1720, 12 reg. Plag. 22 Tab. æn. 14.

IN *Phyſica generali* figuras plantarum, arborum, arcium, turrium, quandoque geometricas in lapidibus Florentinis conſpicuas arceſſit *de la Faye* a materia peregrina, quæ ſeſe in ſubſtantiam lapidum inſinuavit. Accedit adeo ad eorum caſtra, qui eas pro luſu naturæ habent. *Maraldi* d. 15 & 16 Decembr. A. 1716 & d. 6, 9, 10 & 11 Aprilis 1717 obſervavit auroram borealem, a nubibus prætereuntibus tectam, nec motum fixarum participantem. Id ſingulare in obſervatione habetur, quod lumen integrum fere horizontem occupaverit & d. 10 & 11 Aprilis per integram noctem duraverit. *De la Hire* rationem reddere conatur phænomeni cujusdam magnetici, quod ſatis paradoxum videtur; nimirum cur ſubinde magnes debilior ſecum trahat ferrum ex polo magnetis fortioris pendulum. *Lemmery* deſcribit phænomena lapidis cujusdam magnetis æmuli, qui in fluvio quodam inſulæ Ceylonenſis reperitur & corpora quædam levia, veluti cineres, limaturam Martis, fruſtula chartæ primum attrahit, deinde rurſus repellit. *Godofredus junior* refert, d. 4 Jan. globum igneum ex nubibus evolantem ad turrim templi inſigni cum fragore, qualis ex ictu tormenti majoris percipitur, diſſiliiſſe & ſub ſpecie pluviæ igneæ ſeſe expandiſſe. *Robelinus* delineat puteum ſatis ſingularem, in quo aqua

qua aſſurgit, dum in mari adjacente deſcendit, rurſusque deſcendit, dum in illo aſſurgit. Rationem quoque phænomeni reddere ſtudet. *De Mairan* miſit ad Academiam Scientiarum relationem de cornu bovis, quod in terra vegetatum videbatur. *De la Hire* d. 15 Octobr. hor. 10 min. 30 vidit radium luminoſum duos circiter gradus latum, 5 vel 6 altum, qui poſt nubes denſas 15 circiter gradibus ſuper horizontem elevatas in plaga ſeptentrionali apparuit. Radius iſte intra minutum temporis aſcendit: ſtetit deinde immotus intra 4 vel 5 minuta, quibus elapſis intervallo 3 vel 4 expandebatur per ſpatium 20 & 25 graduum, partim verſus Orientem, partim verſus Occidentem. Tandem ſucceſſive debilitatus diſparuit, initio in medio, fine in extremitatibus facto. Mox h. 10 45′ apparuit eodem in loco phænomenon prorſus ſimile. Cauſam conſtituit exhalationes in aere inflammatas. *De la Hire* obſervavit quantitatem pluviæ per annum 1716 digitorum 14 cum lineis $4\frac{1}{4}$. Barometri minima altitudo notata fuit 26 dig. $9\frac{1}{2}$ lin. d. 1 Jan. vento exiſtente auſtrali & maxima 28 dig. 3 lin. d. 16 Febr. vento ſpirante ex plaga inter ſeptentrionem & orientem intermedia. Declinatio acus magneticæ verſus occaſum fuit 12° 20′. D. 9 Maji h. 5 mat. verſus auſtrum apparuit parhelium, cujus centrum a centro veri Solis diſtabat $22°\frac{1}{4}$. Monet autem *de la Hire*, diſtantiam variare pro diverſa aeris denſitate.

In *Anatomicis* contendit *Petitus*, herniam veſicæ, quam vitium conformationis dixerat *Mery* in Hiſtoria A. 1713, poſſe proficiſci a cauſis accidentalibus, quales ſunt urinæ ſuppreſſio & graviditas. *Winslow* novam detexit valvulam in vena cava inferiore, quam *valvulam Euſtachii* vocat, quia eam jam ante vidit, etſi non ſatis agnoverit *Euſtachius*, Anatomicus ante 150 annos celebris. Monſtrat uſum in circulatione ſanguinis in fletu. *Littre* uſum clyſterum nutrientium liquidorum, ubi alimentis ſolidis propter præternaturalem œſophagi ſtatum non eſt locus, rationibus a Mechanica inteſtinorum petitis impugnat, inprimis quod valvula *Bacchini* liquidis neget tranſitum ex inteſtinis craſſis in tenuia, quibus plurimæ venæ lacteæ adhærent,

chyli ſecernendi receptacula. Contrarium tuetur *Lemery*: ſed non male judicat *Fontenellius*, quod forſan ſibi mutuo prorſus non adverſentur, cum *Littre* non omnem uſum neget, *Lemery* autem demonſtrare non poſſit, quantus idem ſit. Quid ſi enim uſus, quem ille exiguum vocat, idem foret, quem ſuis rationibus hic ſtabilivit? De *Reaumur* in formationem unionum inquirit, quos effectum alicujus morbi eſſe ſuſpicatur, facta extravaſatione ſucci in concha margaritifera. *Sivert* Chirurgus aperiens tumorem in manu fœminæ, quam pondus ingens attollens ante biennium contraxerat, 200 circiter corpuſcula rotunda, candida & oblonga inſtar fabarum, longitudinis 4, latitudinis 2 linearum in cavitate interna reperit, quæ Academicis viſa fuere glandulæ amiſſo uſu naturali induratæ. *Du Verney* Autor eſt, quod, ſi ovum colubrinum aperiatur, cum ſerpens excludi debet, fœtus hic in ſpiram contortus omnique motu deſtitutus in eodem deprehendatur, quem tamen admodum vivacem mox adipiſcitur, ubi aerem bis vel ter hauſit. *Littre* deſcribit fœtum monoculum, naſo deſtitutum. Oculus erat in medio faciei infra frontem & duobus humoribus cryſtallinis gaudebat, ſed choroide deſtituebatur. Aderat etiam nervus opticus geminus, retina gemina, iris gemina, humor vitreus geminus &c. ita ut duo oculi globos rotundos referentes uno viderentur concluſi. Solus humor aqueus erat communis. Cranio aperto, cerebrum liquidum apparuit. Manus ſiniſtra ſex digitis inſtructa erat, pollice in duos veluti diviſo.

In *Chymicis* in originem nitri inquirit *Lemery*, negans ejus fontem eſſe aerem atque terram: ſed potius ex plantis & animalibus idem derivat, cum *Reſſons* oſtenderit, dari plantas, ex quibus nitrum extrahere licet, & in vulgus notum ſit, terram nitro impægnatam eſſe, in qua animalia excrementa depoſuere. *Godofredus* junior & *Lemery* docent, arte chimica effici poſſe, ut ſalia acida in alcalina abeant.

In *Botanicis* deſcriptionem Kali Hiſpanici ſupini, annui, ſedi foliis brevibus dedit *de Juſſieu*; duarum novarum ſpecierum *Lamii Danty d'Iſnard*.

In *Algebraicis* liber *Taylorii* de methodo incrementorum anſam

anſam dedit *Nicolio* de calculo differentiali circa quantitates finitas meditandi: quod argumentum olim meditatus *Leibnitius* incidit via vere analytica in calculum differentialem infiniteſimalem, quemadmodum monuimus in Actis A. 1716 p. 292. Exhibet *Taylorius* inter alia methodum ſummandi ſeries infinitas fractionum, quorum numeratores ſunt conſtantes, denominatores facta plurium quantitatum uniformiter creſcentium. Eam *Nicolius* transfert ad ſummandos terminos quotcunque ſeriei, cujus denominatores ſunt facta, quorum factores continuo eadem quantitate augentur. Quoniam vero ipſo judice, *Taylorius* methodum nec ſatis clare explicatam, nec demonſtratam dederit, ſed adeo intricatam propoſuerit, ut innumeris caſibus non ſatisfaciat, ideo eandem nova ratione expoſuit. Atque ita primum in genere tractat de calculo differentiali circa ſeries finitas, quo etiam uſus eſt *Wolfius* in ſummandis potentiis numerorum atque numeris pyramidalibus in Elementis Matheſeos biennio ante Methodum incrementorum *Taylori* editis. Novam Tabularum Arithmeticarum Tabulis logarithmorum ſubſtituendarum ideam exhibet de *Traytorens*, in quibus numeros compoſitos reſolvi jubet in ſuos factores primitivos, numeros nempe primos.

In *Geometricis* lineam curvam per analyſin determinat *Varignonius*, in qua utrinque plantandæ ſunt arbores, ut oculo in fine poſito appareant in lineis parallelis plantatæ, hoc eſt, eodem a ſe invicem intervallo utrinque diſtare videantur. Dixerat *Honoratus Fabri* & *Tacquetus* ſuo modo demonſtraverat, ſed admodum perplexe, lineas iſtas eſſe hyperbolas oppoſitas. Idem ſimplici admodum analyſi reperit *Varignonius*. Reddit autem more ſuo problema multo generalius, quærens nimirum duas lineas in plano dato, in quibus ſi plantentur arbores, binæ oppoſitæ appareant oculo ſuper plano utcunque elevato ſub angulis ſinuum quorumcunque, cum in hypotheſi *Fabriana* atque *Tacquetiana* oculus ſupponatur in fine plani & anguli ſumantur æquales. Sed hac univerſalitate non contentus alia inſuper addit problemata, quæ ipſius in hoc genere peritiam decent.

In

In *Aſtronomicis* theoriam Satellitum in genere perficere ſtudet *Caſſini*, determinando inclinationem orbitarum Satellitum ad orbitas primariorum planetarum, circa quos feruntur, & nodos ſeu interſectionum puncta. Agitur autem de nodis ac inclinatione veris, non apparentibus, hoc eſt, ex Planeta primario, non e Tullure viſis. Idem inveſtigat diſtantiam Sirii a terra & magnitudinem veram per parallaxin orbis annui, quam ſollicite obſervavit teleſcopio trium pedum, in cujus foco extenſum erat filum Sirium Meridianum attingens, ad quadrantem muro affixum firmato. Variationes in altitudine Sirii per annum obſervatæ non exceſſere latitudinem fili. Monſtrat autem, eas eſſe conformes motui Telluris annuo circa Solem, contrarias vero ſuppoſitæ variationi refractionis pro diverſa anni tempeſtate. Quoniam parallaxin reperit 6 ſecundorum, Diametrum apparentem 5 ſecundorum, & Diametrum orbis annui minimum æſtimat 20000 diametrorum terreſtrium, ideo diſtantiam Sirii a Terra definit 437800000 diametrorum terreſtrium, diametrum veram vero 10612 diametrorum terreſtrium: unde, cum diametrum Solis centuplam ſtatuat diametri Terræ, diameter Sirii centupla minimum eſt diametri Solaris. Magni momenti eſt hæc obſervatio, cum per eam motus Telluris annuus circa Solem, adeoque veritas ſyſtematis Copernicani, rigoroſe demonſtretur, ita ut nullus ſit exceptioni locus, id quod non obtinet in parallaxi ſtellæ polaris a Flamſtædio obſervata, quemadmodum alibi monſtravit *Caſſini*. D. 27 Mart. 1717 *de la Hire* obſervavit initium eclipſeos propter nubes obſervationem turbantes dubium h. 1 55′, obſervationem $7\frac{1}{2}$ digitorum h. 3 14′ 10″ & 20′ 25″, finem h. 4 38′ 25″, cœlo ſereno. Medium eclipſeos determinat h. 3 17′ 26″. Eandem quoque eclipſin obſervavit *Caſſini*, qui finem refert ad h. 4 38′ 10″, initium circiter ad h. 1 54′. *De la Hire* æquinoctium vernale exacte obſervavit d. 20 Mart. hor. pomerid. 5 51′. Idem deſcribit Micrometrum univerſale, quod non modo in omni eclipſi ſive lunari, ſive ſolari locum habet, verum etiam in quovis alio caſu, ubi micrometris utimur, utiliter adhibetur. Commendaverat nimirum in Tabulis ſuis aſtronimicis p. 71 circinum dupli-

pli-

plicem, cujus crura ex una parte ſint e. gr. alteris decies majora ejusque forma talis, ut in tubum teleſcopii crura breviora per fiſſuram intromitti poſſint, apicibus acutiſſimis objecto in foco depicto applicatis. Nunc illud perfecturus crura breviora in arcus ellipticos ſeu ovales incurvari jubet, ne partem objecti tegant rectilinea. Monet varia circa uſum hujus micrometri, inprimis in obſervandis eclipſibus, & præmittit diſcurſum de inventore microſcopii, quem *Picardum* atque *Azontum* laudat, atque ampliſſimo ipſius in re aſtronomica uſu. Idem *de la Hire* peculiarem exhibet diſcurſum de inventoribus micrometri, horologii oſcillatorii & tuborum opticorum. Refert ibidem, *Malvaſiam* in Ephemeridibus A. 1662 editis p. 196 ſpeciem quandam micrometri attuliſſe, quod parum differat ab eo, quod *Picardus* atque *Azontus* A. 1666 publici juris fecere. *Hugenium* in Syſtemate Saturnino jam biennio ante *Malvaſiam* nempe A. 1659 dediſſe methodum obſervandi diametros apparentes Planetarum, quæ aliquid micrometro ſimile continet & a quo parum obludit micrometrum *Malvaſianum*. Primam ergo inventionis laudem *Hugenio* tribuit. Eidem quoque inventum *horologii oſcillatorii* adſcribit, cujus conſtructionem primum Hagæ-Comitum A. 1658 edidit, motum deinceps penduli æquabilem reddere docuit in tractatu de Horologio oſcillatorio Pariſiis 1673 publicato. Tubi optici inventum refert ſub initium ſeculi decimi ſeptimi ad artificem quendam Batavum, quem non nominat: ſed mox ad obſervationes cœleſtes tranſtuliſſe *Gallilæum*. Tubum ex duobus vitris convexis compoſitum, quem aſtronomicum vulgo vocant, A. 1611 inveniſſe *Keplerum* & in egregio Dioptricæ libello prop. 86 demonſtratum dediſſe. Negat autem, *Portam* in Magia naturali inventum teleſcopii jam indigitaſſe, quemadmodum ipſi *Hugenio* videtur. D. 20 Sept. A. 1717 *de la Hire* obſervavit ope teleſcopii $7\frac{1}{2}$ micrometro inſtructi obſcurationem 7 digitorum h. 6 28′ 20″ & finem h. 7 34′ 15″. *Maraldi* h. 6 33′ quantitatem obſervavit 7 dig. 6′, finem notavit h. 7 35′ 30″. *Caſſini* h. 6 24′ 10″ vidit eclipſatam Lunam 7 dig. 12′ & finem notavit h. 7 34′ 50″. Confert obſervationem ſuam cum Norimbergenſi *Wurzelbaueri*, qui finem notavit

h. 8 10′ 15″ & inde differentiam Meridianorum deducit 36′ 5″. Exhibetur etiam obſervatio ejusdem eclipſis, quam inſtituit *De-liſle* junior una cum obſervatione occultationis *Aldebaran* d. 25 Sept. 1717 a Luna factæ: nihil autem mutationis ſtellæ accidit, unde athmoſphæræ lunaris exiſtentia ſtabiliri poſſet. *De la Hire* expoſuit conſtructionem horologii tempus verum una cum medio indicantis valde ſimplicem & demonſtratione Geometrica munitam.

In *Mechanicis* preſſiones cylindrorum & conorum rectorum, itemque ſphærarum & ſphæroidum quorumcunq; a chordis circumvolutis & potentia quacunque tractis profectas ad calculum revocat *Varignonius*, uſus lemmate a *Borello* in tractatu de motu animalium Tom. II prop. 56 demonſtrato. *De la Faye* deſcribit rotam helicibus inſtructam, ad aquas ad radii altitudinem elevandas, qualem, etſi inſcio ipſo, jam indicarunt *Dechales* Tom. 3 Mundi Mathemat. prop. 41 Tractat. de Machinis & Hydraulicis & *Wolfius* in Element. Hydraul. §. 99 Fig. 45. Structuram tamen helicum diſtincte atque ſingulari ratione exponit, ut hoc nomine rota ipſius inter nova inventa locum mereatur. *Saulmon* inquirit in principia actionis fluidorum, fluida conſiderans tanquam aggregatum infinitorum fere ſolidorum infinite parvorum. Si ergo ſolidum a fluido impellitur, perinde eſt ac ſi innumeri globuli illud una percuterent. *Dalesme* novas pancratiorum ſpecies deſcribit vulgari, quo aurigæ utuntur, pancratio præſtantiores.

Obiit Anno 1717 *Jacobus Ozanam* natus A. 1640 in Principatu *Dombenſi*, patre divite ac multa prædia poſſidente, qui ex familia Judaica originem ducebat. Cum natu minimus in bonis parentis ſuccedere non poſſet, pater eum Eccleſiæ deſtinabat. Enimvero Philoſophiæ ſcholaſticæ ac Theologiæ, quæ nimium ſimilis eidem videbatur, pertæſus in libros Mathematicos incidit & autodidactum egit, paucas ſuppetias ferente Profeſſore Theologiæ, quo utebatur. Patre mortuo ſtudio Theologico, cui per quatuor annos vacaverat, valedicens ad Mathemata animum appulit & eorum docendorum gratia Lugdunum Gallorum ſe contulit, animi magis, quam pecuniæ gratia. Lu-

do

do valde delectabatur, nec invita fortuna. A. 1670 edidit Tabulas Sinuum Tangentium & Secantium atque Logarithmorum, correctiores iis, quas dedere *Ulacq*, *Pitiſcus* & *Briggius*. Cum duobus exteris, quos in Matheſi inſtituerat, & qui literas cambiales nondum acceperant, Pariſios abituris, absque chirographo quinquaginta dupliones mutuo dediſſet, *Dagueſſeau* actione tam generoſa commotus eum Pariſios advocavit & patrocinii ſui certiorem reddidit. Vix Pariſiis advenerat, cum matrem agonizantem ipſius videndi deſiderio teneri reſciret. Mox in patriam advolans mortuam invenit atque fratris natu majoris artibus ſe hæreditate excluſum doluit. Pariſios redux, miſſo ludo, Matheſin unice coluit. Uxorem duxit tantum non pauperem & ex ea 12 liberos genuit. Quamdiu exteri Pariſiis degebant, reditus ei ſufficientes ex Matheſi proveniebant: ſed durante bello diſcipulis deſtitutus ad libros componendos ſe convertit, non tam animo lucrandi, quam temporis fallendi gratia. Pauco tempore multa ſcripſit. Opera ejus præcipua ſunt Dictionarium Mathematicum, curſus Mathematicus, tractatus de Algebra, de ſectionibus conicis, recreationes Mathematicæ & Phyſicæ, *Diophantus* MSC. Verſatur autem circa Geometriam veterem; recentiorem ſublimiorem non attigit. A. 1701 ætatis 61 uxorem amiſit & eodem tempore in numerum Adjunctorum Academiæ Scientiarum adſcitus eſt. Mortem præſenſit ſanus & d. 3 April. 1717 hor. 3 pomeridiana apoplexia ſubita extinctus, nemine niſi ancilla præſente. Plus famæ apud exteros, quam apud Gallos conſecutus. In religione ultra plebem ſapere noluit, Doctorum, inquiens, Sorbonnæ eſt diſputare, Papæ decidere & Mathematici in linea perpendiculari in Paradiſum aſcendere.

M. JOHANNIS BURCHARDI, BASILEENſis, Epiſtola ad Virum Clariſſimum BROOCK TAYLOR, J. U. D. & R. S. B. Soc.

Legi *Apologiam* tuam, Cl. Taylore, contra *V. Cl. Joh. Bernoullium*, audivique, illam non uno tantum loco typis fuiſſe excuſam: Londini bis prodiit, ſi non pluries, videlicet in Trans-

 actio-

actionibus Regiæ Societatis, tum etiam in ſcheda peculiari, deinde ſemel ſaltem in Belgio; an alibi inſuper & quot linguis prætterquam Gallica & Latina lucem aſpexerit, mihi nondum conſtat.

Operam dediſti indefeſſam, ut veniret ad notitiam exterorum quoque Mathematicorum.

Ex Anglia transfretaſti in Galliam, diſſeminaturus ibi, præſertim Lutetiæ, (hunc tui itineris ſcopum fuiſſe multi mecum opinantur) tua ſchediaſmata: exemplar unum, mittente Cl. Varignonio, accepit Cel. Bernoullius mecumque communicavit.

Spe forſan lactabaris, Cl. Taylore, Bernoullium noſtrum mire perculſum iri, ubi tuas legerit acerbas expoſtulationes, faſtidioſo contemtu aculeisque virulentis refertas; ſed ſpem illam tuam inanem fuiſſe ex eo cognoſcere tibi licuit, quod Cl. Bernoullius cauſæ ſuæ fiſus te per Cl. Varignonium ſollicitavit, ut ſibi adhuc aliquot duodena exemplaria tuæ *Apologiæ*, an *Invectivæ*, ocyus transmittere velles, ſancte promittenti, ſe illa per Germaniam, Helvetiam & Italiam (in quas forſan mittendi occaſionem ipſe non habeas) fideliter diſtributurum; prævidit namque, tuum ſecum agendi modum non poſſe non id efficere, ut apud omnes æquos rerum judices fama Bernoulliana, quæ tibi ſudes eſt in oculo, altiores radices agat. Quis enim tuas næniæs legendo non ſtatim animadverteret animum tuum invidia faſcinatum? Cl. Bernoullius te condecoraverat titulo *inſignis & acuti Geometræ* aliisque occaſionibus te civiliter tractaverat, quin etiam per Monmortium tuam ambiverat amicitiam: ſed quid, mi Taylore, pro hac humanitate repoſuiſti? certe nihil, quam verba contemtum faſtumque ſpirantia; ſcilicet tibi jam eſt Bernoullius, ſi Diis placet, *imperitus Leibnitii fautor*, *calumniator contumelioſus*, *malevolus detrectator*, *Princeps eorum qui univerſis Anglis ſunt infenſi* &c. Quid, ſi talia iis rependis, qui humaniter te tractant, quid, inquam, illi abs te expectandum haberent, qui ſepoſita humanitate liberius de te loquerentur? Cl. Bernoullius, qui neminem unquam aggreſſus eſt, nec niſi primus graviter laceſſitus, quenquam offendit, poſſet utique cauſam ſuam ipſe contra te agere, atque te pro merito depexum dimittere, quid enim facilius quam injurias injuriis repellere, & quicquid in eum effudiſti, in ſinum tuum refundere, ſed non ita ſolet imitari lixas, & quam ſibi impoſuit legem, vid. Act. Lipſ. *1718* pag. *262*, *ſe nimirum nemini reſponſurum, qui conviciis tantum & aculeis voluerit pugnare*, ſtrictiſſime obſervabit, *ſecurus profecto*, ut in iisdem Actis anni ſequentis pag. *218* monuit, *ſe quoque ſilente maledicorum conatus in fumum abire, utpote a quibus ipſius exiſtimatio*, quam tantopere deſtructam cuperent, *minime dependeat.*

Patere

Patere igitur, Vir Clariſſime, ut vices agam Cel. Bernoullii noſtri, cujus humanitatem erga te obſervatam tam inhumaniter tractaſti: amice reſpondebo, quod etſi non mereatur incomta tua & faſtidioſa ſcribendi ratio, meretur ſaltem ingenii tui mathematici (utinam non tam ſuperciliofi) felicitas; hanc nos, nam & in hoſte virtus laudanda, quanti valet, æſtimamus.

Nomen quidem meum exprimere nolueram, non quod te reformidarem, ſed quia nullam inde quærebam laureolam; verum poſtquam, quibus titulis anonymos condecorare ſoleas, mecum perpendiſſem, ſententiam mutans illud appoſui, quamvis id tibi perinde eſſe debere exiſtimem, ſi non tam ad hominem, quam ad res ipſas reſpicere volueris: ſecus ſi feceris, atque ad injurias & convicia, tanquam ad arma tua confugeris, crede mihi, mi Taylore, eo ipſo demonſtratum dabis, tua te cauſa cecidiſſe, nec te juvabit magnam affectare fidentiam, & erecta criſta deſpicere tuos adverſarios; rerum noſtrarum periti & æqui judices damnabunt barbaram iſtam pugnandi viam: nos vero non magni pendimus, quid in Patria tua judicaverint quidam ex ſociis tuis ſimili faſtu turgidi & livore in exteros occœcati, hi enim ſoli tibi credent, & quo vehementius in nos debacchaberis, eo promtius applaudent. *Neceſſe eſt*, ut lepide habet Quintilianus, *contemtioſius loquaris, quod probare non poſſis, & affirmationem ſumit ex homine, quicquid non habet ex veritate.*

Tria obſervavi in ſcripto tuo, Clariſſime Taylore, quæ exprobras Cel. Bernoullio, & quæ tibi anſam dederunt usque adeo in illum invehendi, illa ſunt hæc.

I Locus *in Epiſtola pro eminente Mathematico* D. J. Bernoullio, Actis Lipſ. A. *1716* inſerta pag. *307*, qui ita ſonat: *Hoc nihil novi eſt in quibusdam Anglis, qui ſibi ſolis licere putant*, aliorum inventa tanquam ſua *impune* uſurpare, *quando ipſi hominesque Deosque invocant, ubi vident, vel ſaltem videre arbitrantur, extraneos in ſuorum inventa manus inferre. Exempla ſunt quorundam, ut Cheynæi, des Hayes,* Taylori, *aliorumque, qui paſſim inventis Bernoullii ſunt uſi, alienisque, vel nulla prorſus facta mentione Autoris, vel &c.*

II Diſplicet tibi, quod in Actis Lipſ. A. *1718* p. *18* Bernoullius de te, quem tamen, quod crimen ejus emollire poterat, vocavit *Geometram inſignem & acutum*, dixerit, te *ad profundiora ſua, aliorumque feliciter penetraſſe.*

III Male te habet, Vir Clariſſime, amica admonitio Cel. Bernoullii de tua in ſcribendo obſcuritate, qua fiat ut ſcripta tua *a perſpicacioribus quoque Mathematicis vix intelligi queant.*

Videbo nunc, an gravia adeo hæc ſint delicta, ut tam ferociter in illa animadverteres: quod quidem ad primum punctum attinet, quo haud obſcure poſtularis *Plagii*; fateor, de injuria tibi illata potuiſſe te conqueri, ſi id dixiſſet Cl. Bernoullius, atque ſi tu eſſes innocens & probe te purgaſſes a plagii ſuſpicione, qua etiamnum vehementer gravaris: ſed præterquam quod noſter *reſpondere* non teneatur de eo quod Autor *Epiſtolæ pro eminente Mathematico* aſſeruit, cum præſertim jam publice per Filium ſuum declaraverit, ſe omnia, quæ in illa Epiſtola continentur, non approbare, hoc inſuper verum eſt, tantum abeſſe, te gloriari poſſe de non uſurpatis aliorum inventis, ut jam temet ipſum habeamus confitentem plagii reum, nunc quippe fateri demum cogeris, te *in Iſoperimetro uſum eſſe Analyſi Autoris Jacobi Bernoulli*, cujus tamen nomen reticueras. Num reliqua, quæ in libro tuo de Methodo incrementorum poſt Bernoullium noſtrum alioſque tractaſti, ut de funicularia, de centro oſcillationis, de curvatura lintei &c. ſatis evincant, te propria, ſicuti jactas, uſum eſſe Analyſi, judicent periti, quos libri tui obſcuritas a lectione ipſius non abſterruit. Neſcis forſan, mi Taylore, nobis certo conſtare de cauſa ob quam gratia excideris apud Illuſtriſſimum Nevvtonum; ſcilicet huic quoque, quod ſuum eſſe credebat, ſurripere & cum illo de inventorum gloria contendere auſus fuiſti: ſi rem propius inſpiciamus, etiamſi vel maxime favere tibi vellemus, non tamen mehercle poſſumus, quin rotunde dicamus, methodum tuam incrementorum præter tituli novitatem vix novi quid continere, ſtatim namque ac tu conſideras quantitatum variabilium incrementa, tanquam finita, nihil inde efficis aliud, quam quod per Algebram ordinariam præſtari poteſt; quomodo vero inde deriventur proprietates *differentialium*, aut, ut a veſtratibus vocantur, *fluxionum*, id dudum ante te oſtenſum eſſe, patet ex ſectione prima *Anal. Infin. parvorum.*

Quæ habes de *fluentium fluentibus*, in quibus mirum quantum tibi places, nec illa certe ſunt nova Cel. noſtro Bernoullio: quod tibi eſt x' deſignans fluentem ipſius x, illi olim erat $\int x$; quodque tibi eſt x'', denotans fluentem fluentis x', erat illi $\int\int x$, atque in genere quod tu intelligis per x notatum accentu acuto toties repetito, quotus fluentis eſt gradus, cujus exponens ſit n, id noſter expreſſerat ſimpliciter per $\int^{n} x$, non ſecus ac differentiale ejusdem gradus notari ſolet per $d^{n} x$; cum vero quantitatem aliquam *differentiare* negative ſit idem

idem quod *ſummare* vel *integrare* affirmative, atque vice verſa *ſummare* vel *integrare* negative tantundem ſit, ac *differentiare* affirmative, pronum eſt colligere, quod $\int^{n}x = d^{-n}x$ & $\int^{-n}x = d^{n}x$. Ne autem putes, Vir Cl. talia nunc demum a nobis confingi, ut tuis, quæ jactas, derogemus, transſcribam huc quædam excerpta ex literis quibusdam Bernoullianis ad Illuſtriſſ. Leibnitium datis jam quinto ante finem ſuperioris Sæculi anno; quæ continent, erunt tibi forte ingrata, ſed tanto gratiora lectoribus aliis, qui non invidia torquentur.

De his literis (ne credas me ad teſtem mortuum provocare) teſtari poteſt Cl. Varignonius, Vir, ut noſti, incorruptæ fidei, cum quo nempe Cl. Bernoullius ſpecimen aliquod ex literis illis de eadem materia communicavit in aliqua Epiſtola ſcripta d. 24 Decembris 1697: tuum eſt, ni credere mihi velis, ex ipſo illo Viro integerrimo quærere, quid de hac re ſit; petenti non denegabit teſtimonium. En igitur verba Bernoullii ad Leibnitium in Epiſt. $\frac{1}{8}$ Junii 1695. „Eleganter obſer„vaſti conſenſum inter numeros poteſtatum a binomio & diffe„rentiarum rectangulo; haud dubie aliquid arcani ſubeſt. Non„dum ſatis vacavit examinare, an quid inde pro ſummationi„bus elici poſſit. Videtur tamen quantitatem propoſitam „differentialem cujusvis gradus integrari poſſe, eam pri„mo differentiando *more conſueto*, & dein ſumendo tertiam „proportionalem hujus novæ quantitatis differentialis ad diffe„rentialem propoſitam, conſideratis interim d, d^2, d^3, d^4 &c. „tanquam quantitatibus Algebraicis, & non ut literis tantum„modo characteriſticis; ſic ex. gr. tertia proportionalis d^3 ad „dd erit d; & d^4 ad d^3 erit dd (ac ſi litera d quantitatem Al„gebraicam denotaret) in hunc finem eſto propoſita differen„tialis tertii gradus hæc $xd^3y + dxddy$ cujus integralis inveni„enda ſit: differentietur ea more ſolito & habebitur $xd^4y +$ „$2dxd^3y + ddxddy$; poſito jam d^0x pro x, ſumatur ſecundum „regulam meam tertiæ proportionalis ad $d^0xd^4y + 2dxd^3y +$ „$ddxddy$ & propoſitam $d^0xd^3y + dxddy$, quæ erit d^0xddy, hoc „eſt, $xddy$: dico itaque $xddy$ eſſe integralem quantitatis pro„poſitæ $xd^3y + dxddy$, quod quidem ante calculum primo in„tuitu patebat; juvat tamen oſtendiſſe, quomodo per metho-

„dum

„dum eo perveniri poſſit. Nota, quod in hoc ſcrutinio literæ
„ipſæ, quæ alias indeterminatas denotant, non conſiderandæ
„ſunt ut tales, ſed duntaxat quatenus afficiunt vel diſtinguunt
„ipſas d, dd, d^3 &c. hoc modo quadratum ipſius d^3y hic non
„eſt d^3y^2 ſed d^6y; cubus ipſius d^3y non d^3y^3, ſed d^9y, idem
„puta de multiplicatione, diviſione & extractione radicum,
„erit ſcilicet nova hac operandi ratione $d^2y \times d^3y = d^5y$;
„$\frac{d^7y}{d^5y} = ddy$; $\sqrt[3]{d^6y} = ddy$; item $\frac{ddy}{ddy} = d^0y = y$: Hoc pacto
„$\frac{x}{x}$ non eſt $=1$, ſed $=\frac{d^0x}{d^0x} = d^0x = x$. porro quoniam d^{-m}
„idem quod $\int^m$, erit ex. gr. $\frac{d^4y}{d^5y} = d^{-1}y = \int y$, & $\frac{d^3y}{d^2x} = d^3y$
„$d^{-2}x = d^3y \int\int x$. Idem intelligendum, ſi plures ſint indeter-
„minatæ x, y, z &c. Accidit plerumque, ſicuti prævideo, ut
„integrale quantitatis differentialis propoſitæ hoc modo in-
„ventum exprimatur per ſeriem, quando præſertim propoſita
„differentialis ſua natura non eſt integrabilis: Ex. gr. integran-
„da ſit $xd^3y + 2dxddy$; ſi differentietur, prodibit $xd^4y + 3$
„$dxd^3y + 2ddxddy$: ergo tertia proportionalis hujus ad illam
„more noſtro ſumta erit $\frac{d^0xd^6y + 4dxd^5y + 4ddxd^4y}{d^0xd^4y + 3dxd^3y + 2ddxddy}$, inſti-
„tuta jam diviſione continua, incipiendo a primo denomina-
„toris membro, habebitur hæc ſeries $d^0xddy + dydx - d^0yddx$
„$+ d^{-1}yd^3x - d^{-2}yd^4x + d^{-3}yd^5x$ &c. hoc eſt, $xddy + dydx$
„$- yddx + \int y d^3x - \int\int y d^4x + \int^3 y d^5x$ &c. quæ proinde æqua-
„lis eſt $\int x d^3y + 2dx\, ddy$. Alia invenitur ſeries incipiendo divi
„ſionem ab ultimo membro, nimirum hæc, $2d^0xddy - d^{-1}xd^3y$
„$+ d^{-2}xd^4y - d^{-3}xd^5y + d^{-4}xd^6y$ &c. hoc eſt: $2xddy - \int xd^3y$
„$+ \int\int xd^4y - \int^3 xd^5y + \int^4 xd^6y$ &c. quæ proin priori ſeriei
„æqualis eſt. Alia adhuc abſcondita hic latent, quæ autem eru-
„ere & ſtudioſius excolere nunc non vacat, &c.

In ſubſequente Epiſtola Menſe Aug. 1695 data ad eundem Virum Illuſtriſſimum hanc materiam continuavit his verbis:

„Memi-

„Memineris me ſeriem univerſalem inveniſſe (vid. Act.
„Lipſ. 1694 pag. 438) pro quadraturis & rectificationibus per
„repetitam additionem & ſubtractionem quantitatum æquali-
„um, quæ tibi non diſplicuit: Ecce nunc eandem ſeriem per
„novum meum integrandi modum repertam. Quærendum
„eſto $\int ndz$; differentietur more conſueto ndz, ut habeatur $nddz$
„$+ dndz$, ſive $d^0 nddz + dndz$. Ad hoc proin & ad ndz, ſeu
„$d^0 ndz$ ex præſcripto novæ regulæ capiatur tertium propor-
„tionale, quod erit $\frac{d^0 nddz}{d^0 nddz + dndz}$ = (diviſo numeratore &
„denominatore per d, quod a z afficitur) $\frac{d^0 ndz}{d^0 ndz + dnd^0 z}$.
„Facta nunc diviſione ultima, inchoando a priore denomina-
„toris termino prodibit $\int ndz = d^0 nd^0 z - dnd^{-1} z + d^2 nd^{-2} z$
„$- d^3 nd^{-3} z +$ &c. hoc eſt, $nz - dn\int z + d^2 n\int^2 z - d^3 n\int^3 z +$ &c.
„inchoata vero diviſione a poſteriore termino orietur $\int ndz =$
„$d^{-1} ndz - d^2 nd^2 z + d^3 nd^3 z - d^{-4} nd^4 z +$ &c. hoc eſt, $dz\int n$
„$- d^2 z\int^2 n + d^3 z\int^3 n - d^4 z\int^4 n +$ &c. Quoniam vero (poſi-
„ta dz conſtante) $\int z, \int^2 z, \int^3 z, \int^4 z$ &c. æquantur ipſis
„$\frac{zz}{1.2dz}, \frac{z^3}{1.2.3dz^2}, \frac{z^4}{1.2.3.4dz^3}, \frac{z^5}{1.2.3.4.5dz^4}$ &c. prior ſe-
„ries inventa $\int ndz = nz - dn\int z + d^2 n\int^2 z - d^3 n\int^3 z +$ &c.
„convertetur in hanc $\int ndz = nz - dn\frac{z^2}{1.2dz} + d^2 n\frac{z^3}{1.2.3dz^2}$
„$- d^3 n\frac{z^4}{1.2.3.4dz^3}$ + &c. quæ omnino eadem eſt, quam in
„Actis Lipſ. loco ſupra citato exhibui. Quod ſi ponamus dn
„conſtantem, erunt $\int n, \int^2 n, \int^3 n, \int^4 n$ &c. $= \frac{nn}{1.2dn}, \frac{n^3}{1.2.3dn^2}$,
„$\frac{n^4}{1.2.3.4dn^3}, \frac{n^5}{1.2.3.4.5dn^4}$, &c. Hinc altera ſeries $\int ndz =$
„$dz\int n - d^2 z\int^2 n + d^3 z\int^3 n -$ &c. mutabitur in hanc $\int ndz =$
„$dz\frac{nn}{1.2dn} - d^2 z\frac{n^3}{1.2.3dn^2} + d^3 z\frac{n^4}{1.2.3.4dn^3}$ − &c.

Cc in

„in qua perinde ut in præcedente applicando ad exempla dz, „d^2z, d^3z, &c. deſtruuntur per dn, d^2n, d^3n &c. ita ut provenniant quantitates pure Algebraicæ: quæ ſeries itidem ut in „Actis docui per iteratas additiones & ſubtractiones reperiri „poteſt &c.

Quid cenſes, mi Taylore? annon vides ex paucis his ſpeciminibus (plura brevitatis gratia non addimus) hanc materiam ante te jamdiu fuiſſe occupatam & forte ſolidius tractatam? Annon etiam percipis, longe commodius adhiberi literas d & $\int$, quam veſtra puncta & accentus, ſiquidem cum his non æque ac cum illis Algebraico modo procedere liceret? Hinc quoque intelligis, ut hoc in tranſitu dicam, quousque jam tum Cl. Bernoullius penetraverit in naturam differentialium ulteriorum graduum, quam tu ipſi perſpectam non eſſe aſſeverare audes: hac de re autem infra tecum fuſius agam. Interim ne iraſcere, quæſo, ſi nunc detegam plagium, quod circa hanc ipſam materiam commiſiſti & ſub conſuetæ tuæ obſcuritatis caligine abſcondere conatus fuiſti; continetur illud in libri tui *Incrementorum* pag. *38*, ubi prop. XI hoc tradis Theorema veluti novum & tuum.

Ipſius $\dot{r}s$ *fluens*, inquis, *exprimi poteſt per alterutram ex ſeriebus* $\boxed{\dot{r}s} = rs - r'\dot{s} + r''\ddot{s} - r'''\dddot{s} +$ &c. *vel* $\boxed{\dot{r}s} = \dot{r}s' - \ddot{r}s'' + \dddot{r}s''' -$ &c. Quam novum ſit ſc. patet ex allatis ſeriebus Bernoullianis ſuperiore jam ſæculo inventis; quæ tu vocas $r, \dot{r}, \ddot{r}, \dddot{r}$ &c. $s, \dot{s}, \ddot{s}, \dddot{s}$ &c. item r', r'', r''', &c. s', s'', s''' &c. Cl. Bernoullio ſunt z, dz, d^2z, d^3z &c. n, dn, d^2n, d^3n &c. item $\int z, \int^2 z, \int^3 z$ &c. $\int n, \int^2 n, \int^5 n$ &c. quod apud te eſt $\boxed{\dot{r}s}$ id Cel. Bernoullio audit $\int ndz$; transmuta jam tuos characteres in Bernoullianos, & prior tua ſeries $\boxed{\dot{r}s} = rs, - r'\dot{s} + r''\ddot{s} - r'''\dddot{s} +$ &c. oppido eſt Bernoulliana prior $\int ndz = nz - dn\int z + d^2n\int^2 z - d^3n\int^3 z +$ &c. Poſterior vera tua $\boxed{\dot{r}s} = \dot{r}s' - \ddot{r}s'' + \dddot{r}s''' -$ &c. itidem eſt Bernoulliana poſterior $\int ndz = dz\int n - d^2z\int^2 n + d^3z\int^3 n -$ &c.

Atqui

Atqui hæ ſeries perſcriptæ ſunt Illuſtri Leibnitio A. 1695 ac brevi poſt communicatæ cum Viris Celeb. Marchione Hoſpitalio, Varignonio, & ni fallor aliis. Tu Vir optime easdem in lucem profers, in libro tuo, anno demum 1715 impreſſo: ita nos paſcis crambe tua poſt 20 annos recocta. Sed nec ignorare poteras, nam ſedulo legis Acta Lipſienſia, ſeriem tuam $\boxed{\dot{r}s} = rs - r'\dot{s} + r''\ddot{s} - r'''\dddot{s} +$ &c. (quæ ut oſtendimus nonniſi notandi modo differt a priore Bernoulliana $\int ndz = nz - dn\frac{z^2}{1.\,2.\,dz} + d^2n\frac{z^3}{1.\,2.\,3\,dz^2} - d^3n\frac{z^4}{1.\,2.\,3.\,4\,dz^3} +$ &c.) jam extare in Actis illis 1694 p. 438; hoc tu diſſimulaſti. Quid inde ſequitur? ſcilicet, te reum eſſe plagii & convictum.

At audio te oggerentem, *te hic ſaltem propria uſum eſſe Analyſi, ut nullo modo dici poſſis alios fraudaſſe*: foret fateor aliquid tibi laudis tribuendum, ſi quod oggeris verum eſſet, & neglecta Analyſi Bernoulliana, quæ ſimpliciter procedit per additiones & ſubtractationes earundem quantitatum ſub diverſis formis expreſſarum, dediſſes aliam & tibi propriam Analyſin; interim quam dediſti, minime eſt tua, ſed eſt Clariſſimi Moivrei, qui eam pridem exhibuit in publicum anno nimirum 1704, in ſuis doctiſſimis animadverſionibus contra Cheynæum, plagiarium faſtuoſum & tibi admodum ſimilem. Ut autem clarius pateat identitas Analyſeos tuæ cum Moivreana, transſcribam priora tantum veſtra utriusque verba. Tu ita infis pag. 38: *Sit fluens quæſita* $rs + p$, *hoc eſt* $\boxed{\dot{r}s} = rs + p$: *Tum capiendo fluxiones, erit* $\dot{r}s = \dot{r}s + r\dot{s} + \dot{p}$, *hoc eſt*, $\dot{p} = r\dot{s}$, *adeoque* &c. Clariſſ. Moivreus p. 69: *Sit*, inquit, *fluens ipſius* $\dot{z}y = zy - q$; *tunc* $\dot{z}y = \dot{z}y + z\dot{y} - \dot{q}$, *ſive* $\dot{q} = z\dot{y}$. *Pone* &c. Tu habes $r\dot{s}$; Moivreus habet $z\dot{y}$, quod tibi eſt p, Moivreo dicitur $-q$. Reliqua, ſi non omnino verbotenus ſunt eadem, ſane quoad ſenſum tam ſimilia ſunt, ut vix ovum ovo ſimilius eſſe queat.

Quid ad hæc dicis, Vir Clariſſ. fruſtra nobis obtrudis pro excuſatione *nimiam tuam ignaviam, ob quam, quod de rebus cum eſſes maxime ſollicitus*, uti jactas, *Hiſtorias rerum & No-*

mina Autorum penitus neglexeris. Sic omnes plagiarii ſe excuſabunt, ſed hæc tua ignavia te non detinuit, quin ſæpiſſime Nominis Newtoniani (quod & nos veneramur) mentionem faciendi anſam arriperes, in rebus etiam, quæ jam ſunt tritiſſimæ, qualis eſt ſeries quam profers pag. 55 pro inventione Dignitatis Binomii, quam & Bernoullius noſter (cujus Nomen tibi adeo inviſum eſt) in Lectionibus ſuis Hoſpitalianis in multorum manibus verſantibus ſingulari modo ante tot annos inventam tradidit & poſtea multis aliis modis eandem nimis facile eruit, quam ut eos luce publica dignos cenſeret.

Series vero Bernoulliana $\int ndz = nz - dn\frac{z^2}{1.2\,dz} + d^2n\frac{z^3}{1.2.3\,dz^2} - d^3n\frac{z^4}{1.2.3.4\,dz^3} + \&c.$ minus erat trita, & fortaſſe non minoris momenti, quam Newtoniana. Illam itaque jure potiore, quam hanc primo ſuo inventori aſſerere debuiſſes, ſi voluiſſes bona fide agere.

Sed hoc ipſo quod tecta & remota impunius auferuntur, quam ſi in omnium oculis verſantur, non dubitaſti inventum illud ſub velamine punctorum & accentuum tuorum $\boxed{r\dot{s}}$ $= rs - r'\dot{s} + r''\ddot{s} - r'''\dddot{s} + \&c.$ autori Cl. Bernoullio ſubducere; credebas te tutum in obſcuritate tua & furtum quaſi in ſacco gerentem.

Ceterum exempla, quæ depromis ex hoc tuo furto, ſunt trivialia, immo fere obſoleta, hinc recte quidem monuiſti pag. 46, *hæc jam elegantius fieri ab illuſtriſſimo Nevvtono in quadratura curvarum*, modo interim non oblitus fuiſſes monere pariter, eadem diu antequam tractatus Nevvtonianus in lucem veniſſet, facta fuiſſe ab aliis, ut videre eſt in *fluxionum Methodo inverſa Georgii Cheynæi*, ſed magis adhuc in ſcheda quam Cheynæus poſtea libro ſuo adjunxit ſub titulo *Addendorum & Annotandorum*, de quibus ita loquitur Cheynæus in præfatiuncula eorum, ac ſi quæ in iis continentur ſuo Marte inveniſſet, cum tamen ea per literas acceperit a Johanne Bernoullio antea conſulto & rogato, ut quod annotaſſet in libro Cheynæano, cum ipſo Cheynæo amice communicaret; id quod Bernoullius, qui minime eſt myſterioſus, libenter indulſit Cheynæo roganti

ſed

ſed poſtea turpiter abutenti prona Cl. Bernoullii facilitate; ſi hac de re plura noſſe cupis, Cl. Taylore, adeas Cl. Moivreum, ex quo omnia accurate reſciſces, videbisque te in Cheynæo habere tibi ſimilem plagiarium, quamvis hujus rei ſocios in Anglia veſtrâ plures alios habeatis.

Ad te redeo, Vir Clariſſ. jam non vacat venari omnia plagii exempla, quæ in obſcura tua incrementorum ſylva deliteſcunt; unum tamen præterire non poſſum, quod ipſe commemoras; haud dubie culpæ conſcius culpam amoliri ſatagis ſed in caſſum. Scilicet nova Theoria Bernoulliana de centro oſcillationis publicata anno 1714 in Actis Lipſ. Menſe Junio, ut & in Comment. Reg. Scient. pro eodem anno adeo tibi placuit, ut eandem poſtea tuo libro inſerueris, tanquam a te inventam. Plagii ſuſpicionem, quam quis ex eo quod liber tuus integro anno ſerius in lucem venerit, quam ſchediaſma Bernoullianum, habere poſſet, prævenire quidem omni modo ſtudes, ſed cunctis tuis rationibus, ſeu potius commentis nihil aliud conficis, quam ut Lectores judicioſi in ſuſpicione ſua obfirmentur. Nolo hic diſcutere, quæ hanc in rem afferuntur in Diario Gallico in Batavis imprimi ſolito ſub titulo *Bibliotheque Angloiſe*, ad argumenta quippe ſollicite congeſta a recenſore tui libri, hoc eſt, ſi recte conjicio, a te ipſo, jam anno præterito in Actis Lipſ. reſpondit Cl. Nic. Bornoullius noſtri Filius, qui inter alia apprime notavit, non ſat bona fide actum eſſe a recenſore, quod dum mentionem facit Theoriæ Bernoullianæ, fingat eandem extare tantum in Commentariis Pariſinis pro anno quidem 1714, ſed nonniſi anno 1717 editis, diſſimulans alteram editionem, quæ habetur in Actis Lipſ. 1714 m. Junio, & quæ proin hoc ipſo menſe fuit divulgata; Acta enim iſta diſtribui ſolent ipſis Calendis cujusque menſis cujus nomen præ ſe ferunt. Ita putavit tuus Patronus, neminem fore, qui ſolutionem problematis de centro oſcillationis inſertam libro tuo A. 1715 mutuatam e Bernoulliana, præcedente jam anno edita, ſuſpicetur. Sed tandem in te rediens animadvertiſti, fucum iſtum nimis eſſe palpabilem, quam ut quenquam decipiat: rerum enim noſtrarum curioſi, qui Commentarios Pariſinos evolvunt, lectione quoque Actorum Lipſienſium delectantur. Quare relicto hoc ſtratagemate, nunc alio uteris, ſed non magis idoneo. Quando enim in tua Apologia hunc in modum loqueris: *Bernoullii ſolutiones duæ extant eodem anno* (1714) *editæ; quarum poſterior cum noſtra, quoad principia, tam mire conſentit, ut jurares ab eodem homine eſſe utrasque inventas*; fingis utique duas illas

 ſolu-

ſolutiones Bernoullianas, quoad principia eſſe a ſe invicem diverſas, ut tuam quoque a Bernoulliana priore diverſam eſſe Lectori perſuadere poſſis: at miſerum artificium, quo ne imperitioribus quidem illuſeris! oportet quippe utramque tantum linguam intelligere Gallicam & Latinam, ut quis ex contextu æque ac ex inſpectione figurarum percipiat ſchediaſma Gallicum Theoriæ Bernoullianæ in Commentariis editum, eſſe nudam tantum verſionem ſchediaſmatis Latini in Actis evulgati, eamque tam fidelem, ut verbotenus fere ubique interpres reddiderit Gallice, quod a Bernoullio ſcriptum erat Latine.

Quid ex his omnibus ſequitur, mi Taylore, niſi id tantum quod ſi ſolutio tua eadem ſit cum Bernoulliana poſteriore, ut fateris, ſit quoque eadem cum priore, quæ ante tuam in publicum prodiit, minimum per integrum annum; credamus igitur citra juramentum ſolutionem in libro tuo 1715 eamque in Actis 1714 *ab eodem homine eſſe utraſque inventas.*

Nec eſt quod dicas, librum iſtum tuum fuiſſe penes *Societatem Regiam & cum omnibus fere veſtris Mathematicis communicatum usque a Menſe Aprilis 1714;* ad hoc quippe ſatis ſuperque reſponſum eſt a Bernoullio Filio. Demus, ſi ita vis, librum iſtum tuum pridem ante ipſius editionem fuiſſe communicatum cum veſtris Mathematicis, quis eorum erit, qui ſe in eo ſolutionem tuam jam tum vidiſſe teſtabitur? annon poſtea nemine animadvertente intrudi potuit? At ipſa *ſolutio tua ut cauſaris cum amicis communicata eſt usque ab initio anni 1712*, atque hoc verum eſſe *teſtes citas epiſtolas autographas Keillii tui.* At fragile teſtimonium, ſi aliud tibi non ſuppetit! audes contra Bernoullium accerſere in teſtem Keillium, quem noſti eſſe nominis Bernoulliani totiusque Nationis Germanicæ inimicum infenſiſſimum? Hoccine tibi permittit Jurisprudentia tua? Ego vero ſincerius tecum agam, producamque teſtimonia contra te non ab inimico tuo, ſed ab amico tuo quondam tibi fideliſſimo & in ſtudiis Mathematicis verſatiſſimo, atque quanta pars inventorum gloriæ uniuscujusque debeatur apprime gnaro, quippe qui operam dedit conſcribendæ Hiſtoriæ *de inventis Mathematicis eorumque veris Autoribus*, qui proinde ſine dubio inſtructiſſimus fuit authenticis documentis. Utinam vero opus hoc, quod ferme ad umbilicum pervenerat, non interruptum fuiſſet præmatura morte ſcriptoris! multis ex veſtratibus, qui tam contentioſe ſibi ſuisque varia inique arrogant, os potenter obturaſſet, atque ut erat vir incorruptus, nec Germanis magis quam Britannis favens, utpote natione Gallus, ita facile fidem

apud

apud omnes æquos rerum judices inveniſſet. Is autem erat (quid opus eſt nomen celare?) Monmortius Geometra inſignis & in orbe Mathematico ſcriptis ſuis notiſſimus. Vir iſte tibi erat familiariſſimus, quem etiam, ut talem agnoviſti, vid. Diarium Gallicum Hagienſe (*Europe Savante*) m. Maj. 1719 p. 126, ubi Monmortii amorem in veritatem, ejusque intimam, qua te honorabat, amicitiam ita extollis: *Je ſuis ſi touché* (inquis) *de l'amour ardent, que vous reſſentez pour la verité, & de la grande bonté, que vous temoignés par l'opinion favorable, que vous avez des travaux de mes compatriotes, (ſans parler du bonheur que me prouve l'etroite amitié, dont vous avez la bonté de m' honorer) que je me ſerai toujours un plaiſir tres grand, de vous etre de quelque utilité dans vos recherches curieuſes.*

Hujus itaque Monmortii, te ipſo fatente, tam candidi tamque impenſe faventis & tibi & veſtratibus, teſtimonium nullo modo ſi ſapis reſpues; ille autem in numerum Plagiariorum obſcure ſcribentium te refert, quod percipies ex ſequente fragmento Epiſtolæ alicujus Monmortianæ ad Cl. Bernoullium ſcriptæ d. 3 April. 1718. *Je me ſouviens de ce que vous m'avez mandé autrefois touchant l'obſcurité impenetrable de ſon (Taylor) livre* Method. incrementorum. *Vous avez bien raiſon, c'eſt ramer ſur les Galeres, que de lire & de vouloir entendre de tels livres: pour moi la vengeance que j' en retire ſi bons qu'ils ſoient, c'eſt de les laiſſer là; votre Ami met Mr. Taylor au nombre de ceux qui ne citent pas les auteurs dont ils empruntent quelque choſe. Il merite moins ce reproche, que Mr. Cheynée & ſur tout Mr. Hayes, qui vous a copié & Mr. de l'Hoſpital mot a mot: mais je conviens, qu'il (Taylor) le merite un peu - - - - - - - - je ne crains pas les voleurs, mais en general, je les hais, & la republique des Lettres en eſt pleine: Vous l'avez eprouvé plus, qu'un autre: je me fais un veritable plaiſir en compoſant l'Hiſtoire de la Geometrie d' eclairer les larcins, & de reſtituer à chacun ce qui lui a eté pris.*

Poſſem & alios magni nominis producere viros, qui te, mi Taylore, plagii reum ſuſpicantur, ac nominatim quidem in cauſa Theoriæ centri oſcillationis, quam Cl. Joh. Bernoullio utpote primo & unico Autori in ſolidum adjudicant: ſed ut bilem tuam effugiant, illos nominare nunc quidem ſuperſedeo, nominaturus ſi quod ſpero permittere voluerint.

Hæc ad primam tuam querelam. Ad alteram quod ſpectat, miror te ægre ferre verba Cl. Bernoullii, *te ad profundiora ſua aliorumque feliciter penetraſſe*, dicentis; neſcio ſane, an

non

non quilibet alius talia de ſe dicta ſibi laudi duceret: quid enim avidius amaret, quam gloriam, qua de ſe prædicaretur, quod tanto polleat ingenii acumine, ut, quæ alii licet ante ipſum myſteria invenerunt, ad ea tamen ipſe ſuo Marte *feliciter penetraverit?* Non credo vel Newtonum, vel Bernoullium, vel alium quemvis ex hodiernis inventoribus offenſum iri, ſi de ſe dicatur, quod ad Archimedea penetraverit, & quidem multo felicius, quam Archimedes ipſe. At ſi quid valet mea conjectura, ideo te pupugerunt verba Bernoulliana, quia plagii vitium tibi tacite exprobrari putabas; alium, qui meliorem habuiſſet conſcientiam non pupugiſſent. Deſine ergo iraſci Bernoullio & tuæ potius iraſcere culpæ, non enim juſtum eſt ut alius luat, quod tu peccaſti: Bernoullius laudare te voluit, tu laude indignum te ſentis, cum prava te mordeat conſcientia. Quid ſtomacharis Bernoullio qui nihil deliquit? Hoccine tua te docuit Jurisprudentia?

Reſtat ut oſtendam, quam iniqua ſit tertia tua contra Cl. Bernoullium quiritandi cauſa; dixit ſcripta tua eſſe *obſcura* usque adeo ut ne *a perſpicacioribus quidem intelligi queant*; ſed quid tum? an de obſcuritate monere idem eſt quod crimen exprobrare? ſi falſo te taxaſſet obſcuritatis, habuiſſes fateor cauſam retorquendi culpam in Bernoullii indocilitatem; ſed ex literis modo allatis vidiſti, Monmortium invita omni qua pollebat perſpicacia maluiſſe ad triremes damnari, quam legere caliginoſa tua ſcripta.

Ne putes, Cl. Vir, Monmortium ita non locuturum fuiſſe niſi antea ita loquendi occaſio data fuiſſet a Cl. Bernoullio; ecce ab eodem Monmortio, tuo quidem amico ſingulari, teſtimonium aliud ultro exhibitum de tua *obſcuritate* partim, partim de clara & perſpicua Bernoullii ſcribendi ratione. Sic enim habet in literis ad Bernoullium noſtrum d. 28 Octobr. 1718: *Le peu, que vous me marqués de vos idées ſur cette matiere (des Vibrations des cordes de muſique) me plait beaucoup: Vous etes ſur (Monſieur) dans tout ce que vous faites, quoi qu'en diſe Mr. Keil; je vous invite à communiquer au public vos decouvertes en ce genre. Il ne ſoit rien de vos mains, qui ne ſoit* perfectum ingenio, elaboratum induſtria; *ce n'eſt point là un compliment, c'eſt la pure verité; & je ne connois perſonne, qui ſoit connoiſſeur & impartial, qui n'en convienne; ce que j'eſtime encore infiniment, c'eſt que vous avez le rare & precieux talent de vous faire entendre, vous étes presque le ſeul auteur en Geometrie, que je liſe avec baucoup de plaiſir: je n'aime pas la peine, bien d'au-*

d' autres me reſſemblent en cela, Vous la diminuez infiniment a votre Lecteur. J' ai bien dit des injures & de bien groſſes à mon Amy Mr. Taylor, quand il etoit ici avec moi, ſur l' obſcuritè etonante, & la mauvaiſe facon de ſon livre.

Poſſes ne dubitare de ſinceritate hujus judicis, qui ſe (clam te, adeoque non ex adulatione) tuum amicum profitetur? quid nunc, ſi amici tui ita de te judicant, quid inquam alii cenſebunt? Interim idem ille amicus tuus Monmortius in aliis literis ad Cl. Bernoullium 28 Junii 1719 tuam, mi Taylore, obſcuritatem, qua plagium tuum ſupra notatum diſſimulare voluiſti, his exprimit verbis: *Son memoire (de Mr. Taylor) ſur les centres d' oſcillation eſt abſolument le meme, que le votre, qui a paru le premier, on ne peut une plus grande conformitè d' idées; il n' y a de difference, que dans l' expreſſion claire chez vous, obſcure chez Mr. Taylor.*

Sed curioſa ſunt atque digna inprimis, ut transſcribantur, quæ in eadem habet Epiſtola Monmortius de ſuis inventis circa ſeries, quorum Latine vertendorum & edendorum curam tibi demandaverat: tam egregie ſc. translatoris officio functus fueras, ut Autor ipſe ſua inventa a te in Latinum verſa an perverſa cognoſcere amplius & intelligere vix potuerit. En ejus verba: *I'ai admiré & ri, que vous ajéz reconnü le ſtile & le latin de Mr. Taylor, dans le petit traitè que je vous ai envojè ſur les ſuites. Je le lui avois envojè fort different de ce qu'il eſt, il en a voulu changer toute la forme & l' a rendu tel qu' en honneur* je ne l' entend pas trop moi meme. *J' ai eté obligè pour le deviner de m'accrocher aux exemples qu' il n' a point changés. - - - - Je me ſuis douté auſſi que le latin n' en etoit pas trop bon.*

Obſcuritas tua, mi Taylore, tibi quandoque utilis eſt, ſed tibi ſoli, ejus namque beneficio videri cupis aliquid ſolviſſe, quod revera nec ſolviſti nec ſolvere potuiſti, exemplum habemus in problemate a te ipſo Mathematicis non Anglis propoſito & per Cl. Bernoullium perfecte ſoluto, vid. Act. Lipſ. 1719 p. 256 & ſequ. at quod tu ipſe, quia nullam dediſti ſolutionem, minime ſolviſti, interim ut imponeres Monmortio tuo, pro vera ſolutione ipſi fumum obtruſiſti, ut ſibi perſuaderet, te ſolutionis compotem eſſe: audi enim amicum tuum ad Bernoullium Filium d. 15 May 1719 ita ſcribentem: *Je lirai avec ſoin la ſolution qu' a donné Mr. votre Pere dans les Actes de Leipſic du probleme propoſè dernierement par Mr. Taylor; ce ſavant Geometre m' en a envojé depuis peu une ſolution fort abregée &* que je n' ai pas entendue. Vides Monmortium bona fide crediſſe, a te tuum problema eſſe ſolutum, accepit enim pro ſolutione ali-

quid, quod ne umbra quidem ſolutionis erat, neſcius ſub obſcuritate tua nil niſi fucum latere. Sed turpe eſt optimi amici credulitate abuti. Interim ut ſcias quid ſenſerit idem tuus amicus de ſolutione Bernoulliana ejusdem problematis tui (vel ſaltem a te propoſiti) ex Epiſtola ad Cl. Bernoullium menſe Junio ejusdem anni data excerpo judicium Illuſtr. Monmortii hunc in modum expreſſum: *J'ai lu votre memoire avec toute l'avidité & toute la curioſitè, que j'ai toujours pour ce qui vient de vous. L'extreme clarté & l'ordre naturel de votre ſolution du probl. de Mr. Taylor m'a mis en etat de l'entendre dans une matinée, & de faire tous les calculs neceſſaires. Je m'attens à un pareil plaiſir, lorsqu'il vous plaira, nous decouvrir votre Analyſe du probleme de Mr. Keill; car vous poſſedez au ſupreme degré l'art d'applanir les difficultez à vos lecteurs, & de mettre les matiéres les plus ſublimes à la portée des Eſprits les plus mediocres. He bien, Monſieur, vous vojez que les efforts de ceux qui vous portent envie, & que les tentations, auquelles on vous expoſe, tournent à votre gloire. Pour moi, je n'ai pas douté un moment, que voulant vous en donner la peine, vous ne fuſſiez capable de reſoudre à coup ſur, ce qui auroit eté trouvé par un autre, &c.*

Huc pertinet, quod paulo poſt nempe 28 ejusdem menſis Junii ad Cl. Bernoullium noſtrum de eadem materia ſcripſit Monmortius in ſententiæ ſuæ confirmationem. *Je vous ai*, inquit, *temoigné dans ma derniere lettre, Monſieur, ce que je penſois de votre ſolution du probl. de Mr. Taylor: le premier & le plus grand merite, qu'ait pour moi un mourceaux de geometrie, c'eſt d'etre intelligible, le votre eſt eſtimable par cet endroit & par tout ce qui peut donner du prix à un ouvrage &c.*

Quid tandem ad hæc omnia dicis, doctiſſime Taylore? plurane deſideras teſtimonia? poſſem equidem alios non inferioris ordinis Geometras adducere, idem cum Monmortio de te ſentientes; ni autem inſatiabilis fueris, ſuffecerint opinor tot tamque graves hujus viri querelæ contra inextricabilem tuam obſcuritatem motæ; hæ quippe cum ſint ab optimo tuo amico profectæ, annon plus ponderis apud te habebunt, quam ſi mille alios in teſtes advocaſſem? Vides hinc, qua fronte dicere ſuſtineas *de tua conqueri obſcuritate, id eſſe ab ingenuis moribus prorſus alienum, & meram contumeliam*; quis enim conqueſtus eſt? profecto non Bernoullius ſolus, ſed alii, ſed Monmortius amicus tuus fidiſſimus, qui te ea de re in faciem increpuit, hic igitur ex ſententia tua caruit *ingenuis moribus*, hic fuit tuus merus calumniator; deſine impoſterum condecorare Bernoullium ejusmodi

modi

modi titulis qui ſolennes ſunt inter calones potius quam inter *ingenuæ* educationis homines.

Nec eſt quod in tui excuſationem objectes, *difficile eſſe in re fere nova & ab uſu communi aliquantulum remota, non eſſe obſcurum*; nihil enim tam novum in tuo libro deprehendo, quod non explicari poſſit vel jam ante te explicatum ſit clare & perſpicue; deinde ridiculum mihi videtur novitatem prætexere ad excuſandam obſcuritatem, ſi rei novitas obſcuritatem pareret in ſcribendo, omnia quæ hactenus ab Archimede, Apollonio, aliisque primis inventoribus inventa, forent obſcuriſſima, utpote tum temporis cum ſcriberent nova. Sed quid ad veteres recurro? nova Theoria de centro Oſcillationis a Cl. Bernoullio inventa & primo in lucem emiſſa tam clare, tamque dilucide conſcripta eſt, quam quod maxime, a te vero poſtea libro tuo inſerta tanta laborat caligine, ut Lectori opus ſit Oedipo, qui explicet, & ne ſic quidem intelligi poſſit, niſi præ oculis habeatur ſcriptum Bernoullianum, quod lucem affundat ad cognoſcendum tuam ſolutionem enatam eſſe ex theoria Bernoulliana.

Ita utcunque ventilavimus, amiciſſime Taylore, quam juſtæ ſc. fuerint tres illæ a te prætextæ rationes ob quas Cl. Bernoullium usque adeo proſcindere & eum, ſi per te ſtetiſſet, ex hominum memoria delere voluiſti. Si jam te dimitterem taceremque ad reliqua invectivæ capita, quibus Bernoullii noſtri merita tantopere extenuas, forſan *patientiam noſtram ignaviæ* alicui imputares & *ſilentium* pro conſenſu acciperes; o quanta inde tibi ſociisque tuis naſceretur triumphandi materia. Ideoque in reſponſionem ad inficetas tuas nænias accipe ſequentia placido & ſedato animo proferenda.

Undenam audiveras, Cl. Vir, id quod affirmas, *te audire Bernoullium de exordio conquerentem, quo nuper uſus es in ſolutione problematis Leibnitiani in Tranſactionibus Philoſophicis edita: reprehendiſſe ſtylum tuum utpote acriorem quam virum bene moratum deceat; item nimium tuum contemtum extraneorum*: non enim memini Bernoullium publice (quamvis jure potuiſſet) conqueſtum eſſe de ſtyli tui acrimonia, & indecentia, antequam Apologiam tuam in lucem protruſeras; at hoc nunc tuo injuriandi ſpecimine comprobas, vehementer illum falli, qui apud te quærere voluerit veſtigia quædam humanitatis in exteros, eos præſertim, quos tibi facilius eſt obtrectare quam imitari. *Fautores Leibnitii* ſine exceptione taxaveras imperitiæ; ipſumque Leibnitium exagitaveras tanquam *pertinacem & convictum plagiarium*. Nunc vero prius, quod ipſe fateris *paulo durius ſonare*,

 reſtri-

reſtrictum cupis per neſcio quam Jurisprudentiæ tuæ Regulam ad quosdam tantum Fautores Leibnitii, *Bernoullium* ſcilicet *&* *ſocios ejus vobis infenſos &*, ſi Diis placet, *univerſos Anglos indigne tractantes.*

De altero vero, quo *pertinaciam* & *convictionem plagii* pro civilitate tua Leibnitio exprobraveras, nunc quidem quaſi id nunquam in mentem tibi veniſſet omnino taces, ſcilicet, ut bilem tuam totam in ſolum Bernoullium effundere poſſes: næ! lepidum jam eſt in ſcripto tuo legere inter *illuſtria nomina* extraneorum, quorum *te tanta*, ut ſimulas, *tenet reverentia*, ipſius quoque nomen Leibnitii; quem antea ex ſingulari tua reverentia inter *pertinaces* & *convictos* plagiarios referebas, ſed & non minus lepidum eſt te videre triumphantem de *imperitia* Bernoullii, eodem fere tempore, quo a te tuoque Keillio ad certamen provocatus problemata veſtra, quæ ipſimet ſolvere non valebatis, feliciter enodavit, atque exhibitis ſuis ſolutionibus, contra quas nihil excipere poteratis, victor evaſit.

Actum agerem, ſi denuo commonſtrare vellem, quam parum ſincere redargueris imperitiæ eos, qui putatitiam illam Anonymi ſolutionem trajectoriarum generalem pro ſolutione admittere noluerunt, id enim jam ſatis monſtratum eſt a Cl. Bernoullio filio in Act. Lipſ. 1720 m. Majo, ſi tu citra præjudicium benignius de ea judicas, monſtra te nobis peritiorem, neque bonitatem eius convitiis ſparſis in Bernoullium ſociosque (præ ceteris Cl. Hermannum, qui eandem cum Bernoullio fovet ſententiam, Act. Lipſ. 1717 m. Aug.) vindica, ſed opere ipſo doce quomodo ex illa, quam ita vocas, *ſolutione generali* æquationes ſint deducendæ pro trajectoriis curvarum a Leibnitio propoſitarum, quarum natura hæc eſt, $dy = \frac{x^n dx}{\sqrt{a^{2a} - x^{2a}}}$. Quod ſi non præſtiteris eadem laborabis imperitia, quam aliis objicis, & nolens volens fateberis ſolutionem illam *generalem* eſſe puram putam chimæram. Eandem omnino tulit ſententiam Monmortius tuus in literis ad Cel. Bernoullium d. 14 Septembr. 1717. *J'ai portè*, ait, *le meme jugement que vous, de la ſolution qu'on a donnée de votre probléme ſur les trajectoires dans les Transactions: c'eſt ſe moquer du monde de donner une pareille ſolution d'un probleme fort difficile.* In eundem ſenſum literis ſuis ad Cl. Bernoull. 26 Junii 1718 judicat his verbis: *Vos Reflexions ſur le* id profecto illorum imperitiæ tribuendum erit *de Mr. Taylor ſont tres juſtes & exprimées avec baucaup d'agrément. Je penſe en veritè comme vous: c'eſt ſe moquer du monde & abuſer des termes que d'appeller ſolution*

tion le peu de lignes dont il eſt queſtion au ſujet du probleme des Trajectoires; c'eſt un abus à reformer, que cette facon obſcure & enigmatique de resoudre des problemes: & le vray moien eſt de ſtatuer, que qui parlera ainſi au public ſera cenſé & reputé n'avoir point parlè.

En, mi bone, dum Bernoullium & ſocios ejus ad imperitorum claſſem relegas, incautus quoque damnas intimum tuum amicum, qui certe talia de te minime promeruit. Licebat tibi omnia in Cl. Bernoullium quæ invidia inſpirabat eructare, nam

Hunc obtrectare ſi volet malignitas,
Imitari dum non poſſit, obtrectet licet:

modo ſociis, modò amicis tuis pepercisses. Cel. Bernoullius ſane invidentium rabiem non timet, novimus veſtratium quosdam in ſocietatem coiiſſe, ſubverſuros, ſi poſſent, ſtabilitam Cel. Bernoullii gloriam, ſed non animadvertitis hinc aliud nihil effici, quam ut eidem novum addatur robur: veriſſimum enim Ciceronis illud, *invidia virtute parta, gloria non invidia eſt putanda.* Huic adſtipulatur candidiſſimus ille tuus Monmortius, ſemper ut ſentiebat eloqui ſolitus; is enim in Literis menſe Junio 1719 exaratis atque jam ſupra citatis Bernoullio noſtro animum addit hunc in modum: *Sojez ſur qu'on ne gagnera pas une pouce de terrain ſur vous. Vous ne pouvez rien perdre du coté de la reputation de grand eſprit, de Geometre du premier ordre, de grand inventeur & de grand promoteur des nouvaux calculs, cela eſt certain. Vous aurez toujours l'avantage ſur ceux, qui voudront vous attaquer par ces endroits; les faits ſont decisifs en votre faveur. D'ailleurs il eſt conſtant, qu'on vous à ſouvent volè, pillè avec artifice & ingratitude, & qu'on ne peut vous accuſer de vous etre jamais ſervi du bien d'autrui, ſans lui en faire honneur. Je vous citois dernierement à Mr. Taylor comme un modele de l'exactitude, qu'un honnete homme doit avoir en ce genre; & j'aſſociois à cet honneur Mr. Hermann & Mr. Varignon, qui ce me ſemble ne manquent jamais quand ils traitent une matiere aprés Mr. Nevvton, apres vous, ou apres quelqu' autre, d'y renvojer & d'en parler avec honneur bien differens en cela d'un certain Mr. des Haies, qu'un de vos amis à citè bien à propos, & d'un grand nombre d'autres Anglois &c.*

In eadem Epiſtola ſub finem rem fortius exprimit: *Votre* ingratam æque ac moleſtam *& le* profundiora noſtra *vous ont fait un adverſaire illuſtre (Mr. Taylor) vous auriez pu lui epargner ces reproches, car comme on dit, toutes verités ne ſont pas bonnes à dire ſur tout en public, mais enfin il n'y à pas grand*

 mal,

mal, vous vous en tirerez bien; tout ce que je vous demande, c'eſt que vous ne vous fachiez point, & que vous aiez aſſez bonne opinion du public pour etre aſſuré que votre reputation & les grands ſervices que vous avez rendus à la Geometrie ne peuvent ſouffrir aucune atteinte, quand avec les Anglois l'ancien & le nouvau monde ſeroient conjurés contre vous; mais cela n'eſt pas, car tous nos François, en particulier qui ont appris les nouvaux calculs dans l'Analyſe des infiniment petis & dans les journaux de Leipſic, vous aiment & vous reſpectent comme leur principal Maitre.

Poſſem producere innumera alia ejusmodi teſtimonia, quæ Cl. Bernoullium ab impacta imperitiæ nota potenter vindicant, niſi brevitatis quoque habenda eſſet ratio. Quia vero veſtrates per Epiſtolarum documenta certare inceperunt, & ut audio etiamnum pergunt, lubet hunc morem hac vice ulterius ſequi, adjiciendo fragmentum Epiſtolæ Monmortianæ ad Bernoullium die 17 Junii 1717. Ex eo namque videbis quid magnus veſter Newtonus de Bernoullio noſtro judicet. Audebisne vocare *imperitum*, qui a Newtono titulum habuit Geometræ *peritiſſimi?* Ita autem Monmortii verba ſonant: *Je ſai, qu'il (Mr. Nevvton) vous eſtime parfaitement, qu'il vous regardoit meme du vivant de Mr. de Leibnitz comme le plus fort Geometre, qu'il y eut en Europe, & qu'il rend en toute occaſion la juſtice qui eſt due non ſeulement à vos grands talents mais auſſi à vos* decouvertes. *Il eſt certain, Monſieur, & il faudroit etre, ou de mauvaiſe foi, ou tres ignorant dans l'Hiſtoire de la Geometrie moderne, pour ne pas convenir, que les nouvaux calculs & la Geometrie à la prendre il y a 25 ans vous doivent & à Mr. votre Frere plus qu'a perſonne, ſans en exemter Mr. Nevvton & meme Mr. Leibnitz. L'Analyſe des infiniment petits & les Journaux de Leipſic ont fait presque tout ce qu'il y a aujourdhui de Geometrie & on ſait la part que vous y avez. Ce que Mr. Leibnitz donna en 1682 etoit tres obſcur & aſſez borné quoique digne d'admiration, c'eſtoit une ſource tres feconde, mais ou vous & Mr. votre Frere avez pris cette ſource, elle etoit encore tres petite, vous l'avez rendu un grand fleuve. Il falloit de grands Genies pour appercevoir, decouvrir & nous enſeigner tant de magnifiques applications, que vous avez faites de ce calcul. Je ſuis faché que Mr. Leibniz n'ait pas repondu aux Anglois, & aux prejugéz, qu'ils tirent contre lui principalement des deux lettres de Mr. Nevvton imprimées dans les ouvrages de Wallis. J'ai examiné avec ſoin* (NB) *les pieces, qui ſont entre les mains du public, comme j'ai deſſin de donner quelque jour une Hiſtoire de la Geometrie, qui eſt deja aſſez avancée, je tacherai de m'inſtruire à fond de tout ce qui a rapport à cette fameuſe*

meuſe querelle, qui partage deux ſavantes Nations & de rendre à chacun l'honneur qui lui appartient legitimement; quand vous voudrez je vous communiquerai ce que je penſe: pour vos droits & ceux de Mr. votre Frere, ils ſont independants de cette diſpute; le tribunal de Mr. Keill n'eſt pas ſouverain, & on en peut appeller: Je le croi fort bon Geometre, mais il eſt chaud, prevenu & paſſionne: Il me paroit encore qu'il a naturellement l'eſprit de travers; j'ai vu des raiſonnements pitoiables de lui ſur la Phyſique & de plus pitoiables ſur la Metaphyſique. Je ſai qu'il a voulu ecrire contre moi, il m'auroit fait aſſurement bien de l'honneur: c'eſt à l'occaſion d'une certaine lettre pages 377 & 378; on m'a dit, que Mr. Nevvton l'en avoit empechè.

Non putem te dicturum aliquid hic adulationi eſſe tribuendum, veſtrum quippe Newtonum revera de Cl. Bernoullio noſtro eam, quæ hic dicitur, habere honorificam opinionem ac cum Newtono ſimiliter ſentire Hallejum aliosque magnos ex veſtratibus Geometras: poſſem id docere per alias quoque literas ex Anglia ipſa ſcriptas partim a Cl. Moivreo, partim ab aliis, tum & ab ipſo Newtono, docebo, ſi te de fide mea dubitare videro.

Sed quid his diutius immoror? Nemo non videt, Clariſſime Taylore, contemtum quem ſimulas de Cel. Bernoullio in maximam ejus laudem vergere. Quemadmodum enim *in magnis liberisque civitatibus*, Cornelio Nepote ita ſentiente, ſic quoque in Republ. literaria *eſt hoc commune vitium, ut invidia gloriæ comes ſit, & libenter de his detrahant, quos eminere videant altius.* Sed doleo hoc vitium usque adeo tibi innatum, ut ne quidem diſſimulare queas. Velles quidem moroſiori tuæ intemperiei varias prætexere querimonias, ne ex mera invidia contra Bernoullium tam inhumaniter ſcripſiſſe videreris, ſed nihilo graviores, quam quas Lupus in fabula movit agno inferius ad rivum ſtanti & lupo aquam turbanti: cum enim omnes tuas rationes frivolas eſſe facile perſpiceres, tandem quo te amplius verteres neſcius feſtivum comminiſceris figmentum, ſcilicet *Bernoullius & Socii ejus Anonymi vobis ſunt infenſi: atque univerſos Anglos indigne tractarunt.* Gravis ſane accuſatio! ſed ſimili modo lupus agnum accuſaverat: quid? Bernoullius, quia ad Keillii tuamque cantilenam ſe componere noluit, quia a vobis inſolenter & elata criſta laceſſitus ſe defendit, quia ſupercilioſos veſtros contemtus & inſultus repreſſit, quia vobis duobus provocantibus comparuit, quia veſtris vos armis in fugam vertit, dum problemata veſtra quibus ſolvendis ipſi impares eratis feliciter enodavit, quid, inquam, an ideo Bernoullius vobis omnibus

bus eſt infenſus? an ideo univerſos Anglos indigne tractavit? Nimium tibi tribuis Keillioque tuo, cum putas in utroque veſtro totius Anglicæ nationis honorem verſari; ille ſaltem Thraſo Atticus, qui omnes naves in portum appellentes ad ſe pertinere ſibi imaginabatur, multum abeſt, quin rem tantam ſibi tribuerit.

Si quis alius, Cl. Bernoullius certe doctorum Anglorum ingenia & merita magni ſemper fecit, de Newtono ejusque inventis non ſine ſumma laude mentionem fecit quavis data occaſione, quod ſolidiorem ipſi parit gloriam, quam quæ ex turpi nonnullorum veſtrorum adulatione emergit. Sunt multi alii ex Britannica gente viri, quos ob doctrinæ præſtantiam, ingenii acumen ac morum probitatem impenſe laudat & amat Cl. Bernoullius noſter, habet enim Anglia Hallejum, Craigium, Burnetum, aliosque eruditos Geometras, quibus merito accenſemus Moivreum quamvis naſcendi ſorte Gallum, longa tamen habitatione Anglum: horum virtutes animi & pereximias ingenii dotes & vires debito honoris cultu ſemper proſequitur Cl. Bernoullius ab iisque vicisſim amatur; quin & tuam, quod non ignoras, ambivit amicitiam, ad ingenium tuum reſpiciens non ad mores, quos nondum cognoverat. Sed aliter tibi viſum eſt, nec aliam ob cauſam reſpuiſti oblatam amicitiam, quam quod Nomen Bernoullianum ambitioni tuæ obſtaculo eſſe putaveris; Newtonus ſibi gratuletur quod Anglus ſit, alias idem a Te ipſi quod Bernoullio contingeret, imo fortaſſe durius, nam *ſumma petit livor*; certe non eſt operæ pretium ut nobis perſuadeas, *te cauſæ Nevvtonianæ non eſſe tam pertinaciter addictum*, credimus etiamſi non dicas te quidem externe ſimulare ſummi hujus viri fautorem, dum eidem tamen ſi per te ſtaret inventorum gloriam avide ſurriperes, quod quodammodo patet ex ſupra dictis.

Ergone tandem agnoſcis, Clariſſime Taylore, te in Iſoperimetro uſum eſſe Analyſi Autoris *Jacobi Bernoulli, Viri*, ut loqueris, *a rebus Mathematicis optime meriti, cui debitos nunc perſolvis honores?* Ingenua fuiſſet hæc & te digna confeſſio, ſi ſtatim in ipſo loco, ubi ea analyſi uſus fuiſti, ſponte monuiſſes, unde eam hauſeris; ſed cum detecta demum fraudulenta uſurpatione plagium amplius palliare non poſſis, confeſſionem iſtam tuam, utpote extortam, exſibilamus & nauci facimus: neque urbanitati tuæ tribuimus, quod defunctum Jacobum Bernoullium ob ejus merita de rebus mathematicis laudare & ipſi nunc debitos honeres perſolvere volueris; eandem haud dubie cum fratre ſortem experiretur ſi viveret.

Scripta

Scripta placent a morte fere: quia lædere vivos
Livor, & injuſto carpere dente ſolet.

Accedo tandem ad Bernoullii noſtri ſolutiones Iſoperimetrorum, in quibus carpendis dentes tuas præcipue exerces, ſed quam feliciter videbimus. Poſtquam omnem moviſſes lapidem, ut ex ſcriptis Bernoullianis aliquem extunderes errorem, tandem tibi viſus es reperiſſe ubi graviter ceſpitaverit Bernoullius, nimirum in ſolutione priore edita in Commentariis Reg. Scient. Acad. 1706. Reapſe aliquid hic ex inadvertentia irrepſiſſe, Cl. Bernoullius ipſe primus animadvertit & pro candore ſuo publice monuit nemine urgente. Tu vero lapſum leviorem, qui non tam methodum afficit, quam ejus circumſtantiam, tantopere exaggeras, invidorum more, ut quis crederet errorem a Bernoullio commiſſum fuiſſe capitalem: audes namque dicere, *priſtinam illam Analyſin ejus a capite ad calcem quaſi unum aliquod vitium maximum conſtituere;* ſed cum eo venis ut audax aſſertum probare jam velis, delaberis in aliquot ratiunculas & cavillas, quarum me miſeret, *parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.* Primo vocas ridiculam ſubſtitutionem, per quam Bernoullius ex *profundioribus ſuis, neſcis quibus*, deduxit æquationem $FO \times \Delta RO = \Phi\omega \times \Delta\varrho\omega$. Ridendo res non conficitur, debebas monſtrare falſitatem hujus æquationis; ego ringente invidia ſuſtineo æquationem eſſe bonam, atque ex præmiſſis ratiociniis (quæ tu per jocum profundiora vocitas) legitime deductam; ſi contrarium ſentis, tuum eſt, non per riſum ſed per argumenta ſolida demonſtrare, aut latere vitium in præmiſſis illis aut concluſionem inde non legitime eſſe petitam; utrumvis præſtiteris, magnus nobis eris Apollo: ſin ridere tantum perrexeris, reſpondeat Phædrus, in quo forſan legiſti ſequentia:

Plerumque ſtulti, riſum dum captant levem,
Gravi diſtringunt alios contumelia,
Et ſibi nocivum concitant periculum.

Præterea tibi diſplicet æquationis inventæ $FO \times \Delta RO = \Phi\omega \times \Delta\varrho\omega$ transformatio in hanc $FO \times \Delta PF = \Phi\omega \times \Delta\pi\Phi$; quia PF cum ſit minor quam RO, & $\pi\Phi$ major quam $\varrho\omega$, hinc ut putas impoſſibilitas ſequatur. Fateor equidem ſi PF & RO, nec non $\pi\Phi$ & $\varrho\omega$ differrent quantitate aſſignabili, hoc eſt, ſi differentiæ cum ipſis quarum ſunt differentiæ eſſent comparabiles, transformationem fore vitioſam, ſed cum hic habeatur FO pro una particula elementari curvæ quæſitæ & $\omega\Phi$ vel $O\Phi$ pro

altera priori contigua, non video, quid impediat, quo minus *PF* pro *RO* & $\pi\varphi$ pro $\varrho\omega$ tanquam æquivalentes ſubſtitui poſſent, hoc quippe in calculo infiniteſimali praxis requirit ſolemniſſima: idque hic magis, quod puncta *F* & φ tam prope ad *O* & ω accedere conſiderari poſſint, ut *FP* & $\varphi\pi$ reapſe cum *RO* & $\varrho\omega$ confundantur. Quod ſi autem tu cenſeas, Vir Clariſſime, in hoc negotio deſcendendum eſſe a praxi conſueta; demonſtrationem tuam ſed citra riſum præſtolabimur.

Dicis porro, *parum ſcienter fingi curvaturam in F eſſe ad curvaturam in F ſicut eſt PO ad FO;* quaſi vero hæc ratio per fictionem fuiſſet aſſignata, & non potius per ipſam Analyſin ita determinata, hinc profecto non capio, quid tibi velis cum ais: *nihil in hac tota Analyſi eſſe, quod privilegium hoc vindicet puncto O potius, quam alii cuilibet puncto* ω *in arculo minimo FO*$\omega\varphi$ *ubivis ſumto. Nec curvedinem tam ridicule æſtimari.* Urges inſuper, *nimis imperite fieri* $mn = ddx$, $nl = ddy$, & $ml = \frac{dtddy}{dx}$ & poni debere $mn = \frac{1}{2}ddx$, $nl = \frac{1}{2}ddy$, & $ml = \frac{dtddy}{2dx}$. Omnes potius objectiones tuas excuſaveris quam iſtam; aut enim calculum differentialem non intelligis, aut nimio cavillandi pruritu laboras: ſi prius, *imperite* agis, alios *imperitiæ* arguendo, dum recte procedunt; ſi poſterius, næ! iterum monſtras, quam perverſo in ſitu tibi ſit jecur livido felle turgens. Quid? ſi curva inſtar polygoni infinitorum latuſculorum conſideratur, uti certe hic fit, quod ex fig. 4 patet, imo ex ipſa quoque fig. 3, ubi angulus acutiſſimus *lFm* diſerte ſumitur pro angulo curvedinis, quod non eſſet, niſi *Fm* ſumeretur pro parte prolongata latuſculi præcedentis & ipſi *Fl* contigui; audebisne ſtante hac ſuppoſitione negare $mn = ddx$, $nl = ddy$ & $ml = \frac{dtddy}{dx}$? Inquies forſan, curvam non recte conſiderari, tanquam polygonum infinite parvorum laterum; ſed quidni hoc liceat, cum ſit res meri arbitrii? ſive enim contempler curvam veluti conflatam ex infinitis lineolis rectis, ut hic fit & multis aliis occaſionibus, præſertim in rectificationibus curvarum, ſive cur-

vam

vam mihi ſiſtam tanquam ex arculis circularibus compoſitam, ſicuti facere ſolemus in illis, quæ per evolutiones generatæ concipiuntur, certe nil niſi verum inde emerget, modo cetera ex aſſumta hypotheſi recte ratiocinando procedam. Poſitis itaque principiis licitis, quis unquam recte ratiocinando peccavit, aut verum non eruit? Vellem, mi optime Taylore, ut mihi vel unicum indicares ex Geometris calculo differentiali utentibus, ſive Gallus ſit, Italusve, ſive Germanus, qui non idem mecum ſentiat, quique non dicat perperam a te carpi $mn = ddx$, $nl = ddy$ &c. provoco non ad Celeb. Wolfium aliosque Germanos, utpote tibi ſuſpectos, neque ad Cel. Hermannum, ſi quidem Helvetios Germanis annumerare volueris, ſed provoco ad inſignes viros, Varignonium, Manfredum, Riccatum, ipſumque qui veſtratibus impenſius favet Abbatem Contium, hic quippe ut & Cl. Varignonius, quod noſti & quod novimus ipſi, te jam in faciem damnarunt, cum nuper Pariſiis eſſes, reliqui damnabunt certo certius. Hoſcine ergo tu omnes cum Bernoullio noſtro *Imperitorum* phalangi aggregabis, tuque ſolus cum Keillio tuo peritiam omnem poſſides? ſed ut videas porro, quam parum *rem acu tetigeris*, mi *Taylore*, monere te volo quod tibi ipſi contradicas: laudas & approbas *regulas extantes in libro de Analyſi infinite parvorum*, interim ſecundum has ipſas regulas ſcribendum eſt $mn = ddx$, $nl = ddy$, ut ſcripſit Cl. Bernoullius, non vero $mn = \frac{1}{2}ddx$, $nl = \frac{1}{2}ddy$, ut tu ſcribis, conſule ſi lubet hujus libri art. 64 num. 1 pag. 57, quo ſpectant figuræ 48 & 49, ubi quod eſt *Kc* & *cn* id in fig. 3. Schediaſmatis Bernoulliani Comment. Paris 1706 eſt *nl* & *mn* vel viciſſim, prout *BP* aut *BG* pro axe ſumitur; invenies in fine dictæ paginæ hæc verba: *il eſt evident alors que le triangle mgk eſt ſemblable & egal au triangle MR m, & qu' ainſi* $kc = ddy$, & $cn = ddx$; Hoc præcipit regula prælaudati libri, quem non reprobas, reprobas vero $mn = ddx$, $nl = ddy$ in figura Bernoulliana, quod idem eſt ac $cn = ddx$, $kc = ddy$ in fig. libri. Vides in quem te conjiciat Labyrinthum tua aliis contradicendi libido, quod carpit *Taylorus* id laudat *Broockius*, quanta triumphandi materia?

Dicite, io Pæan! &, io, bis dicite, Pæan!

I nunc & perſuade quibusdam veſtris ſciolis, id quod dicis, nempe *peſſimum eſſe in ſolutione Bernoulliana, quod vitioſiſſimis hiſce principiis perfectiſſimam alligaverit concluſionem;* quid? ſi principia ſunt vitioſa, quo quæſo miraculo factum, ut perfectiſſima tamen concluſio ex illis deduceretur, cum ſit contra omnem probabilitatem, imo moraliter impoſſibile, tot veras concluſiones elicere, quot ſunt caſus particulares, ſi falſa eſſent principia, quibus illæ nituntur: non ſufficit paradoxum hoc aſſerere ſed incumbit tibi dilucide & diſtincte oſtendere, quomodo ex principiis licet falſis, mirabili adeo fato veritas promanaverit: deinde qui factum, ut prima illa ſolutio, quam tu omnino corruptiſſimam appellas, eleganter tamen adeo coincidat cum altera indirecta priori ſtatim ſubjuncta ex natura preſſionis liquidorum deſumta, cui tu gratiam facis, quamque ideo ſilentio tuo approbas.

Nihilo felicius tibi ceſſit, Vir conſultiſſime, captum conſilium conatusque tuus carpendi alteram directam Cl. Bernoullii ſolutionem Iſoperimetrorum editam in Act. Lipſ. Anni 1718 menſibus Jan. & Febr. Incipis criſin tuam a criminatione, qua Bernoullio imputas, eum fraternis tuisque ſolutionibus *malevolum detrahere,* fratri *prolixitatem,* tibi *obſcuritatem* objiciendo. Objecit utique Cl. Bernoullius fratri ſuo prolixitatem, tibi obſcuritatem, ſed quid inde mali? an ideo erit *malevolus detractor?* Prolixitas & obſcuritas non ſunt crimina, nihil ergo criminoſi vobis objecit; potuiſſet, fateor, de iis tacere; non tamen omnino ſine ratione fuit mentionem feciſſe fraternæ prolixitatis & Taylorianæ obſcuritatis, ut ſcilicet tanto clarius eniteret præſtantia methodi Bernoullianæ, utpote quæ cum ſit & brevis & perſpicua ab utroque iſto vitio immunis eſt: noſti proverbium, *oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcunt.* Hoc tantum quæritur, verene an falſo id dixerit Cl. Bernoullius? non putem hanc quæſtionem longa diſcusſione opus habere; quod namque ſpectat ad tuam obſcuritatem, quis amplius de ea dubitabit poſtquam legerit, quæ ſupra attulimus? De prolixitate ſolutionis Jac. Bernoullii, non eſt quod multa dicam; conferat modo qui certus eſſe volet, utriusque & Jacobi & Johannis ſolutiones, oppido deprehendet ingens earum diſcrimen ac plus forſan quam dictum eſt prolixitatis in una ac brevitatis in altera.

Ut extenues præſtantiam ſolutionis Bernoullianæ, detorques ſenſum verborum dicentis, ſe ſolviſſe *ope cujusdam principii ab uniformitatis lege, quam nemo hucusque obſervavit, petiti,* aſſingisque Bernoullio, quaſi his verbis innuere voluiſſet hanc unifor-

formitatis legem nulla unquam occaſione fuiſſe adhibitam. Si æquus fuiſſes verborum interpres, ſcire te oportuiſſet, quod verba ſint intelligenda ſecundum ſubjectam materiam nec ulterius extendenda; haud dubie lex uniformitatis nihil novi eſt, nec eſt, quod operoſe nobis probes a te quoque in libro tuo adhiberi, adhibita quippe fuit dudum antea ab ipſo Bernoullio in determinatione curvæ celerrimi deſcenſus, ſolidi, rotundi, minimæ reſiſtentiæ aliisque in occaſionibus; non itaque *lex ipſa* ſed *applicatio legis* ad præſens negotium aliquid novi continebat ex mente Cl. Bernoullii, propterea hanc applicationem vocavit *principium ab uniformitatis lege, quam nemo huc usque* (ſc. in hoc negotio) *obſervavit, petitum.*

Contendis deinde, novam hanc Joh. Bernoulli *ſolutionem eſſe meram fraternam*, nempe a Jacobo datam, ita plagii crimen quo ipſe oneratus es in Bernoullium noſtrum devolvere velles, ſed vano, ſed irrito conatu: accuſationis prætextum ex eo ſumis, quod Johannes poſt Jacobum contemplatus fuerit arculum minimum curvæ quæſitæ tanquam ex tribus lineolis elementaribus compoſitum, item quod lemmata, quamvis aliter demonſtrata, ſolutioni præmiſerit, tum & alia generalia, quibus non hic tantum, poſt Jacobum, ut tu falſo ſupponis, ſed jam olim aliis in locis ante Jacobum uſus eſt Johannes, ſi hæc faciunt, ut duæ iſtæ utriusque ſolutiones pro una eademque ſint habendæ; certe Cl. Hermannus, qui in ſua ſolutione ſimili Bernoullianæ eodem tempore edita iisdem prorſus præliminaribus uſus, Plagiarii nomen, te ita judicante, non effugiet. Interim egregio tuo ratiocinandi ſpecimine pariter conficiam, omnia quæ pro quadratura & rectificatione curvarum a Geometris recentioribus detecta ſunt, deberi Archimedi, aliisque veteribus Mathematicis, ex quorum nempe ſcriptis haud obſcure elucet, habuiſſe eos aliquem calculum infiniteſimalem, tum & conſideraſſe curvas ceu polygona infinitorum laterum, eorumque areas per ordinatas parallelas reſolviſſe in trapeziola. Quin & tota Geometria ex Elementis Euclideis propullulavit; ergo omnia noſtri temporis inventa accepta referenda ſint primis Euclideorum Inventoribus: quid itaque tandem remanebit hodiernis? Nihil.

Sed aliter cenſuerunt viri doctiſſimi, qui livoris œſtro non perciti, inventis verum ſtatuere norunt pretium. Quanti æſtimaverit Cel. Varignonius hanc quam tu depretias ſecundam Bernoullii Iſoperimetrorum meditationem, mallem ut ex ipſo inclyto viro ſciſcitareris, quam ut multis tibi referam. Audi interim Monmortium tuum, judicium ſuum de eadem ferentem: Is in

in Epiſt. ad Autorem 26 Jan. 1718 mirabundus in hæc erumpit verba: *J'ai etè charmè, enchantè de votre memoire ſur les Iſoperimetres, tout ce qui ſort de vos mains eſt parfait: je vous remercie de la bontè que vous avez eue de m'en donner communication.*

Nec minus honorifice loquitur in Epiſt. 28 Junii 1719: *Mr. Hermann m'avoit envoiè une ſolution avec l'Analyſe du probleme des Iſoperimetres, & j'en ai etè plus content, que de celle, que j'ay vu depuis (de lui) dans les journaux, c'eſt de cette ſolution peu differente dans le fond de la votre, & dans laquelle le principe de l'uniformitè eſt emploiè, que je parlois à Mr. Taylor. Quoique ſon Analyſe ſoit aſſez nette & courte, qu'il l'etende meme à d'autres problemes, je conviens ſans peine que* la votre l'emporte par ſon extreme elegance *& auſſi par le grand nombre de* tres belles applications, *que vous faites de* votre principe d'uniformitè. Vides hic Analyſin aſſertam Bernoullio noſtro, quam tu ipſi derogatam cuperes: vides agnoſci elegantiam applicationum principii uniformitatis, quod tu ex invidia tanquam nihil novi explodis. Vides denique *hanc prolem* quam maxime *dignam eſſe ſuo parente*, dignam proinde, ut tuam inſulſam Ironiam revoces; talem enim tamque dignam prolem tu nullam hucusque edidiſti in lucem, ac dubito an unquam ſis editurus.

Cum tam male tibi cedant joci, conſultius faceres ab iis abſtinere, quam iis intempeſtive indulgendo temet ipſum riſui exponere. Nam ecce! quam fatui ſint ſales tui, mi Taylore; dicis jocabundus, te *neſcire quo fato fiat, ut in hac materia de Iſoperimetris, Bernoullius Deos omnes ſemper offendat iratos*, ſed mox hujus joci oblitus & eodem fere halitu fateri cogeris: *Bernoullium favente Minerva calculum pro Iſoperimetris tandem concinnaſſe & reddidiſſe elegantiorem.* Quid agis Jocator? Habet Cl. Bernoullius faventem Minervam Deam nempe Humanitatis, Scientiarum & Artium, ſed *offendit Deos iratos*, at quales Deos? haud dubie Faunos, Silvanos, Panes & hujusmodi gentium Deos agreſtes, paluſtresque, quos tibi propitios non invidet, ſibi iratos non curat Bernoullius Minervæ dilectus. In poſterum ſi jocari geſtias, jocare cautius, ne in caput tuum recidat telum. Propero ad finem invectivæ tuæ, tametſi plurima, quæ ne in immenſum excreſcat reſponſio, intacta relinquo; vix enim lineam invenio, ubi non lateat aculeus. Tandem, ut quorundam odium excites Bernoullio noſtro, audes neſcio quo colore ipſi exprobrare, quod *primas ſibi in ſublimiori Analyſi obſtinata ambitione arroget*; accuſatio eſt falſiſſima, noſter enim nunquam

quam eo proceſſit arrogantiæ, ut ſibi *primas* deberi contenderet: etſi forſan quædam præſtiterit ab aliis pro derelictis habita, unde aliquam ſaltem ſibi palmam attribuere potuiſſet, nunquam tamen modeſtiæ limites excedens, tuo veſtrorumque nonnullorum more auram popularem captans nimium ſibi plauſit.

Veriſſimum eſt, cujus tu nunquam contrarium probabis, Cl. Joh. Bernoullium, præterquam quod cum fratre ſuo calculum differentialem ad eam quam nunc habet perfectionem perduxerit, ipſo Leibnitio paſſim fatente, hoc inſuper peregiſſe, ut calculum, quem vocavit *integralem*, proprio Marte a nemine præmonitus eruerit atque in Regulas Algorithmi, quantum rei natura tum patiebatur, redegerit, idque eo tempore, cum nondum ſciret, an & quousque Leibnitius & Newtonus hoc negotium jam antea promoviſſent. Fuit itaque ejus Inventor Bernoullius, etſi non primus; *inveniſſe autem, ingenii eſt*, inquit alicubi Walliſius veſter, *ſed primum inveniſſe, fortunæ.* Nihil tum viderat Bernoullius de ſcriptis Newtonianis nec editis nec ineditis; imo nec principia Phil. Nat. ipſi adhuc erant viſa; non eſt itaque quod glorieris, Noſtrum a veſtratibus tantillum profeciſſe: utrum alii ab ipſo profecerint, vidiſti partim ex literis quibusdam Monmortianis ſupra allegatis.

Quod in ſpecie ſpectat ad *Analyſin infinite parvorum ab Illuſtr. Hoſpitalio editam*, in dubium revocas, *an regulæ extantes in illo Libro a Bernoullio emanaverint*, proinde, *an hic ſit idoneus, qui alios docuerit regulas differentiandi differentias*: ſi tibi ſcrupulum hunc quem maligne moves tollere non poteſt ipſa Illuſtr. Editoris candida confeſſio, quamvis nonnihil generalis, contenta in præfatione, ita ſonans: *je reconnois devoir beaucoup aux lumieres de Mr. Bernoulli, ſur tout à celles du jeune preſentement Profeſſeur à Groningue, &c.* ſi hoc, inquam, tibi non ſufficit, audi Leibnitium rerum tum temporis geſtarum maxime gnarum; is in novis Reip. Liter. m. Novemb. 1706 p. 526 ſequens perhibet teſtimonium: *On le void*, inquit, *par l'ouvrage de Mr. le Marquis de l'Hoſpital, à qui Mr. Bernoulli le jeune en avoit communiquè les fondements & la matiere à Paris.* Adjungo Illuſtr. Leibnitii teſtimonio, quod forſan recuſabis, alterum ab optimo tuo amico Monmortio datum, tanto utique majoris momenti habendum, quod ſit extra omnem veriſimilitudinem, illum aliquid in præjudicium veritatis contra populares ſuos in gratiam alicujus extranei teſtari voluiſſe, adeo ut certum ſit, illum locutum eſſe ex animi ſententia, convictum de rei veritate, quam, quia ſcribebat Inventorum Mathematicorum Hiſtoriam, ſtudioſe &

ſolli-

ſollicite inveſtigaverat. In Epiſtola jam citata 26 Junii 1718 ad Cel. Bernoullium hæc habet: *je ſuis maintenant ſuffiſamment inſtruit par votre lettre*, & plus encore par la lecture que j'ai faite, il y a 13 ou 14 ans des cayers & lecons que vous avez communiqué a Mr. le Marquis de l'Hoſpital; *le Pere Reyneau en avoit un* Manuſcript bien complet, *qu'il me preta.*

Huc faciunt quæ in eadem Epiſtola interjectis aliquot paginis adducit: *J'ai vu vos lecons ſur un manuſcript non ſuſpect, vous pouvez les rendre telles pour tout le public en les faiſant imprimer avec certaines formalitez, qui otent tout ſujet de defiance & occaſion de reproche. J'admets auſſi les preuves, que nous donne Mr. Nevvton, qu'il n'a apris de Perſonne les regles de prendre les differences & d'integrer. Mais enfin etant jaloux, ſoit pour ſa gloire, ſoit pour celle de ſa Nation, de l'honneur de cette decouverte, il devoit la publier le premier, il ne ſeroit pas dans le cas, ou il ſe trouve aujourdhui, 1 de partager l'invention avec Mr. Leibnitz, 2 de voir que l'honneur d'avoir fait les plus belles, les plus difficiles & les plus importantes applications de ces nouvaux calculs vous appartient & à Mr. Votre Frere; 3 il ne ſeroit pas obligè comme il l'eſt aujourdhui, à prouver ſon droit à Gens difficiles, qui pretendent, que dire*, literis tranſpoſitis *qu'on ſait*, fluxiones invenire & vice verſa *n'eſt pas une preuve aſſurée, qu'on le ſache.*

Quæ ſequuntur excerpta ex literis Monmortii ad Noſtrum datis 28 Octobr. 1718, rei de qua dubitas veritatem ſpecialius probant, quandoquidem demonſtrant Illuſtr. Hoſpitalium confeſſum eſſe ſe illas lectiones habere: *C'eſt d'un ami*, inquit Monmortius, *qui etoit à Paris avec vous & qui copioit vos lecons pour Mr. de l'Hoſpital que le Pere Reyneau a tirè ſon Manuſcript dont j'ai bien remarquè quelques petis lambeaux dans ſon livre* Analyſe demontrée. *Le Pere Bizance en avoit auſſi un, comme je preſſois Mr. le M. de l'Hoſpital de me le preter, il me donna une lettre pour le Pere Bizance, par laquelle il le prioit de me preter le ſien, mais apparement le mot etoit donnè pour n'en rien faire, car je ne l'eus point: le P. Reyneau me preta le ſien environ un an apres.*

Viri hoc loco nominati ſunt, ni fallor, adhuc in vivis, tuum erit ſi ulteriorem deſideras confirmationem illos compellare; veritati non renuent teſtimonium. Verum lectiones illæ in uſum Hoſpitalii Pariſiis conſcriptæ, quamvis copioſæ, minimam tamen conſtituunt partem eorum, quæ Noſter in Patriam redux & poſtmodum in Belgium translatus eidem ſuppeditavit durante longo commercii epiſtolici tempore. Nunquam finirem, ſi omnia

omnia in rei fidem afferre vellem documenta ex ipſis Literis Hoſpitalianis deſumta; pauca tantum inſtar omnium ſufficiant. In Epiſtola ad Cl. Bernoullium 8 Decembr. 1692, *Vous voiez, Monſieur,* inquit, *que je continue à vous prier de m'inſtruire, & que je me ſers de la libertè, que vous m'avez donnée ladeſſus.* Ibidem ſequentia leguntur: *je voudrois bien auſſi que vous m'envoiaſſiez une methode generale, pour reſoudre les problemes tels que celuici, ſoit donnée une demie Ellipſe quelconque* AMB, *dont les demi axes ſont (données de poſition) & ſuppoſant qu'il y ait une infinitè de Paraboles qui paſſent toutes par le point* A, *& dont les ſommets des axes ſoient dans la demie Ellipſe, il faut trouver la ligne qui les touche toutes. Au lieu d'une Ellipſe & des Paraboles on porroit ſuppoſer d'autres lignes à l'infini. Ce probleme me paroit avoir quelque rapport à ce que dit Mr. Leibnitz dans les Actes de Leipſic du mois d'Avril de cette annee.* Generalis hujus problematis ſolutio, quam Bernoullius petenti transmiſit, conſpicitur in *Analyſi infinite parvorum* pag. 131 & ſeqq

Epiſtola Hoſpital. 2 Jan. 1693 inter multa alia hæc continet: *Je voudrois bien ſavoir comment vous etes parvenu à cette conſtruction. Je vous prie de m'envoier la maniere dont Mr. Votre Frere trouve une ſuite infinie egale à la ſoutendente d'un arc de cercle donnè. Vous me ferez tout à fait plaiſir de m'envoier la conſtruction des courbes que vous me marquez. Je ne deſeſpere pas, que vous ne mettiez dans la perfection la methode des tangentes inverſe & que vous ne reſolviez enfin par ſon moien la courbe de deſcente de Mr. Leibnitz. Vous voulez bien, que je me ſerve de la libertè, que vous m'avez donnée, en vous priant de penſer à votre loiſir aux queſtions ſuivantes &c.* Per curvam deſcenſus Leibnitianam intelligit illam quæ alias vocatur *Iſochrona Paracentrica*, cujus ſolutionem & conſtructionem invenies in Actis Lipſ. 1694 m. Octob. Quæſtiones quarum ſolutiones deſiderat Illuſtr. Hoſpitalius extant ſolutæ in *Anal. infin. parv. p. 139 & ſeqq.* usque ad finem Sectionis VIII.

In Epiſtola, quæ præcedentem immediate ſequitur, 20 Febr. 1693 leguntur hæc verba: „Vous avez tresbien reſolu tous les „problemes, que je vous propoſois, & meme au dela de mon at„tente, ce n'eſt pas que je ne ſois perſuadè que vous étes capa„ble de choſes bien plus difficiles, mais j'avois peur que la lon„guer du calcul ne vous ennuyaſt. - - - - Je trouve dans vo„tre lettre deux choſes nouvelles, qui me paroiſſent tres bien „imaginées. L'une eſt la ſolution de la courbe Leibnitienne „$addx=dy^2$ - - - - l'autre conſiſte dans l'application de la

„regle de l'inverſe des tangentes pour conſtruire l'equation „differentielle $axxdy = byydx + cxxdx$. - - - - Je n'oſerois „vous rien demander de votre nouvelle eſpece de calcul (in„telligit calculum percurrentium ſeu exponentialium, cujus „Principia in Actis Lipſ. 1697 m. Mart. ſunt tradita) j'eſpere „cependent être des premiers à qui vous la communiquerez.

2 Sept. 1693 petuntur a Cl. Bernoullio trium ſequentium Problematum ſolutiones „Je demande comment vous „avez trouvè la conſtruction des tangentes des courbes des cha„louppes que Mr. Varignon m'a communiquée & vous vou„lez bien que je vous propoſe auſſi en meme temps de trouver „les tangentes des courbes que decrivent les points moiens en„tre les chalouppes. Je vous avoue, *que je ne* me ſuis pas fort „appliquè à reſoudre l'equation $\frac{\sqrt{2a^3x - x^4} - a\sqrt[3]{aax}}{a - \sqrt[4]{ax^3}} = y$, lors„que $x = a$: car ne voiant point de jour pour y reuſſir, puis„que toutes les ſolutions, qui ſe preſentent d'abord, ne ſont pas „exactes, je n'ay pas voulu y perdre de temps inutilement, & „j'aime mieux l'apprendre de vous, quand vous m'en voudrez „faire part.„ Poſtquam longo tempore, crebrisque literis ſollicitaſſet horum ſolutiones, tandem inſtanter ſollicitanti eas communicavit; primi problematis ſolutionem ſiſtit Propoſ. 16 Sectionis II *Anal. inf. parv.* Alterum ſolutum habetur ibidem Propoſ. 11 Sect. ejusdem; tertium autem ſolutionem ſuam ſortitur Propoſ. 1 Sectionis IX.

D. 19 Febr. 1695 proponitur quæſtio varias partes complectens: „Voici maintenant une queſtion ſur la quelle je vous „prie de me ſatisfaire: Je demande la maniere de determiner „les points de la plus grande largeur d'une roulette decrite „par la revolution d'un cercle ſur un autre cercle, & cela ſoit „que le point decrivant ſe trouve ſur la circonference du cer„cle mobile ou au dehors, ou au dedans. Je demande auſſi „lorsqu'il ſe trouve en dedans la maniere de determiner le „point d'inflexion.

Horum

Horum a Cel. Bernoullio datas enodationes invenies in *Anal. inf. parv.* Prop. 3 & 4 Sect. IX. Ad quas reſpondit Illuſtr. Hoſpitalius 16 Apr. ejuſdem anni hunc in modum: „Votre „maniere pour trouver les points d'inflexion (dans les roulet„tes) eſt tres ingenieuſe & j'en ſuis tout à fait content, il eſt „facile de trouver en la ſuivant la valeur du raion de la de„veloppée de la roulette, mais je voudrois ſavoir, quelle figu„re peuvent avoir ces developpées dans les deux cas, ſavoir, „lorsque le point decrivant eſt hors, ou au dedans de la cir„conference; je ſouhaiterois auſſi, que vous m'envoiaſſiez la „quadrature de ces roulettes.

Quadraturam iſtam deſideratam exhibet propoſitio ultima Sect. IX.

Innumera alia prætereo, ne tibi, Cl. Taylore, qui ad Cel. Bernoullii laudes tabeſcis, nimium creent faſtidium. At vero ſi hæc omnia nondum tibi extorquent confeſſionem, quod Cl. Bernoullius noſter ſit maxime *idoneus qui alios docuerit regulas differentiandi differentias*, legendam & examinandam tibi commendamus illius Analyſin adhibitam pro ſolutione problematis de curva projectilium in aere reſiſtente in quacunque multiplicata ratione velocitatum, cujus ſolutionem provocatus a Keillio veſtro dedit Bernoullius in Actis Lipſ. 1719 m. Maj. ipſe dum Keillius ſuæ ſolvendæ quæſtioni impar fuit, quem ideo & tu, mi Taylore, pro miſero Analyſta habes, teſtibus literis quibusdam Monmortii ad Bernoullium filium datis d. 28 Oct. 1718, ubi inter alia tuum perſcribitur teſtimonium de fidiſſimo tuo Keillio his verbis: „Voici ce que m'ecrit Mr. Taylor: „*J'attendrai jusqu' apres demain à ecrire à Mr. Keill & vous „pouvez avertir Mr. Bernoulli de ce retard, qui peutetre l'en„gagera à allonger encore le terme, qu' il à donné à Mr. Keill.* „Tout ceci eſt en Anglois, & il ajoute ces deux mots *c'eſt pour „rire;* (quid hic ridendum ſit neſcio) enſuite recommençant „ſon Anglois il ajoute: *Entre nous, je ſuis un peu de l'avis de „Mr. Bernoulli que Mr. Keill is better qualified for a Cham„pion, than for an Analyſte, eſt plus hardi champion qu'il „n'eſt bon Analyſte.* Dans une autre de ſes lettres il blame

„Mr. Keill de ſon peu d'equité &c. montrez s'il vous plait, ce „dernier article à Monſ. votre Pere il eſt pour lui. Lege, inquam, ſequentem Analyſin Bernoullianam, quam ſiſtimus loco ſpeciminis concatenatæ operationis per differentialia ulteriorum graduum; judicandum poſtea tibi & aliis relinquimus, annon Autor ſit idoneus, qui alios docuerit regulas differentiandi differentias. Nunc quidem mente & corpore vale.

JOH. BERNOULLI OPERATIO ANALYtica per quam deducta eſt ejusdem ſolutio, quæ extat in Actis Lipſ. 1719 m. Maji, Problematis de invenienda Curva, quæ deſcribitur a projectili gravi in medio reſiſtente.

Excerpta ex illius Epiſtola ad Illuſtr. Monmortium d. 13 Julii 1719.

ANalyſin hanc, cum transmitteret Bernoullius deſideranti Monmortio, his uſus eſt verbis: *Voici, Monſieur, mon analyſe, que vous m'avez demandée, pour la ſolution du probleme de Mr. Keill, pris dans un ſens general. Vous aurez la bonté de la communiquer auſſi à Mr. Varignon qui la ſouhaite. Vous verrez, que toute ceſte analyſe n'eſt qu'une chaine d'egalités deduites de la formule generale pour la determination des reſiſtances, que j'ai donnée dans les journaux de Leipſic de 1713 p. 118 & 119.*

Problema.

Invenire & conſtruere curvam, quam corpus uniformiter grave, & cujus directio gravitatis ſit ad horizontem perpendicularis, deſcribit in medio uniformiter denſo: ſuppoſita reſiſtentia in quacunque multiplicata ratione velocitatis, cujus exponens ſit $2n$.

Solutio.

Vid. Fig. III Tab. I Act. Lipſ. 1713.

Sit *LC* curva quæſita, vertex *L*, abſciſſa $LR = x$, applicata $RC = y$, arcus $LC = r$, reſiſtentia in puncto $C = R =$ [per hyp. &

& quia velocitas in C eſt in ſubduplicata ratione coradii CG, ut demonſtravi p. 117 §. 37] CG^n, gravitas G quæ uniformis eſt ponatur $=c^n$; Formula reſiſtentiæ, quæ habetur p. 118 & 119 $R=G(2Cb-dCG):\mp 2Cc$, mutatur ob medii denſitatem uniformem, in hanc $CG^n=c^n(2Cb-dCG):\mp 2Cc$; adeoque $\mp 2Cc=c^n(2Cb-dCG):CG^n=$[ob $dCG=FG-Cb$, ac proin $Cb=FG-dCG$] $c^n(2FG-3dCG):CG^n=\frac{c^n}{CG^{n-1}}\left(\frac{2FG}{CG}-\frac{3dCG}{CG}\right)=$ [ob Fig. $CG::Oo.CO$] $\frac{c^n}{CG^{n-1}}\left(\frac{2Oo}{CO}-\frac{3dCG}{CG}\right)=$ [quia Oo eſt differentiale ipſius CO] $\frac{c^n}{CG^{n-1}}\left(\frac{2dCO}{CO}-\frac{3dCG}{CG}\right)=$ [quoniam differentiale quantitatis cujusvis diviſum per eandem dat differentiale logarithmi quantitatis ejusdem] $\frac{c^n}{CG^{n-1}}(2dlCO-3dlCG)=$ [quia per naturam logarithmorum $lCO-lCG=\log.\frac{CO}{CG}$] $\frac{c^n}{CG^{n-1}}\left(2dl\frac{CO}{CG}-dlCG\right)=$ [ob $CO.CG::Cc.bc$] $\frac{c^n}{CG^{n-1}}\left(2dl\frac{Cc}{bc}-dlCG\right)=$ [ſubſtitutis pro $Cc, bc. CG$, ipſorum valoribus, ſupponendo dy conſtantem] $\frac{c^n}{CG^{n-1}}\left(2dl\frac{dr}{dy}-dl\frac{dr^2}{ddx}\right)=\frac{c^n\,ddx^{n-1}}{dr^{2n-2}}\left(2dl\frac{dr}{dy}-dl\frac{dr^2}{ddx}\right)=$ [quia $l\frac{dr}{dy}=ldr-ldy$] $\frac{c^n ddx^{n-1}}{dr^{2n-2}}(2\,dldr-2\,dldy-2dldr+dlddx)=$ [ob dy conſtans adeoque $dldy=0$] $\frac{c^n ddx^{n-1}}{dr^{2n-2}}\times dlddx=$[per naturam different. logarith.] $\frac{c^n ddx^{n-1}}{dr^{2n-2}}\times\frac{d^3x}{ddx}=\frac{c^n ddx^{n-2}}{dr^{2n-2}}\times d^3x.$ Æquando itaque primum cum ultimo, habebimus $\mp 2Cc$ hoc eſt $\mp 2dr=\frac{c^n ddx^{n-2}}{dr^{2n-2}}\times d^3x$, vel [multiplicando utrumque per $dr^{2n-2}ddx$] $\mp 2dr^{2n-1}ddx=c^n ddx^{n-1}d^3x.$ Sit nunc $dx=\frac{zdy}{a}$, proinde $dr=dy\surd(aa+zz)$: a, qui-

a, quibus in priori æquationis membro ſurrogatis oritur $\mp \frac{2\,dy^{2n}}{a^{2n}}(aa+zz)^{\frac{2n-1}{2}} \times dz = c^n ddx^{n-1} d^3x$; Integretur jam æquatio, ponendo $\int (aa+zz)^{\frac{2n-1}{2}} \times dz = Z$, & habebitur, ob dy conſtans, $\mp \frac{2dy^{2n}}{a^{2n}} \times Z = \frac{1}{n} c^n ddx^n =$ [ſubſtituto valore $\frac{dzdy}{a}$ pro ddx] $\frac{1}{n} c^n \times \frac{dz^n dy^n}{a^n}$: Dividendo per $\frac{dy^n}{na^n}$, erit $\mp \frac{2ndy^n}{a^n} \times Z = c^n dz^n$, extracta radice exponentis n, provenit $\frac{dy}{a} \times (\mp 2nZ)^{\frac{1}{n}} = cdz$, unde $dy = acdz : (\mp 2nZ)^{\frac{1}{n}} = acdz \times (\mp 2nZ)^{-\frac{1}{n}}$, atque integrando emergit tandem $y = ac\int dz \times (\mp 2nZ)^{-\frac{1}{n}}$. Quia vero $dx = \frac{zdy}{a} = czdz \times (\mp 2nZ)^{-\frac{1}{n}}$, erit quoque $x = c\int zdz \times (\mp 2nZ)^{-\frac{1}{n}}$; Datis igitur y & x per z, ſaltem per quadraturas, dantur coordinatæ curvæ quæſitæ: ipſa proin curva conſtrui poteſt. Q. E. F.

Scholium.

Diviſis valoribus coordinatarum y & x per communem conſtantem $c \times (\mp 2n)^{-\frac{1}{n}}$ prodibunt coordinatæ ſimplicius expreſſæ pro curva eandem cum optata naturam habente, nimirum $y = a\int dz \times Z^{-\frac{1}{n}}$, & $x = \int zdz \times Z^{-\frac{1}{n}}$.

Coroll.

Hinc patet curvæ ſubtangentem eſſe $= yz : a$, eſt enim $dy . dx :: adz \times Z^{-\frac{1}{n}} . zdz \times Z^{-\frac{1}{n}} :: a . z$.

ELIÆ

ELIÆ CAMERARII, MED. DOCT ET PROfeſſ. Publ. Ord. Tubing. Conſil. & Archiatr. VVirtemb. Acad. N. C. Hector. III, Syſtema Cautelarum Medicarum circa præcognita, parteſque ſingulas artis ſaluberrimæ, diſcentium commodo methodo eclectica concinnatum.

Francof. ad Mœnum, in officina libraria Mulziana, 1721, 4. Alph. 3 plag. 17.

ARdua omnino res eſt atque difficultatis plena, Medicinam docere, ac præcepta artis tam ſalutaris inſtillare diſcentibus, hiſce quidem temporibus, quibus qualeſcunque promiſcue recipiuntur hypotheſes, quæ tamen ab aliis eadem facilitate exploduntur. Obſoleta enim nunc ſunt ſcholaſtica, Sylviana, Carteſiana, Helmontiana, Chymica principia, pro quorum conſervatione, tanquam pro aris & focis dimicandum eſſe, ſibi perſuaſerunt haud pauci. Et quæ, quæſo, Medicinæ Mechanicæ prædicenda ſunt fata, cum multi non ſine pompa ad Mechanicam provocent, qui vel prima ejus elementa quam profundiſſime ignorant? Hæc perpendens Clariſſimus Camerarius, quem in Actorum noſtrorum Supplem. VI pag. 163, Eclecticæ Medicinæ ac Phyſicæ ſpecimina recenſentes, alibique commendavimus, præſtare dicit in Præfatione harum Cautelarum Medicarum, viam tenere Eclecticam, tyroneſque ita ad penetralia artis introducere, ut per omnia iſthæc atria penetrantes ea retineant, quæ laudem calculumque merentur, ipſumque Hygieines palatium tandem occupant, omnibus iſtis exornatum, ut, neceſſitate uſuque exigente, ea valeant ſeligere, & depromere ex farragine ſelecta principia ac præſidia, quæ ſolida ſint, a partium ſtudio aliena, atque in ipſa rerum natura firmiter fundata, non habita ratione vel autoritatis, vel opinionis, aut aliorum præjudiciorum. Cumque illuſtrem Jureconſultum ac Status Regii Miniſtrum, D. Thomaſium probare hanc methodum, ac Cautelas circa Jus Civile Studioſis Jurium ſuppeditaſſe obſervaſſet, imitari celeberrimum hunc Virum, ac Medicinæ Studioſis Cautelas nonnullas

ad

ad omnes artis hujus partes juxta ea, quæ in publicis tradidit Lectionibus, ſubminiſtrare anniſus eſt, quæ ipſis poſſint eſſe ſpeciminis loco, quo uti queant in legendis conciliandisque tam variis Medicorum ſcriptis atque hypotheſibus. Exhibet igitur in hoc tractatu ad exemplum jam laudati Thomaſii Cautelas circa conceptum veræ eruditionis & ſapientiæ in genere, circa media perveniendi ad ſapientiam, circa conceptum Medicinæ in ſpecie, circa præcognita illi ex linguis ac Philoſophia ſubſtruenda, & circa Botanicam, Materiam Medicam, Chymiam, ac Anatomiam ſpectantia; circa Phyſiologiam, Pathologiam, Semioticam, Diæteticen, ac Therapevticen; circa obſervationes adhibendas; circa partum naturalem ac violentum, ſeu artem obſtetriciam; circa Chirurgiam; circa Medicinam Forenſem; ac circa Anatomiam Practicam. Specimina aliquot hujus operis exhibere eo magis dubitamus, quo certiores ſumus, Lectorem Benevolum, librum ipſum evoluturum, haud exiguum fructum exinde reportaturum eſſe. Hoc ſolummodo monemus, Clariſſimum Autorem in Cautelis circa obſervationes adhibendis Clariſſimi Stahlii Obſervationes Luculentas, peculiari Diſſertatione exhibitas, exempli loco commendare diſcentibus, ac illuſtrare, ut eadem methodo circumſpecte utantur in formandis commodo ſuo obſervationibus, ſeu regulis artis, quas ſibi ex phænomenis non ſine cura attendendis conferendisque mente efformant, ne ſibi talia fabricent præcepta practica, quæ, cum axiomatum certitudinem præ ſe ferre videantur, errores potius ac præjudicatas opiniones contineant, ægris funeſtas, aut ſaltem minus utiles ac proficuas; porro in Cautelis circa partum naturalem & violentum Lagerii de Govey & Domini Peu placita examinare, eaque vel confirmare vel in dubium vocare; eidemque methodo inſiſtere, quando in Cautelis circa Chirurgiam Dionyſii ſcripta pro exemplo ponit; circa Medicinam Forenſem Pauli Zacchiæ Quæſtiones Medico-Legales, Pauli Ammani Irenicum Numæ Pompilii cum Hippocrate, & Michaelis Bernhardi Valentini Pandectas Novellasque ſub examen vocat; ac denique circa Anatomiam Practicam Theophili Boneti ſepulchretum in ſcenam producit.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Junii Anno MDCCXXI.

BIBLIOTHECA UFFENBACHIANA MSSTA, ſeu Catalogus & Recenſio MSStorum Codicum, qui in Bibliotheca ZACHARIÆ CONRADI AB UFFENBACH Trajecti ad Mœnum adſervantur, & in varias claſſes diſtinguuntur. Quarum priores JO. HENRICUS MAJUS, fil. recenſuit; reliquas Poſſeſſor ipſe digeſſit, qui omnem etiam hanc ſupellectilem Literariam ſuam ad uſus publicos offert.

Halæ Hermundurorum, impenſis Novi Bibliopolii, 1720, fol. Alphab. 1 plag. 12.

VIr omni laude major, Zacharias Conradus ab Uffenbach, Bibliothecam ſuam MSStam magna cura & diligentia, magnis etiam ſumptibus conquiſitam publicis Eruditorum uſibus denuo offert. Pauca diximus his verbis, ſed multa, ſi quis animum Generoſiſſimi Viri probe habeat cognitum. Eum enim nunquam verba dediſſe, ſed ſerio & ſevero rem literariam juvandi ſtudio cimelia ſua, qua ille egregia eſt liberalitate, orbi erudito exhibere, uti hoc opus ipſum, ſic doctiſſima poſſeſſoris præfatio teſtatur. Non autem nude obtulit ſupellectilem ſuam, nec indices tantum librorum ſuorum confecit; ſed plenam dedit recenſionem, & vel per ſe ipſe, vel per Virum Summe Reverendum Jo. Henr. Majum, ſibi amiciſſimum, latius ſubinde propoſuit, quæ Codicum ſuorum ſit conditio, quæ argumenta, quis valor & id genus alia, qualis etiam publicarum

Bibliothecarum recenſio non ſine fructu eſſe poſſet. Eo autem rem ut arduam variique laboris plenam ita gratiſſimam viris doctis perfecerunt Duumviri iſti celeberrimi: dum nunc tanto facilius atque citius perſpicere quisque poterit, quæ a magno iſto literarum Patrono expetere debeat, ſi qua parte diſciplinas juvare remque literariam augere voluerit. Conditiones ſaltem quasdam atque leges uſuris hac Bibliotheca poſuit Generoſiſſimus Poſſeſſor. I *Omnia in publicos, nil vero privatos ad uſus expetantur, bona etiam fide adhibeantur ac transferantur.* II *Authentica vel MSSti Codices ipſi ne deſiderentur.* III *Nullum Scriptum edatur ſine Bibliothecæ, e qua ſubminiſtrantur, mentione.* Quarum legum rationes ipſe ſimul ſuppeditavit, atque ab omni mala interpretatione optime defendit. Libentiſſime vero illis ſeſe ſubjicient, quibus liberalis ineſt animus atque candor eruditum hominem decens & illuſtri huic Uffenbachiano candori reſpondens, quem piaculum eſſet deludere. Nobis autem non licet hoc loco in laudes viri de literis meritiſſimi excurrere, quas tamen neque ſera poſteritas ſilebit, ubi cognoverit, quantum ſit, præclara monumenta ab interitu vindicaſſe. Neque tamen impetrare a nobis poſſumus, quin publico nomine gratias agamus Viro liberaliſſimo, cujus voluntati ſinceræ ut ſemper optatus eventus procedat, precamur.

Quod ad ipſum hunc celeberrimæ Bibliothecæ Catalogum attinet, notum erit, jam olim ſchema aliquod ejusdem publicatum eſſe. Decem nunc partibus conſtat, quarum tres priores Codices Ebraicos, Rabbinicos & Græcos una cum reliquis Orientalibus enumerant. Illos recenſuit laudatus ille Majus, ita quidem, ut non tantum ordine quemque ſuo locaret, & Biblicos Exegetici, hos Liturgici & deinceps Dogmatici, Polemici, Rituales, Kabbaliſtici, Miſcellanei denique & Appendix diverſi argumenti librorum (quos tamen Præfatione utiliter ad ſuas claſſes revocavit) exciperent; ſed & ſingula voluminum cum cura perlegerit, folia & columnas, argumenta, ætatem inſuper vel ex certis indiciis vel conjectura appoſuerit, ſpecimina, laxiora interdum, inſeruerit, ineditis doctas etiam anota-

notationes adjecerit, & prorſus nihil omiſerit, quod ad notitiam Codicum aut judicium de iisdem quoque modo facere poſſet. Ita cum Ebraicis, Rabbinicis & Græcis egit S. R. Majus. Reliquos autem Orientales recenſuit breviter maximam partem *Carolus Dadichi*, natione Syrus, patria Antiochenus, religione Græcus, Arabicæ & Turcicæ linguæ peritiſſimus. At partes ſeptem poſteriores, quibus diverſarum linguarum, argumentorum, & ætatum Codices comprehenduntur, Generoſiſſimus Poſſeſſor ipſe recenſuit. *Parte* quidem *Quarta* occurrunt libri veteres Latini, Germanici, aliarumque linguarum, editi & inediti. *Parte Quinta*, qui ad Theologiam; *Parte Sexta*, qui ad Jus Civile; *Parte Septima*, qui ad Medicinam; *Parte Octava*, qui ad Phyſicam & Chymiam; *Parte Nona*, qui ad Philoſophiam & Matheſin; *Partis Decimæ* duabus Sectionibus, qui ad Politicam, Jus Publicum ac Feudale ſpectant. Recentiores quidem omnes, ſed rari, utplurimum, & nondum editi. Quos ita Vir Generoſiſſimus tractavit, ut plerorumque indices, argumenta, capitum etiam elenchum & lemmata annotaret. Diplomata autem præſertim, ac alia talia monumenta ſumma fide excerpſit & cum cura enarravit: quo bonam gratiam apud ſolertes Antiquitatis ruſpatores ſeſe initurum eſſe, non vane auguratus eſt. Si vero quis miretur, cur Hiſtoricorum nulla hoc in Catalogo fiat mentio, quorum tamen bene magnam copiam doctiſſimo ab Uffenbach ſuppetere, cognitum diu eſt: illum monuit Vir doctiſſimus, eos omnes alteri Tomo reſervari, ut qui maximam ejus (nam & alii, qui, dum hic Tomus ſub prelo ſudaret, acceſſerunt, & qui non faciles inventu ſunt, Appendicis loco addentur) ac præſtantiſſimam totius operis partem efficiant. Sed etiam in hoc Tomo præſtantes ſatis Codices videre licet. Parte I col. 6 recenſetur Codex membranaceus hymnos Davidis omnes continens, & in tot partes diviſus, quot dies ſunt hebdomadis: quia pii inter Judæos intra ſeptem dies Pſalterium legendo abſolvere conſueverunt. Orationem illi præmiſſam vere Judaicam inſeruit Cl. Majus & notis quibusdam ſtipavit. Col. 41 ex antiquo Codice *Canonum Ethicorum* a Maimonide conſcriptorum varias lectiones adſcripſit, quæ editis manifeſto ſæpe præ-

ſtant easque haud raro ſupplent. Col. 135 Carmen in memoriam feſtorum dierum Purim elegantiſſimum ſubjecit, ut col. 146 miſcellanea quædam contra Chriſtianorum fidem & explicationem quorundam ſacri Codicis locorum militantia; & col. 251 Kalendarium Judaicum nil niſi malitiam & calumniandi ſtudium ſpirans, quod Cl. Majus bene oſtendit col. 300. Et talia multo plura hic inſerta legi poſſunt. Sic in Græcis Parte II col. 481 Jo. Geometræ duo carmina ſacra de Ægyptiorum ſubmerſione & Oda B. Mariæ Virginis; & col. 491 inſigne ſpecimen cum ſignorum Muſicorum, tum hymnorum eccleſiæ Græcæ uſitatorum; & col. 498 Liturgia S. Baſilii ab edita diverſa inſerta ſunt. Col. vero 539 Codicis, qui cerimonias in aula & eccleſia Conſtantinopolitana, nec non in expeditionibus bellicis & ludis publicis obſervandas ſiſtit, qui forte in orbe unicus eſt, capita omnia enarravit: quod ante eum partim fecit V. C. Jo. Alb. Fabricius Vol. VI Biblioth. Græc. p. 623, cui tranſmiſerat excerpta Cl. Uffenbachius. Sed col. 565 integrum codicem cum verſione & notis ſeſe editurum memorat Cl. Majus. Col. 589 tres Orationes Himerii Sophiſtæ, quarum fragmenta ſervavit Photius, integræ exhibentur, & col. 655 incerti Autoris Hiſtoria Trojana. Nec minoris pretii ſunt, qui reliquis partibus recenſentur: ut Parte IV col. 36 Martyrologium quoddam immenſæ magnitudinis; col. 45 Euſebii Cæſarienſis Hiſtoria Eccleſiaſtica ex verſione Ruffini; col. 63 Codex chartaceus Sec. XIV ſcriptus, qui comprehendit vetera Jura Germaniæ, cujus præſtantia vel ex hoc loco ſubminiſtratis excerptis ſatis apparet; col. 133 Martini Poloni Chronicon optimæ notæ, ex quo Petrina & ceteræ editiones multum emendari poſſunt, ut aſſerit Generoſiſſimus Poſſeſſor; col. 249 Codex, cui titulus *Schachzabel* h. e. Ludus Scacchorum. Continet vere ſub hujus Ludi regulis varias parabolas, Hiſtorias ac præcepta Politico-Moralia, e libello Latino Jacobi de Theſſalia ab anonymo deſumta ac rhythmis facetis germanicis deſcripta ſeculi decimi quarti initio. Parte V inter Theologica D. Lutheri, P. Melanchthonis aliorumque coævorum Epiſtolæ, aliaque opuſcula memorantur, in quibus etiam col. 275 *de Hecyra Terentii* judi-

judicium Lutheri. Col. 330 Caſp. Barthii Corona animæ converſæ ex floſculis gratioſæ gratiæ divinæ 1627 ſcripta, conſtans LIII meditationibus ſacris piis admodum ac elegantibus, ipſiusque Autoris Autographum eſſe videtur; ut & aliorum quorundam celebriorum Virorum Meditationes, Epiſtolæ, Sermones ſacri & quæ ſunt alia. Parte VI plurima laudantur Jura ſtatutaria, generalia, quæ vocant, conſuetudines; item conſultationes & reſponſa, ut & libri quidam JCtorum ἀνέκδοτοι & ſimilia: quæ etiam de reliquis partibus, pro ſuis quibusque argumentis dicta ſunto. Plura enim addere nunc quidem ſupervacuum foret, cum vel hunc librum plane exſcribere, vel, ſi id fieri non poſſet, talia enumerare deberemus, quæ imperfectione & ſterilitate ſua ipſi huic libro detraherent. Et fatendum eſt, id nobis accidiſſe, quod, quibus dubiæ apponuntur epulæ, accidere ſolet; uti varietate nauſeabundus ſtomachus, dum alterum ſemper præ altero placet, nihil magnopere eligit, nihil tamen rejicit; ita in tanta multitudine voluminum cum omnes arrideant aliaque alio modo blandiantur, paucos, uti debemus, præ aliis laudare tantum non impoſſibile videtur.

JOANNIS MARCKII SYLLOGE DISSERtationum Philologico-Theologicarum ad ſelectos quosdam textus Novi Teſtamenti.

Roterodami, apud Nicolaum Topyn, 1721, 4.
Alph. 4 pl. 19.

En novum fœtum ingenii uberrimi Cl. *Marckii*, Exegetæ Batavi toties jam in his Actis laudati. Vid. A. 1711 p. 61 & A. 1714 p. 159. Poſtremum ipſius opus exegeticum, quod A. 1717 p. 399 recenſuimus, hunc præferebat titulum: *Sylloge Diſſertationum Philologico-Theologicarum ad ſelectos quosdam textus Vet. Teſt.* Exhibet igitur nunc Vir Cl. ad Novum Teſt. Syllogen παράλληλον, eadem uſus methodo, quæ in ceteris ipſius ſcriptis ei placuit, quamque jam A. 1711 p. 61 deſcripſimus.

Exercitatio I contemplatur *Matth. II, 21, 22.* Scilicet Salo-

mo Tillius, Autoris nuper Collega, edita *Diſſertatione paradoxa theologico-chronologica*, quam vocavit, contenderat, ſe tandem reperiſſe verum nativitatis Chriſti tempus, aſſignans id diei 21 Octobris anni Juliani 42. Supponit enim, iter Ægyptiacum Joſephi cum Chriſto & Maria abſolutum eſſe ante finitos dies XL purificationis Mariæ ab ipſo partu numerandos: adeoque die XLI ſacra Hieroſolymis a Maria peracta eſſe, Chriſtumque ibi a Simeone agnitum, poſt Herodis mortem. Porro ſupponit, Herodis mortem incidiſſe in diem 25 Novembris ejusdem anni Juliani. Marckius igitur omnia producit Tillii argumenta, ſed copioſe deinde oſtendit, ea nec firmo niti fundamento, & manifeſto refelli poſſe ex hiſtoria Matthæi. *Exercitatio II* verſatur circa *Matth. V, 18*. Quo ex loco, ubi literæ *jota* fit mentio, cum concluſerint nonnulli, hodiernam literarum Hebraicarum formam antiquitate ſua ad ipſum Moſis ævum accedere, Cl. Autor negat, recte ſic concludi, quippe cum Chriſtus eo loco videatur Græcum *jota*, non Hebraicum, reſpexiſſe, quemadmodum Græcum reſpexit alphabetum, ſe in Apocalypſi nominans *α* & *ω*. Ceterum hac occaſione illa de antiquitate literarum Hebraicarum quæſtio uberius excutitur, allatis utrorumque argumentis, & eorum, qui pro ultima literarum Hebraicarum antiquitate propugnant, & eorum, qui multo recentiorem iis tribuunt originem, quos inter fere familiam ducit Hieronymus. Noſter cum Lightfooto ſentit, omnino literas hodiernas Hebraicas eſſe easdem, quibus uſus ſit in ſcribendo Moſes. *Exercitatio III* ejusdem loci occaſione diſputat de antiquitate vocalium & accentuum Hebraicorum. Diligenter & hic recenſentur utriusque partis argumenta, quæ Autor adeo ſpecioſa eſſe fatetur, ut, utram ſententiam amplexeris repudiesve, vix dignoſci queat. Ipſe probabile cenſet, non quidem hodiernam punctationem totam eſſe ultimæ antiquitatis, ſed tamen non nihil vocalium jam olim additum fuiſſe literis, deinceps vero ſenſim adjecta fuiſſe accentualia puncta, itemque recentiores aliquot vocalium notas, per quas tamen lectio olim recepta neutiquam ſit mutata. Unde tandem concludit, ab hodierna lectione non temere eſſe recedendum, nec

tamen

tamen nimis ſuperſtitioſe damnandam eſſe in univerſum omnem punctationis mutationem, exigente neceſſitate a viris ſobrie doctis nonnunquam factam. *Exercit. IV* ad *Matth. XIII, 3-52* initio exponit Autor naturam parabolarum, docetque, quibus cauſis permotus Chriſtus iis fuerit uſus, factum id potiſſimum eſſe putans ex juſto judicio in auditores reprobos & induratos. Hinc ſeptem iſto capite propoſitas fabulas luculenter illuſtrat. Ad ultimum examinat Coccejanorum rationem, ſeptem has parabolas ita interpretantium, ut ſucceſſiva fata Eccleſiæ Chriſtianæ prophetice ibi deſcribi cenſeant. At Noſter pluribus oſtendit, illud interpretationis genus nihil ſolidi fundamenti habere, ſed meros eſſe luſus ingeniorum. *Exercit. V* ad *Matth. XVI, 19* de *clavibus regni cœlorum* diſſeritur, Autore docente, non ſolis Apoſtolis, nec toti Eccleſiæ, ſed omnibus Eccleſiæ veræ paſtoribus Chriſtum iis verbis poteſtatem dediſſe ſacramenta adminiſtrandi, verbum prædicandi, eccleſiam gubernandi, impios ex Eccleſia ejiciendi. *Exerc. VI* ad *Matth. XVIII, 17, 18* ex mandato Chriſti, quod frater Eccleſiam non audiens pro ethnico ſit & publicano habendus, firmat Cl. Autor & vindicat jus cenſuræ eccleſiaſticæ. Oſtendit igitur, per *eccleſiam* hoc loco intelligi eccleſiam particularem, ejusque præpoſitos, ſive ſenatum eccleſiaſticum eccleſiam repræſentantem. Docet etiam, *habere aliquem pro ethnico* eſſe aliquem excludere e fraterna communione. Maxime contra Eraſtum diſputat, eccleſiaſticam excommunicationem ex hoc loco probari poſſe negantem. Alios denique etiam refellit, locum hunc ita interpretatos, vt poteſtas ſenatus eccleſiaſtici imminuatur. *Exerc. VII* ad *Matth. XXIV, 28* more ſuo recitat, quotquot reperire potuit explicationes, easque expendit: hinc ſuam proponit atque confirmat interpretationem, qua ſtatuit, per *cadaver* deſcribi impios homines in peccatis mortuos, per *aquilarum congregationem* ſignificari ſeveriſſimum DEI judicium, quo impii perdentur ſive in hac ſive in futura vita, adhibitis aptis inſtrumentis, qualia maxime erunt angeli mali. *Exercit. VIII* ad *Matth. XXVI, 37, 38* agit de lacrymis Chriſti ac ſudore ſanguineo, (quem ſenſu proprio accipit,) de acerbiſſimis Chriſti

ſti querelis & anxiis precibus, deque ejus corroboratione per angelum. Disquirit hinc de cauſa horum dolorum, refutatisque iis, qui putant, tantos Chriſti dolores ortos eſſe ex intuitu peccatorum ab hominibus commiſſorum, & ſimul ex intuitu pœnarum impiis ſubeundarum; item iis, qui eos inde ortos credunt, quod Chriſtus ob oculos haberet peccata populi ſui, maxime diſcipulorum ſuorum aufugientium, ipſumque abnegantium; porro iis quoque, qui ſtatuunt, inde eos eſſe ortos, quod Chriſtus contemplaretur propria mala imminentia, una cum morte dolorifica & ignominioſa; denique Lightfooto refutato, qui putabat, Diabolum Chriſto tum apparuiſſe in forma terribili, eique multum negotii faceſſiviſſe; ipſe rectius derivari docet eos dolores a conſideratione malorum ſuorum tanquam pœnæ per peccata electorum omnium promeritæ: item ex eo, quod Satanas non tantum per homines impios Chriſti corpus afflixerit, ſed & per phantaſiam interiorem Chriſti mentem vexarit graviſſime: denique ex ſenſu iræ divinæ flagrantiſſimæ. *Exercit. IX* ad *Matth. XXVI, 39-44* breviter illuſtrat ſupplicationes Chriſti Gethſemanitanas. *Exercit. X* ad *Matth. XXVII, 46* agit de exclamatione Chriſti a cruce pendentis. *Exercit. XI* ad *Lucæ XXIII, 34* expendit deprecationem Chriſti pro hoſtibus ipſum crucifigentibus. *Exercit. XII* ad *Joan. III, 3 - 10* illuſtrem illum de *aqua & ſpiritu* locum conſiderat, quid per *aquam* ibi intelligatur, non ſatis certo, ſaltim non perſpicue definiens. *Exercit. XIII* ad *Joan. VIII, 6-8* diſſerit de ſcriptione Chriſti in terra. Hic curioſe recenſentur variæ interpretum opiniones. Ipſe Cl. Autor putat, Chriſtum lineam ſimplicem duxiſſe digito, & quidem vel *obliquam & tortuoſam*, per quam notaretur accuſantium inſidioſa malitia; vel *rectam*, quæ ſignaret legis Moſaicæ regulam ab accuſatoribus adulteræ ſequendam; vel *tranſverſam*, quæ ſignificaret neceſſariam adulteræ ſeparationem; vel *circularem*, intra quam concludenda & lapidanda adultera. *Exerc. XIV* ad *Joan. XVI, 28* occaſione verborum horum expendit Eduardi Fouleri, Epiſcopi in Anglia Claudioceſtrienſis, nuper ſingulari libro defenſam ſententiam de præexiſtentia animæ Chriſti. Proferuntur hic Epiſcopi argumenta, ſimulque ſententia

tentia illa (quæ & antea Henrici Mori fuit, qui tamen præter præexiſtentiam animæ Chriſti ſtatuit omnium animarum humanarum præexiſtentiam,) refellitur partim ex Sacræ Scripturæ ſilentio, partim aliis rationibus, inter quas ſexta urget, Arianiſmum hac via reduci in Eccleſiam. *Exercit. XV* ad *Actor. XV, 10, 11* contra Socinianos contendit, per τὰς ἐκείνους hic loci non *ethnicos converſos* reſpici, ſed *patres Vet. Teſtamenti. Exercit. XVI* ad *Actor. XV, 21* oſtendit, Moſis libros jam ab antiquiſſimis inde temporibus lectos fuiſſe in ſynagogis ſingulis ſabbathis, ſimulque ſatisfacit objectionibus. *Exercit. XVII* ad *Rom. V, 14 ſqq.* diſſerit Cl. Autor de typis præſignificativis, tum legalibus, tum propheticis, tum hiſtoricis, oſtendens, non quidem rejiciendos eſſe typos in univerſum, attamen prudentiam his adhibendam, ne quis typos ex ingenio multiplicet, & cum vana ſpecie ſubtilioris ſapientiæ Scripturam ſacram ludibrio exponat, neglectis ſolidioribus theologici ſtudii partibus. *Exerc. XVIII* ad *Rom. VIII, 19-22* diſputat de creaturæ vanitati ſubjectæ ἀποκαραδοκίᾳ. Cl. Autor, adductis atque expenſis plurium ſententiis diverſis, per *creaturam* ſtatuit intelligi totam mundi viſibilis, ſuperioris & inferioris, machinam, in oppoſitione ad homines, quæ a ſervitute præſenti olim liberanda ſit, non per annihilationem, quippe quæ eſſe non queat objectum ſpei & ardentis exſpectationis, ſed per conditionis ſuæ lætiſſimam mutationem atque innovationem. *Exercit. XIX* ad *1 Corinth. V, 5* explicat, quid ſit *tradere aliquem Satanæ.* Docet Cl. Autor, agi hic de excommunicatione eccleſiaſtica, ad ordinarium miniſterium ſpectanti. Refutat etiam eos, qui intellectum hic volunt judicium apoſtolicum extraordinarium & miraculoſum. *Exercit. XX* ad *1 Corinth. XV, 5* diſputat contra Harduinum, contenditque, per *Cepham* non alium, quam Petrum Apoſtolum, deſignari. *Exercit. XXI* ad *1 Corinth. XV, 8* expenditur viſio Paulo facta ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι. Cl. Autor hic pluribus exponit quinque modos, quibus Chriſtus in humana ſua natura videri a Paulo potuerit. Cumque vulgata ſit ſententia, Paulum hic loci ſemetipſum vocare ἔκτρωμα, Noſter novam proponit conjecturam, ut ſenſus ſit, Paulum vidiſſe Chriſtum *velut in*

abortu, dum hoc modo hoſtilia ſua conſilia in Chriſti eccleſiam, quæ conceperat & quaſi impraegnatus ſecum geſtabat, per perſecutionem ea enixurus, perdiderit eodem modo, quo terrificus conſpectus ſolet a mulieribus gravidis fœtum expellere per abortum. *Exercit. XXII* ad 1 *Corinth. XV, 32* agit de θηριομαχίᾳ Pauli. Permulti eam exponentes metaphorico ſenſu capiunt de pugna Pauli cum hominibus belluina feritate ipſum aggreſſis. Sed Cl. Autor propriam defendit Apoſtoli cum beſtiis concertationem, & objectionibus aliter ſentientium ſtudioſe conatur ſatisfacere. *Exercit. XXIII* ad 1 *Corinth. XVI, 22* exponitur anathema *Maranatha* ex lingua Syriaca, illudque veroſimillime ad ultimum Chriſti adventum referri monſtratur. *Exercit. XXIV* ad 2 *Corinth. XII, 1-6* de raptu Pauli in cœlum tertium copioſe & erudite diſputatur. Tandem *Exercit. XXV* ad *Galat. IV, 24 ſqq.* de allegoria Pauli agitur. Adducuntur cum ii, qui rati ſunt, Apoſtolum ex ingenio ſuo feciſſe hanc accommodationem, tum ii, quibus a Deo & Moſe ipſo intenta fuiſſe typica illa præſignificatio viſa eſt. Utri parti accedat, non ſatis dilucide exponit Cl. Autor, oſtendit tamen, falli eos, qui hoc textu utuntur ad defendendas luxuriantis ingenii ſui allegoricas quasvis Veteris Teſtamenti interpretationes.

CONSIDERATIONS, OU RAISONNEMENT clair & ſolide ſur trois d'entre les principaux points en diſpute de l'Ecriture Sainte &c.

hoc eſt

PERSPICUA ET SOLIDA CONSIDERATIO trium difficiliorum locorum Scripturæ S. maxime controverſorum, utpote I de origine Jobi & veritate ipſius hiſtoriæ; II de 450 annis, Act. XIII, 20 commemoratis; III de Melchiſedeco, Gen. XIV, 18, it. Epiſtola de viſione Ezech. IX, 4.

Hagæ Com. apud Matth. Roguet, 1720, 8
Pl. 14½.

Non

NOn adeo abſolutum eſt ſacrarum literarum ſtudium, ut nec nova ſubinde, præſertim in locis difficilioribus, interpretatio rite ſcrutantibus in mentem veniat, nec recepta & confirmata ſatis ſententia ab inſulſis male ſanorum, & dictis Scripturæ ad opiniones ſuas erroneas confirmandas abutentium, objectionibus indies ſit vindicanda. Quapropter operam ſuam non male collocant, qui veritates nonnullas, ſingulari diſquiſitione inſtituta, tenebris, quibus vel hactenus oppreſſæ fuerunt, vel denuo immiſcentur, non minus fortiter quam ingenioſe eripere conantur. Quo nomine etiam celebrari meretur Autor harum Diſſertationum epiſtolicarum eruditiſſimus, qui duobus Scripturæ locis, ab interpretibus, eo quod ipſorum oculi ab umbris paganiſmi nondum ſatis liberati fuerint, diſputationibus ſuis magis obſcuratis quam illuſtratis, novam lucem accendere; in duobus vero aliis locis antiquam acceptamque ſententiam vindicare voluit, & fere debuit, interno & tantum non divino motu impulſus. Nos vero argumentum harum Diſſertationum pro more noſtro breviter & perſpicue tantum recenſebimus, ut peritis rerum ſacrarum cenſoribus evidenter conſtet, quid de ipſo rerum in controverſiam adductarum momento ſit judicandum.

Et *prima* quidem Diſſertatio hiſtoriam Jobi, quam Spanhemius, Serpilius, Buddeus aliique, diverſis eruditorum opinionibus in re admodum incerta ſollicite congeſtis, jam compoſuerunt, nova nec contemnenda ratione illuſtrat. Etenim eorum ſententias, qui Jobum vel ex familia Nachoris, fratris Abrahami, vel ab ipſo Abrahamo per Eſavum originem ſuam traxiſſe opinantur, Cl. Autor primum ſolide refellit, eo quod Nachoris, qui cum Abrahamo non exiit ex Vr Chaldæorum, filium natu maximum Vz, cujus Gen. XXII, 21 mentio ſit, ſedem natalem cum peregrina commutaſſe, nullo argumento probari poſſit: ab Eſavo vero qui Jobum deducunt, Geneſ. XXXVI, 28 obiter tantum inſpexiſſe, nec attendiſſe videantur, genealogiam Eſavi tantum v. 1-19, verſu 29 ſqq. autem genealogiam Seiri Horitæ deſcribi, cujus neptem ex quarto filio Hana, Ahalibamam Eſavus uxorem duxit, & cujus nepos ex ſe-

ptimo filio Diſan Vz appellatus fuit, v. 28. Cum itaque Jobum, licet in terra Vz habitaverit, ab Vz quodam deſcendiſſe probari nequeat, alia via Cl. Autor Jobi familiam indagandam, eumque in finem tria potiſſimum loca probe conſideranda duxit, Hiob. I, 3, Gen. XXV, 6 & XV, 18. Nempe ut ſummam dictorum in nervum contrahamus, omnis argumenti vis huc redit, per *filios Orientis* in ſacris literis ſolos intelligi poſteros Abrahami ex Agar & Kethura, per totam illam regionem inter fluvium Ægypti Sihor (Joſ. XIII, 3) & Euphratem ſitam & Abrahamo Gen. XV, 18 promiſſam diſperſos. Quod aſſertum Autor & ab objectionibus, quæ ex Gen. XXIX, 1 & Jud. VI, 3 formari poſſe videntur, vindicat, & ex Eſ. XI, 14, Ezech. XXV, 8, 9, 10, Jer. XLIX, 28 ulterius probat. Cum ergo Jobus dicatur *potentiſſimus Orientalium*, nullus dubitat, quin ex Abrahami progenie ſit: utrum vero ad Iſmaelitarum, an Midianitarum vel aliorum Kethuræorum familiam ſit referendus, in dubio relinquit.

Ceterum Jobum ipſum, atque adeo nec Regem Salomonem, nec Prophetam Eliam, libri Jobo inſcripti autorem eſſe, ex eo potiſſimum probat, quod nemo tantos corporis animæque dolores tam apte tamque ſignificanter exprimere potuerit, niſi qui eos ipſe ſuſtinuerit; quodque Jobus, qui tanto ſuo malo defunctus, 140 annos adhuc ſuperſtes fuit, ſumma uſus proſperitate, tentationes conſtanti firmoque animo ſuperatas, in divinæ benignitatis largiter ſibi præſtitæ gloriam, procul dubio memoriæ prodiderit; id quod cap. XIX, 23 impenſe exoptavit. Quod ſi tamen alius quispiam hiſtoriam Jobi in ea, qua ad nos pervenit, lingua conſcripſiſſe dicendus; hanc laudem Moſi vindicandam eſſe cenſet, ſive Jobum ipſum adhuc ſuperſtitem in exilio ſuo convenerit, ſive per Jethronem, qui ejusdem cum Jobo gentis fuit, ſcripta Jobi, paulo ante mortui, perluſtrandi anſam perceperit, & ipſius hiſtoriam, tanquam pretioſiſſimum eccleſiæ theſaurum, in linguam Hebræam fideliter tranſtulerit. In ſubjuncta vero epiſtola Cl. Autor totus eſt in refellenda anonymi cujusdam (quem Harduinum eſſe ſuſpicamur) ſententia; qui ex eo, quod Hiob. XI, 18 Jordanis

mentio

mentio fiat, librum Jobi longe poſt Moſis tempora conſcriptum eſſe conjecit.

In *altera* Diſſertatione epiſtolica dubium chronologicum, quod interpretes in diverſas traxit ſententias, aliis a nativitate Iſaaci ad Judices usque 447 annos, aliis ab exitu ex Ægypto ad mortem Samuelis annos 440 numerantibus, & Paulum Act. XIII, 20 numero rotundo 450 uſum eſſe contendentibus, nova felici ſidere inventa via, quam *ſa heureuſe decouverte* dicit, egregie diluit, & annos 450, a morte Joſuæ, quem terminum *a quo* ſcriptor ſacer ipſe diſerte indicat, ad Samuelem usque elapſos, in ſequenti tabula chronologica ad oculum demonſtrat:

Iſraelitæ in ſervitutem redacti fuerunt			in libertatem vindicati, pace gaviſi ſunt		
1 a Syris	Iud. III, 8 annos	8	ſub Hothniel	Iud. III 11. annos	40
2 a Moabitis	- 14	18	ſub Ehud	- 30	80
3 a Iabin	IV, 3	20	ſub Barac & Deb.	V, 31	40
4 a Madian	VI, 1	7	ſub Gideon	VIII, 28	40
5 ab Abimelech	IX, 22	3	ſub Tolah	X, 2	23
6 a Philiſtæis	X, 8	18	ſub Jair	- 3	22
7 ab iisdem	XIII, 1	40	ſub Jephta	XII, 7	6
			ſub Abeſan	- 9	7
		114	ſub Elon	- 11	10
		336	ſub Habdon	- 14	8
			ſub Samſon	XVI, 31	20
		450	ſub Heli	1 Sam. IV, 18	40
					336

Quando autem Paulus addit particulam *ὡς circiter*, fieri potuiſſe opinatur, ut præter annos in libro Judicum poſitos, dies vel menſes aliquot præterlapſi fuerint, qui facile unum vel alterum annum conficere potuerint. In fine epiſtolæ notat Auctor, ea, quæ Jud. XVI, 25, XVIII, 1, XX, 28 leguntur, non eo, quo facta ſint, ordine, ſed per ἀνακεφαλαίωσιν relata eſſe.

Quæ *tertio* loco habetur diſſertatio, eſt particula operis de doctrina Chriſtiana conſcripti, & Melchiſedeci non minus, quam Abrahami, pietatem omnis ævi fidelibus imitandam exhibet: qua occaſione ſimul diſputatur, Melchiſedecum nec eundem cum Semo, nec ipſum Chriſtum, Scriptura, ratione, & ipſis factis contradicentibus, ſed ex pagana familia ortum, atque a Deo

 excita-

excitatum fuiſſe in eorum gratiam, qui inter Jebuſitas, Chami poſteros, verum numen adorabant, ut hos ipſos in rebus terrenis Regis inſtar regeret, & tanquam ſacerdos in veri numinis cultu inſtitueret, atque hac ratione ad veram ſalutem conſequendam iis præluceret. A Paulo autem Melchiſedecus ex Autoris ſententia ideo tantum ἀπάτωρ, ἀμήτωρ καὶ ἀγενεαλόγητος dicitur, quod ex ſua familia in ſacerdotio, quod unice reſpici arbitratur, nec anteceſſorem, nec ſucceſſorem habuerit, uti nec Chriſtus, Hebr. VII, 13, 14.

Ultima denique Epiſtola eſt elenchtica, & graviter invehitur in Separatiſtas, qui publicis eccleſiæ Reformatæ conventibus neglectis, tutiora ac faciliora unionis cum Deo media in privatis conventiculis inveniri poſſe jactitantes, cum Nadab & Abihu peregrinum ignem Deo offerentibus, comparantur. Atque hunc in finem ex Ezech. IX, 4 privatos conventus neutiquam probari poſſe evincit, oſtenditque, dictum hoc potius illuſtre immutabilis certitudinis promiſſionum divinarum teſtimonium, & evidentiſſimum decreti divini de temperamento juſtitiæ ac miſericordiæ documentum eſſe, idemque Ezechieli, quod Eliæ, 1 Reg. XIX, 18, hoc loco demonſtrari, dari ſcilicet in populo Judaico ob abominanda ſcelera ſua divinis corripiendo judiciis, nonnullos adhuc vere fideles, ſoli Deo cognitos. Recta igitur Deum colendi ratione paucis monſtrata, Separatiſtas magis dignos eſſe judicat, quorum vices doleamus, quam quos refutemus; hoc tantum fert ægerrime, quod orationis neceſſitatem turpiter negare haud vereantur.

VALERII FELICIS AZZOGUIDI, BONONienſis, Chronologica & Apologetica Diſſertatio ſuper quæſtiones in ſacram Geneſis Hiſtoriam excitatas.

Bononiæ, typis Roſſi & Soc. 1720, 4. Plag. 5.

DUas potiſſimum difficultates Chronologiæ ſacræ doctiſſimus Autor nova quadam ratione expedire conatur, quarum

quarum una ad annum vocationis Abrahami, altera ad tempus commorationis Iſraelitarum in Ægypto ſpectat. Prior illa difficultas oritur ex comparatione Act. VII, 4, ubi Deus Abramum ex Charan, poſt mortem Patris ejus Terachi, ſecundum Gen. XI, 32 anno ætatis 205, mundi 2081, defuncti, tranſtuliſſe dicitur in terram Cananæam, & Gen. XII, 4, ubi Abram anno ætatis 75 e Charan exiiſſe dicitur, cum verbis Gen. XI, 26: *Terachus vixit 70 annos, & genuit Abramum, Nachor & Charan.* Nam ſi 75 annos Abrami de 205 annis Terachi detrahas, non 70 tantum, ſed 130 anni ætatis Terachi, qua genuit Abramum, relinquuntur, contra Gen. XI, 26. Præterea Abramum non demum poſt mortem Patris ſui, ſed eo adhuc ſuperſtite, a Deo vocatum, & ex Charan egreſſum fuiſſe, Noſter vel ex phraſi illa probat, qua *e domo patris ſui*, h. e. a patre ſuo, ſecundum Gen. XX, 13, XL, 30, 31 abiiſſe dicitur. Nam ſi pater non amplius ſuperſtes fuiſſet, Abram potius e ſua, quam patris domo exiiſſet, cum præſertim e duobus fratribus ejus Charan jam ante patrem deceſſerit, alter, Nachor, in Ur Chaldæorum relictus fuerit, atque adeo Terachus non niſi cum uno filio Abrahamo, & Lotho, nepote, inde egreſſus, in Charan venerit, Gen. XI, 31. Hunc nodum alii aliter, Noſter ita ſolvere ſtudet, ut verba Stephani, Act. VII, 4, *μετώκισεν αὐτὸν εἰς τὴν γῆν ταύτην*, non de Abrami migratione in terram Canaan, Gen. XII memorata, ſed de acquiſitione fundi in ea accipiat, quæ facta eſt, cum emeret agrum ab Ephrone 400 ſiclis, poſt Saram, uxorem ſuam, mortuam, anno mundi 2083, ſec. Gen. XXIII, 14, atque adeo etiam poſt mortem patris ſui, a. M. 2081, æt. 205, defuncti. Utrum vero Stephanus verba hæc de acquiſitione terræ propriæ, & ejus quidem habitationi ſuæ, quam verbum *μετοικίζειν* infert, deſtinatæ, intellecta voluerit, qui Abramo nec veſtigium pedis, ubi habitaret, in terra Canaan, ut proprium obtigiſſe, inquit, Act. VII, 5, amplius Noſtro cogitandum relinquimus.

Alteram, quam diximus, difficultatem afferunt anni illi 400 Act. VII, 6 & Gen. XV, 13, ſive, ut Ex. XII, 40 numerantur, 430, quibus Iſraelitæ in terra aliena inquilini & ſervi fuiſſe dicuntur.

cuntur. Ex communi Chronologorum ſententia, Iſraelitæ non niſi 215 annis in Ægypto commorati ſunt, & initium 430 illorum annorum a vocatione Abrami deducitur, ut adeo hujus ipſius, pariter ac Iſaaci ac Jacobi, peregrinationes eodem intervallo comprehendantur: cui explicationi favet locus Gal. III, 16. Contra ea Noſter illos 430 annos ad ſolam Iſraelitarum commorationem & ſervitutem Ægyptiacam reſtringendos putat, idque propterea, quod 1. quinque Scripturæ S. loca Iſraelitas 400 amplius annis in Ægypto commoratos fuiſſe confirment, nimirum Gen. XV, 13-16, Ex. XII, 40, Judith V, 9, Act. VII, 6 & XIII, 19. 20; 2. quod nequaquam probabile ſit, undecim filios Iſraelis, CCXV annorum intervallo, procreaſſe exercitum ſexcentorum trium millium & quingentorum quinquaginta virorum bellatorum, ultra mulieres & parvulos, & ultra 22000 Levitas, eorumque mulieres, qui eductus eſt per Moſen e terra Ægypti. Non quidem ignorat Noſter, ſententiæ ſuæ potiſſimum opponi poſſe locum Gen. XLVI, 11, ubi inter poſteros Jacobi, qui cum eo in Ægyptum deſcenderant, memoratur Kahath, filius Levi, pater Amrami, anno ætat. 133 defunctus, cujus ex Amramo, anno æt. 137 mortuo, nepotes fuerunt Moſes & Aaron, ille 80, hic 83 annos natus, cum Iſraelitæ ex Ægypto excederent. Nam etiamſi Kahathum ipſo primo ætatis anno cum Jacobo in Ægyptum veniſſe, & Amramum pariter ac Moſen ultimis patrum ſuorum annis genitos eſſe ponas, tota tamen annorum, quibus Kahath, Amram & Moſes ante exitum illum vixerunt, ſumma ad 430 non aſſurgit. Sed hanc objectionem ſub ipſum ingreſſum diſputationis occupat, & Gen. XLVI Jacobi nepotes, non minus poſt ingreſſum ejus in Ægyptum, quam ante illum natos, recenſeri monſtrat, & ad illos etiam Kahathum pertinere, contendit, cum nulli e filiis Jacobi, præter Ruben, Judam & Joſephum, ante Patris ſui migrationem in Ægyptum liberos ſuſcepiſſe legantur. Itaque Kahathum natum eſſe ſtatuit anno mundi 2317, poſt 81 annos, quam Jacobus Ægyptum ingreſſus erat: id quod factum eſſe putat a. m. 2236, quia nimirum Abrami nativitatem LXII annis, quam plerique Chronologi, antiquiorem facit, & ad a. m.

1946

1946 refert. Si igitur annis mundi 2236 addas annos 430, quibus Iſraelitas in Ægypto commoratos eſſe contendit, pervenies ad a. m. 2666, quo ſecundum calculos Azzoguidi Iſraelitæ Ægyptum reliquerunt. His porro addit annos 480, ab exitu illo usque ad templum Salomonis elapſos, annos 430 Regum Judæ, ab a. 4 Salomonis usque ad captivitatem Babylonicam, ſive annum Regis Zedekiæ XI, annos 70 ipſius captivitatis Babylonicæ anno XX Regis Artaxerxis finitæ, & LXIX hebdomadas Propheticas, a fine illo captivitatis Bab. usque ad mortem Chriſti numerandas, ſec. Dan. IX, 26, h. e. annos 483, ab his viciſſim detrahit annos 33 vitæ Chriſti, & hinc tandem concludit, Chriſtum natum eſſe anno mundi 4096, Olymp. 194, a. 4, V. C. 752, cui ipſi anno etiam Martyrologium Rom. Baronius, Ricciolus, aliique nativitatem Chriſti alligarint.

JO. FRIDERICI LEOPOLD, M. D. RELAtio Epiſtolica de itinere ſuo Svecico, 1707 facto, ad Excell. atque celeb. virum, Dom. JO. WOODWARD, M. D. Phyſ. in Collegio Gresham. Prof. &c.

Londini, apud Timoth. Childe, 1720, 8.
Plag. 9 tabb. æn. 7.

CUm tria conſcribere opuſcula minerologica propoſitum eſſet Viro clariſſimo, *Woodwardo*, quorum uno de foſſilibus in certas claſſes diſtribuendis, partim hiſtorice partim phyſice diſſereret, altero ſtructuram telluris, mineras metallicas, earumdemque indicia & locos natales perſequeretur, tertio artem ipſam metallicam, varioſque modos, mineras & metalla parandi, fundendi, ſeparandi ac depurandi, traderet; cumprimis etiam nobiliſſimi Autoris noſtri, quocum literarum commercium habebat, efflagitare operam viſum fuit. Is ad promovendum tam laudabile inſtitutum promtiſſimus, cum ea, quæ ex autorum lectione in privatos uſus conſcripſerat, fideliter communicavit, tum mineralia Germanica, pro neceſſaria illorum cum Anglicis comparatione inprimis quæſita,

iteratis tranſmiſit vicibus. Quo pacto cum officio ſuo nondum eſſe ſatisfactum exiſtimaret, conſtituit anno 1706 ex *Dania*, ubi tum commorabatur, in *Sveciam* tranſire, & quæ in itinere iſto circa hiſtoriam naturalem, ac potiſſimum circa res mineralogicas, obvenirent, calamo excipere, atque uſibus celeb. *Woodwardi* conſecrare. Neque vero ſegnior fuit ad perficiendum id quod conſtituerat, quam ad conſtituendum. Itaque primo vere anni proxime ſequentis *Svecicas* peragrare terras alacri & parata mente cœpit. Sed cum conatus ejus in principio quaſi ſufflaminaret cœli inclementia, campos gramine jam virentes hyemali denuo obtegens nive, ac terræ viſcera perſcrutanti conſtricta glacie aditum præcludens, prætereaque domeſtica negotia reditum accelerare juberent, factum eſſe profitetur, ut quaſi per tranſennam cuncta perſpexerit, quæ exquiſitius non tantum oculis ſed & animo contemplari decreverat. Incertus igitur aliquamdiu quid agendum eſſet, tandem anno 1709 diſperſas ſchedas in ordinem redigere, ſcriptorum teſtimoniis illuſtrare, atque ita in *Angliam* tranſmittere non dubitavit. Hæc de itineris & ſcripti occaſione. Nunc quod ad rem ipſam attinet, ea utique laus debetur auctori, quod mineralia *Svecica*, partim in ipſis terræ viſceribus, partim in muſeis doctiſſimorum hominum, magna diligentia exploraverit, eorumque ſpecies & characteres diſtincte atque accurate deſcripſerit. Quod ſi alias res, quæ annotari vulgo a peregrinantibus ſolent, parcius attigiſſe & minus curioſe perſecutus videtur, id ipſi hautquaquam vitio vertendum, quandoquidem inſtituti rationem hujusmodi eum terminis circumſcripſiſſe certum eſt.

p. 4. Diſceſſit *Haffnia* d. 26 Febr. 1707, trajectoque freto *Oreſundenſi* portum intravit *Landescronæ*. Quam urbem vix reliquerat, *Malmogiam* perrecturus, cum ſtatim conſpectum haut uno in loco ſubirent lapides molares, e ſaxo arenario duplicis generis confecti: alii enim ex flavo ſubalbeſcebant, & digitis attriti in arenulas candicantes facile comminuebantur: alii vero duriores & magis cinerei coloris, ex majoribus & ſilicis inſtar micantibus arenis concreti, cultrorum aciem eludebant. *Mal-*

p. 5 ſeqq. *mogiæ* donatus fuit a *Jo. Jac. Dœbelio*, per *Scaniam* Medico provin-

provinciali, tribus rarioribus conchis, ſaxo fœtido, propter
fœtorem, quem ferro attritum exhalare ſolet, ita nominato, la-
pidibus ſuccini, carbonibus foſſilibus, granatis quibusdam mi-
noribus atque impuris, prope arcem *Helſingoburgum* inven-
tis, denique minera martis piſiformi, ſive globulis ferrugi-
neis, qui ex profundo lacuum *Smolandiæ* extrahi ſolent. *Mal-* p. 12
mogia itineris ſui curſum direxit *Londinum*, *Londino Yyſtadi-*
um, & hinc ad officinas aluminarias, non procul a pago *An-* 15.16
derum ſitas. Quibus perluſtratis *Chriſtianopolin* venit, ubi va-
ria rurſus ab amicis accepit in *Scania* producta. E *Scania* dela- 17
tus eſt in *Blekingiam*, & transmiſſo flumine *Myrrhum*, ſalmo-
num captura inclyto, ad *Caroli portum* & *Caroli coronam*.
Superatis deinde *Galmarienſibus* & montoſis aſperæ *Smolan-* 23.28
diæ tractibus, deſcendit in planos *Oſtro-Gothiæ* campos, & per 30
Lincopiam, *Norcopiam*, & *Nicopiam*, ad totius regni *Suecici* 40
principem urbem, *Holmiam*, proceſſit. Poſtea non *Upſa-*
liam modo vidit & *Sahlam* ſive *Sahlbergam*, quarum altera 42
propter Academiam, altera propter ampliſſimam ditiſſimam-
que argenti fodinam in celebritate eſt; ſed & *Fahlunam* usque 46
penetravit, ubi magnam illam & nobiliſſimam conſpexit fodi-
nam cuprimontanam, quam octavum orbis miraculum non
inepte vocari poſſe, cum *Olao Nauclero* arbitratur. Deſcribit 49
eandem in libro ſuo ſatis copioſe, non tamen propriis ſed *Nau-*
cleri verbis, cujus hac de re ſingularis atque eruditiſſima diſſer-
tatio extat. *Holmiæ* deinde per aliquot menſes commoratus 69
eſt. Quo tempore id potiſſimum ſibi agendum exiſtimavit,
ut orbis hujus primariæ nobiliſſima muſea contemplaretur. O-
miſſis autem quæ recenſere alienum putat, foſſilia ſolum *Sve-*
cica, in muſeo Illuſtr. Baronis *Edmundi Gripenhielm* obſer-
vata, in medium profert, & conſueta diligentia perſequitur.
Relicta *Holmia Gothoburgum* migravit, ubi ipſum præter cete- 100
ras res ad ſe traxit muſeum non ita pridem defuncti *Olai Brome-*
lii, quippe multo labore collectum, & plurimis refertum foſſi-
libus *Sveciæ*, a *Leopoldo* noſtro antea nunquam viſis, ob eam-
que rem ſatis copioſe explicatis. *Gothoburgo* excurrit ad forta- 109
litia *Babus* & *Mahrſtrand* in confiniis *Norwegiæ*, atque inde

reverſus, per *Halmſtadium*, *Laholmium*, *Engelholmium* & p.110 *Helſingoburgum*, ad fretum *Oreſundenſe* pervenit: quo rurſus transnavigato, repetiit, unde fuerat egreſſus, *Haffniam*, & paullo poſt *Lubeccam*, nobiliſſimum Ducatus Sleſwicenſis emporium, ubi artem Medicam ſumma cum laude exercet. Quod reliquum eſt, ut eo facilius judicare lector de propoſito libro queat, integrum illum locum huc transferre exempli cauſa placet, ubi cum deſcribuntur officinæ aluminariæ *Tyſtadienſes* ſive *Anderenſes*, tum ipſius aluminis parandi ratio traditur. „Sitæ p. 12 „ſunt officinæ, inquit clariſſimus Autor, in loco declivi, ad „radices collis elatioris: eædemque operariorum caſulis, ad ju„gi latera pendentibus, & fumo continuo aſſurgente, advenis „jucundum ac inſolitum præbent ſpectaculum. Paratur autem „hic *alumen Rochæ* ſive *Rupeum*, ex *lapide ſciſſili*, unctuoſo, „manusque nigredine conſpurcante, quem rupicidæ ligonibus „mucronatis, aliisque inſtrumentis ferreis, e collis latere ex„ſcindunt, exciſumque pueris tradunt, in fruſtula minora, „pugnique magnitudinem raro excedentia, malleo contunden„dum. Deinde lapidis hujus ſemel calcinati fragmenta, ad ulnæ „quadrantis altitudinem, ſarmentis humi ſtratis ſuper impo„nunt, atque hoc facto lignum ſubjectum accendunt. Quod „cum flamma ferme conſumtum videtur, lapidis crudi fruſtula, „absque ligno intermedio, candentibus denuo ſuperſtruunt frag„mentis; & hunc laborem tam ſæpe repetunt, donec lapidum „acervum igne ſatis toſtum judicant. Poſtquam lapis etiam „hac ratione calcinatus, ejusque nigredo in rubicundum vel „carneum colorem mutata eſt, illum foveis amplis quadratis, „*Kabren* dictis, & aſſeribus undique munitis, injiciunt, ibique „in aqua frigida, per canaliculos ligneos illuc derivata, tam„diu macerant, usque dum lixivium flavum ex eo prodeat. Hoc „lixivium per canales ſubterraneos, itidem ligneos, ingentibus „cortinis plumbeis immittitur, & in illis magna ignis vi ulte„rius caſtigatur, donec maxime efferveſcat. Exinde autem, „aliorum canalium ope, in receptacula lignea iterum deduci„tur, ut in iis poſtmodum in cryſtallos, ſive alumen minutum, „aluminariis *Saffian* nuncupatum, congelaſcat. Quod cum

impurum

impurum adhuc exiſtat, a receptaculorum parietibus ferreo„ inſtrumento deraditur, inque lixivio veteri, *Mutter-Waſſer* vo-„ cato, ſolutum, lebetibus inditur, ac denuo coquitur; tandem-„ que finita coctione, ultimo liquatum, quod *Lutten* nominant,„ in amplas virique altitudinem ſuperantes cupas perfunditur, in„ quibus immotum usque permanet, dum debitam acquirit ſpis-„ ſitudinem, vel in maſſam candidam homogeneam condenſa-„ tur. Quæ, ſemotis poſtmodum dolii aſſulis, diffracta, in am-„ bitu glaciei pellucidam ſoliditatem, in medio autem pyrami-„ des quadrilateras cryſtallinas, gradibus quaſi diſtinctas, oſten-„ dit. *Sedimentum*, cortinarum plumbearum fundo adhærens,„ lutei coloris, fornaci injectum, leni ignis calore permutatur,„ in *Rubricam*, pingendis ædibus aptam.„ Hæc clariſſimus Autor. Ex quo qui plura diſcere cupit, is ad ipſum amandandus librum eſt, cui hactenus recenſendo & collaudando vacavimus.

POLYCARPI LEYSERI, POES. PROF. ORD. in Acad. Helmſtad. Hiſtoria Poetarum & Poematum medii ævi decem, poſt annum a nato Chriſto CCCC, ſeculorum. Centum & amplius Codd. MSS. ope Carmina varia elegantia, ingenioſa, curioſa evulgantur, emendantur, recenſentur.

Halæ Magdeb. ſumtu novi Bibliopolii, 1721, 8. Alph. 3 plag. 10.

QVale conſilium Cl. Auctor in hac Hiſtoria concinnanda ſecutus ſit, ipſe enarravit p. 2 ſqq. Poetas nempe non tantum verborum elegantia, (quæ in hujus ætatis ſcriptoribus ſæpe nulla eſt) ſed etiam rerum ſublimitate metitur. Qvamobrem inde a Seculo V ad XIV nullum, qui Poemata ſcripſit, ſe omiſiſſe putat; cum tamen unus & alter nominari poſſet, quos fruſtra hic quæſiveris. Ordine Chronologico illos locat: ſcripta eorum & editiones aliquas enumerat: ſpecimina aliquot

elegantiæ adducit: inedita integra, ſi moles & locus permittunt, evulgat: varias inprimis MSS. lectiones, & notas quasdam, ubi res exigit, adjicit. Sed vel Autores omnes hic enumerare, vel ea, quæ Autor attulit, contrahere, ſupervacui laboris eſſet. Catalogum enim Catalogi, aut Indicem Indicis conficere, ingrata nimis res eſt. Indicis autem & Catalogi vices in propria parte ſuſtinere poterit hic liber. Nam vitarum deſcriptionem, aut alia quæ lector in tali ſcripto late extenſa requirere poſſet, non invenies. Contracta ſunt fere omnia, ubi latius excurrendum fuit; & quæ omnium manibus jam teruntur & notiſſima ſunt, pluribus pertractantur. Sit pro exemplo Vita & Scripta Prudentii p. 4, Claudiani p. 14, Dracontii p. 56, & aliorum aliquot, quorum vel vulgatiſſima ſcripta plenam dant notitiam. At quam pauca de Amœno p. 14, de Sylvio Bono p. 51, Patricio p. 70, Innocentio IV p. 998 & obſcurioribus pleriſque omnibus, qui tamen majorem ingenii exercendi facultatem dediſſent, quam illi. Verum hæc veniam facile impetrabunt, quoniam monumenta ſæpe deficiunt, ex quibus obſcuri iſti viri illuſtrari potuiſſent; & quoniam Cl. Autor ad *Baleum*, *Pitſeum*, *Fabricium*, *Hendreichium*, *Miræum* alios lectorem cum fide ablegat. Alia igitur potius memorabimus, quæ ex re litteraria eſſe credimus. Pag. 36 obloquitur Cl. Autor Cl. Fabricio, poſteriorem Claudiani editionem Barthianam inter præſtantiſſimas numeranti: motus ſcilicet auctoritate Illuſtris quondam Heinſii, qui aliqua de illa in Præfatione ad Claudianum ſuum monuerat. At vero hi ſunt mores Criticorum, ut alios libenter deprimant, quo ipſi ſeſe extollant. Heinſius vero ea ſolum de cauſa ſuccenſuerat Barthio, quod ille ſibi ſæpe materiam laudis præripuerat, & vel ex conjectura vel ex libris ſuis talia emendaverat, qualia Heinſius ſibi relicta voluiſſet. Quæ p. 70 de *Turcio Ruſio Aſterio* (male *Ruffus* ſcribit, & alterum cognomen *Aproniani* omittit) proferuntur, indubie omnia poni potuiſſent, ſi Emin. Noriſii Diſſert. IV de Cenot. Piſan. c. 2 evolvere voluiſſet, ubi ſimul ineditum aliquod Aſterii hujus Epigramma ex autographo deſumtum legitur, quod inter hæc ſcripta omnino recenſendum fuiſſet.

Pag.

Pag. 105 integra *Carmina Boethii de Conſol. Philoſoph.* cum variis lectionibus ex tribus MSS. Academiæ Helmſtad. quas paſſim in textum recepit, inſeruntur. Pag. 168 magis utiliter Carmen aliquod *Fortunati de Paſſione Chriſti* ineditum ex perantiquo Antiphonario evulgatur. Pag. 207 *Elegiam de Cuculo* adſcribit Bedæ; ſed pag. 217 Alcuino tribuere videtur. Pag. 220 *Carolus M.* etiam inter Poetas numeratur, propter literas metricas ad Paulum Diaconum, Dedicationem ad Hadrianum Papam & Epitaphium eidem poſitum. Pag. 312 ſqq. Opus quoddam *Synonymorum* ex MS. Guelpherbytano exhibuit, quod nullo Autoris nomine *Ioannis de Garlandia* ſcriptis junctum in illo Codice reperit. Lexicographis utile, imo neceſſarium judicat, & hoc ut appareret, collationem inſtituit cum Fabri Theſauro, ejusque explicationes vocum ac etymologias complures ex hiſce commentis invadit. Verum non ſatis adſuetus nugis Grammaticorum videtur Clar. Leyſerus: quas qui ſemper ubique audiverit, næ ille nihil certi nec ſani relinquet. Eadem ratione ex Agroetio, Frontone, Beda & ceteris hujus farinæ Autoribus plures ejusmodi collationes inſtitui poſſent, quos tamen rariſſime audiendos eſſe, commune doctiorum eſt judicium. Pag. 391 *Hildeberti* Epiſcopi Turonenſis Carmen *de Creatione Mundi & operibus ſex dierum* integrum apparet ex MS. Bibliothecæ noſtræ Paullinæ deſcriptum, ut & quod in eo Codice ſubnectitur *Carmen de Excidio Trojæ*, p. 398. Pag. 453 *Henrici Septimellenſis* Libri IV *de diverſitate fortunæ & Conſolatione Philoſophiæ* itidem integri inſeruntur, notatis ſimul variis lectionibus ex MS. Codice Helmſtad. & Guelpherbytano, quem olim poſſedit Marqu. Gudius, & cum variis aliis Codicibus contulit. Idem pag. 502 usque ad 692 factum cum *Magiſtri Ægidii Corboilenſis* Libris IV *de virtutibus & laudibus compoſitorum Medicaminum*, quorum inſuper primus ejusdem Gudii doctis annotationibus ſtipatus eſt. Excipit hos p. 692 *Petrus de Riga*, qui inſigne opus metricum in Scripturam S. conſcripſit, quod *Auroram* prænotavit. Interpolavit eam *Ægidius Delphenſis*, Clericus Pariſienſis, uti verſus p. 695 adducti teſtantur: id quod multis erroribus anſam dedit, quos

Autor

Autor noſter bene corrigit. Adduxit quædam ſpecimina, inter quæ eminet *Recapitulatio utriusque Teſtamenti*, ut Fulgentii liber absque literis conſcripta: in prima enim diſtinctione nullum A viſitur, in ſecunda nullum B, in tertia nullum C, & ſic deinceps: pag. 727 ex eadem *Aurora* Cl. Autor dedit Excerpta quædam hiſtorica, quæ a textu inprimis Scripturæ S. abludere videntur. Pag. 742 & 747 *Matthæum Laudunenſem* & *Anonymum* quendam *Canonicum Altidiſiorenſem* primus in ſcenam produxit, quia eorum aliquos verſus in MS. *Aurora* invenit: prior tractat de pœna apud inferos, æternane ſit an minus, pauciſſimis tantum verbis, quæ alius quis latius produxit; alter de laudibus & utilitate dicti libri *Auroræ*. Pag. 767 *Alexander* dictus de *villa Dei* memoratur, qui ſcripſit *Doctrinale puerorum*, ſed commode p. 768 ex nota quadam MS. Doctrinali præfixa docetur, *Yſonem* etiam & *Rodolphum Anglicum* Magiſtros ſymbolas ſuas ad hoc opus contuliſſe. Pag. 796 inſeritur *Eberhardi Labyrinthus*, in quo officia Pædagogi exponit, ſimul artis Rhetoricæ & Poeticæ ideam ſiſtit. Ejus Tractatus tertius inſtar Notitiæ multorum omnis ætatis Poetarum eſſe poteſt; ſecundus vero multum ad intellectum Latinitatis mediæ elegantiarumque, quas eo tempore adſectarunt, faciet. Pag. 862 usque ad 978 occupavit *Galfridi Poetria* Papæ Innocentio III dicata, quæ ἀνονύμως habetur in Bibliotheca noſtra Paullina hoc Indice: *Rhetorica judicialis metrica*, & in multis præterea Bibliothecis occurrit. Cl. Autor edidit eam ex IV MSS. qui olim Marqu. Gudii fuerunt. Pag. 1012 *Alanus* Inſulis oriundus locum invenit: cujus *Anti-Claudiani* Liber I hic legitur, & præterea ex *Planctu Naturæ* metra omnia pag. 1045, & p. 1064 Liber *Parabolarum*, & p. 1092 Rythmi ejusdem *contra Amorem Veneris*, qui in editione operum Alani per *Carolum de Viſch* non inveniuntur. Pag. 2008 (operarum hoc factum incuria, cum eſſe deberet 1108) *Adolphi* Fabulæ de fraudibus mulierum leguntur: horridæ illæ quidem & incultæ, argumento tamen lectu non injucundæ. Pag. 2093 Anonymi cujusdam *Luparius* editur, qui fabulam de Lupo tradit in Monachum transformato, moribus tamen non mutato.

to. Sequitur pag. 2099 Anonymi *Peregrinus*, qui fraudes hoſpitum publicorum Elegis exponit. Ceterum pag. 2057 Supplementa quædam ſe daturum innuit Auctor: & in præfatione enumerat ſcripta ex media ætate inventu difficiliora, quorum tamen maximam partem in Bibliothecis Angliæ præſertim latere putat. Nos quidem, qui hanc Hiſtoriam ſedulo & cum voluptate perlegimus, non poſſumus non inſtitutum Cl. Auctoris debita ſua laude celebrare. Cum enim nudus obſcurorum nominum poſitus non omnibus forſan ad palatum fuiſſet: immiſta illa ſcripta ingenium lectoris morantur & oblectant. Eaque inprimis hoc in ſe boni habent, ut multæ ex editionibus vulgatis inde emendari, & numerus Poetarum inſigniter augeri queat. Quod ſi vero Cl. Leyſerus in eis, quæ olim ſuperaddenda meditatur, pari cura, & majori circumſpectione (cujus cauſa quædam a nobis hic notata ſunt) verſabitur, habebimus, de quo & illi & bono publico prolixius gratulemur.

JUGEMENS DES SAVANS &c.

hoc eſt,

GIBERTI, RECTORIS UNIVERSITATIS Pariſienſis & in Collegio Mazariniano Rhetoris, Judicia de Scriptoribus Rhetoricis.

Tomus II.

Pariſiis, apud Steph. Ganeau, 1716, 8.

Plag. 21.

OPus hoc hiſtorico-criticum, cujus primum Tomum A. 1714 p. 78 recenſuimus, non immerito vocaveris *Polybiſtorem Rhetoricum*. Quod enim Morhofius Polyhiſt. liter. lib. VI cap. 1 perfunctorie fecit, perſtringens ſcriptores de arte rhetorica, de iisque judicium exponens ſuum, id fuſius ac diligentius præſtat Cl. Gibertus. Atque hoc quidem ſecundo Tomo quinquaginta ſex capitibus (quibus tamen notæ numerales non ſunt inſcriptæ) perſequitur rhetoricos libros, qui inde a Quintiliano usque ad A. 1648 prodierunt in lucem.

Quintiliani vero primum Vitam deſcribit paucis, ibique in eam propendet ſententiam, eum non in Hiſpania, ſed Romæ natum eſſe, nec eum unquam fuiſſe Conſulem Romanum. Hinc profert elogia, quibus cumularunt Quintilianum viri doctiſſimi, ei principatum tribuentes artis rhetoricæ. Tum exhibet analyſin *Inſtitutionum oratoriarum* Quintiliani, eaque occaſione adducit, quæ quibusdam in Quintiliano reprehendenda viſa ſunt. Ipſe tamen plerisque locis propugnat pro Quintiliano, niſi quod Dodwello aſſentitur, ejus adulationem, qua Domitianum Imper. proſecutus eſt, excuſari haud poſſe, quippe viro bono plane indignam. Ipſum Quintiliani opus eousque laudat Autor, ut magis laudare commendareque poſſe non videatur. Tandem de Rolliniana iſtius Operis editione agit, nec ſolum id reprehendit, quod Rollinus quartam Quintilianei Operis partem reſecuit, ſed etiam alia nonnulla. Pergit p. 75 ad ſcripta rhetorica minuta, partim a Pithœo edita, *Rutilii Lupi*, *Aquilæ Romani*, *Iulii Rufiniani*, *Curii Fortunatiani*, *Marii Victorini*, *Sulpicii Victoris*, *Emporii*, *Pſeudo-Auguſtini*, *Julii Severiani*, *Rufini*, *Priſciani*, *Caſſiodori*, *Bedæ*, *Iſidori*, *Alcuini*, (cujus Vitam & hiſtoriam p. 106 ſqq. deſcribit,) & *Cornelii Celſi*; quæ ſingula pro libellis habet exigui pretii. S. *Auguſtini* vero Diſſertationem de arte rhetorica, ipſius libro quarto *de Doctrina Chriſtiana* inſertam, laudat & recenſet, defendens cum eo, non alia eſſe eloquentiæ eccleſiaſticæ præcepta, quam civilis. Poſt Auguſtinum tranſit ad *Georgium Trapezuntium*, cujus Rhetoricam magna laude afficit, eumque Hermogenis veſtigiis ita dicit inſiſtere, ut mereatur appellari *Hermogenes Latinus*. Exeunte ſeculo decimo quinto floruit *Antonius Lullus*, quem Noſter eandem ob cauſam laudat, quod ab Hermogenis methodo non receſſerit; illud vero reprehendit in eo, quod primo nimium longus ſit in multis argumentis, maxime circa figuras; deinde quod totam Scholaſticorum doctrinam ſyllogiſticam, imo & quatuor regulas arithmeticas, ſuæ Rhetoricæ inſeruerit; denique quod Longini περὶ ὕψους librum contemſerit. *Hermolaum Barbarum* ſine cenſura dimittit, quippe cujus

jus quinque libros Rhetoricos vidiſſe ſe negat. *Eraſmum* obſervat *Eccleſiaſten* ſuum compoſuiſſe ad methodum Quintiliani. Nam æque, inquit, ut Quintilianus, tractat de oratoris virtutibus moralibus; pari modo oratorem inde a primis doctrinæ rudimentis informat; æque prolixus eſt; æque commendat futuro oratori libros lectu digniſſimos; æque ſtudet, quæ aliunde hauſit, e proprio ingenio depromſiſſe videri. Ceterum laude dignum cenſet hoc Eraſmi opus, etſi nævis ſuis, quos indicat, haud carens. *Sturmii* librum *de univerſa ratione elocutionis* Criticus noſter ait eſſe ampliſſimum & accuratiſſima methodo confectum, ſummaque refertum eruditione Commentarium ad *Ideas* Hermogenis. Sed in ejus ad Ariſtotelis Rhetoricam Commentario nihil ipſi placet præter chartæ ac typorum elegantiam. Nec magni æſtimat Sturmii *de inſtauranda dicendi ratione* librum. At ejus verſionem libri Hermogeniani *de Inventione* laudat, una cum ejus commentario, niſi quod hic nimis diffuſus & levioribus immorari videtur. Nec illaudatum dimittit Sturmii Commentarium in Ciceronis *Partitiones oratorias*. Progreditur hinc ad *Jo. Lud. Strebæum*, cujus Commentariis ad Ciceronis libros rhetoricos nihil doctius eſſe arbitratur. Ejusdem liber *de electione & collocatione verborum* Critici noſtri judicio eſt exaſciatiſſimus, præcepta habens ſolida, exempla brevia, facilia & ſelecta, ut adeo utiliſſimus ſit iis, qui ad elegantiam Latinitatis adſpirant in ſcribendo. *Petri Joannis Nunneſii* Rhetorica (ex ſententia Critici noſtri loquimur usque ad finem hujus recenſionis,) quinque conſtat libris, in quibus Hermogeniana tam fideliter exhibentur, ut, qui Nunneſium vidit percepitque, idem Hermogenem ſe percepiſſe gloriari queat. *Ludovicus Vives* ſcripſit tres libros Rhetoricæ. Multo hi ſunt inferiores laude Morhofii. Deeſt iis & judicium & methodus, nec levis eſt autoris vanitas, jactantis, ſe pleraque primum tradere, cum tamen antiquis jamdudum ſint memorata. *Omer Talon* ſive *Audomarus Talæus*, (quod nomen Paulus Friſius male ſuſpicatus eſt eſſe fictitium, ſub eoque latitare Petrum Ramum,) Petri Rami ſummus amicus, in Inſtitutionibus ſuis oratoriis

tantummodo elocutionem tractat, ſed admodum bene. *Valentinus Erythræus* Sturmii diſcipulus fuit, ſed magiſtro inferior. *Petri Curcellæi* Rhetorica A. 1557 Gallice edita mediocribus libris eſt accenſenda. *Bartholomæi Cavalcantii*, nobilis Florentini, Rhetorica ſeptem in libros diviſa & lingua patria conſcripta, cujus editio ſecunda A. 1559 prodiit, ſelectiſſimum eſt compendium Rhetoricæ Ariſtotelis, & exhibet ea quoque, quæ ceteri artis dicendi magiſtri obſervarunt. *Philippus Melanchthon* quo ætatis anno ſcripſerit Elementa Rhetorices, diſputat Noſter. Quod is tribus cauſarum generibus quartum adjecit, *didaſcalicum*, citra neceſſitatem factum eſſe cenſet. Ceterum illum Melanchthonis librum merita laude non fraudat. *Cornelii Valerii* Rhetorica majorem in modum collaudari meretur. *Franciſcus Robortellus* librum emiſit *de artificio dicendi*, quem Noſter acri cenſura perſequitur, hominisque vanitatem coarguit. *Auguſtini Valerii*, Epiſcopi Veronenſis & Cardinalis, Rhetorica laudanda eſt. Admirabilis & pene incomparabilis eſt *Ludovici Granatenſis* Rhetorica eccleſiaſtica. *Petrus Ramus* (cujus Vitam Noſter præmittit, & eruditionem ejus virtutesque magnopere extollit,) ſcripſit *Scholas rhetoricas*, in quibus tamen injuſtiſſime inſectatur veteres dicendi magiſtros. *Laurentii Villavicentii* libri III de formandis ſacris concionibus (quos tamen autores quidam graviſſimi dicunt ex Hyperio deſcriptos eſſe,) ſunt egregii, commendarique de meliore nota debent concionatoribus eccleſiaſticis. *Franciſci Didaci Stellæ* liber de modo concionandi, excepto ſtylo, qui non ſatis nitidus eſt, optimis libris annumerari meretur. *Matthæi Dreſſeri* Rhetorica quatuor libris conſtans perdocta eſt, potius tamen tyronum, quam eruditorum in gratiam conſcripta. *Franciſci Patricii* Novam Rhetoricam Noſter non vidit. *Melchior Junius* ſcripſit Methodum eloquentiæ comparandæ, item Rationem animos conciliandi & movendi. Prior liber, quo vix quisquam melius oſtendit artem imitandi, plane eximius eſt, nec poſterior non dignus eſt ſumma commendatione. Junius enim Sturmii fuit diſcipulus, præceptoris eloquentiam non æ-

quans,

quans, at in ſcientia artis rhetoricæ magiſtro ſuperior atque inſtituendæ juventuti aptior. *Franciſcus Panigarola*, cujus Italica lingua exſtat *Modo di comporre una Predica*, orator fuit eminentiſſimus. Scripſit & alios libros rhetoricos eadem lingua. Erravit tamen, cum nimium ſtatuit diſcrimen inter eloquentiam Ciceronis ceterorumque ethnicorum, & eloquentiam eccleſiaſticam ſive Chriſtianam. *Bartholomæi Keckermanni* exſtat Syſtema Rhetoricæ & Rhetorica eccleſiaſtica. Fuit polygraphus. A methodi bonitate magis meretur laudari, quam a judicii acrimonia. Plagii etiam literarii reus eſt. *Edmundi Richerii* de libro, quem ſcripſit de figuris oratoriis & de cauſis eloquentiæ, Noſter approbat judicium Morhofii. *Duvairius* Gallice ſcripſit de eloquentia Gallica, idque opuſculum recte comparatur cum Quintiliani dialogo *de cauſis corruptæ eloquentiæ*, ac recte oſtendit viam perveniendi ad eloquentiam. Noſter hic refert, ſummam oratorum inopiam fuiſſe in Gallia temporibus Duvairii, ut ne in cathedra quidem eccleſiaſtica quisquam ſe præbuerit oratoris nomine dignum, cum hodie eo faſtigii profecta ſit eloquentia Gallica, ut, quo progrediatur amplius, vix habeat. *Melchioris de la Cerda* Campos eloquentiæ Noſter plane contemnit, de iſtoque libro approbat Morhofii judicium. *Cypriani Soarii* Rhetorica, Ariſtotelis, Ciceronis & Quintiliani incedens veſtigiis, brevitatem ſectans concinnam, & ob judicium & ob ſtylum commendabilis, optima eſt pro ſcholis. Omitti tamen debebant regulæ de memoria, quippe quæ pendet a ſola natura & exercitatione. *Ludovici Creſollii Theatrum rhetoricum* vel potius *Rhetorum* non eſt rhetorica, ſed hiſtoria priſcorum Rhetorum literaria. Edidit idem *Vacationes autumnales*, ſive de perfecta oratoris actione librum, quem laudat Morhofius. Sed Noſter illum librum putat eſſe inutilem, cum actio non e regulis diſcatur, ſed partim ex propria exercitatione, partim ex auditione optimorum in hac arte Roſciorum. Scatet etiam hic liber multis iisdemque longis digreſſionibus. *Paulus Benius*, natione Cretenſis, qui ſcripſit Commentarium in Rhetoricam Ariſtotelis, cui inſeruit

plurimas Diſſertationes rhetoricas, accuratiſſime & copioſiſſime philoſophatur de univerſa arte dicendi. Sed tam accurata philoſophia non opus eſt iis, qui ſtudent fieri oratores, quippe quibus ſufficiunt pauca præcepta & magna exercitatio. *Verulamius* in opere *de augmentis ſcientiarum* exponit, quæ jure deſiderari ſibi videntur in Rhetorica. Sed Noſter judicat, ea nullius eſſe momenti, oſtenditque, immerito ea deſiderata eſſe a Verulamio. *Caroli a S. Paulo Tableau de l' Eloquence* conſtat decem epiſtolis, in quibus quæ traduntur, bona quidem ſunt, ſed non ſolida prorſus. *Roderici de Arriaga* libri IV de Oratore continent præcepta Ciceronis verbotenus, redacta tamen in methodum ſcholaſticam. Æquiparandum hoc opus eſt Rhetoricæ Soarii, imo præferendum. Nimis tamen longus eſt in tractatione Locorum Topicorum, quæ tertiam operis partem implet, item in tractatione de figuris rhetoricis. Dubitatum autem fuit, an verus Rhetoricæ illius autor ſit Arriaga. Sed Noſter, etſi non negat, ſubeſſe probabiles dubitandi cauſas, tamen firma affert argumenta, quibus opus illud Arriagæ vindicatur. *Thomas Campanella* in Rhetorica ſua affectat novitatem præceptorum. Sed infeliciter refellit & Ariſtotelis & Ciceronis doctrinas rhetoricas. Novitates illius nihil habent ſolidi, ſtylo utitur tædioſiſſimo, *primalitates* & id genus monſtra alia loquens. A. 1643 Venetiis Anonymus quidam ſub titulo: *Degli Autori del ben parlare*, edidit opus Italicum octo conſtans voluminibus in quarto, ut cum vulgo loquamur. Hoc opus eſt Collectio librorum de arte grammatica & rhetorica ſcriptorum. Primo volumine continentur ſcripta grammatica Dantis, Fortunii, Bembi, Acariſii, Delminii, Alumni, Gabrielis, & Corſi. Secundo ac tertio volumine itidem ſcripta continentur grammatica, potiſſimum linguam Italicam illuſtrantia. Quarto Volumine exhibetur Lipſii liber de arte ſcribendi epiſtolas, item Demetrius Græce & Latine cum Commentariis Panigarolæ. Sexto Volumine exhibetur Hermogenes cum commentario Caſp. Laurentii, Iſidori Hiſpalenſis Rhetorica, item Martiani Capellæ, Caſſiodori, Auguſtini & Ciceronis libri rheto-

rhetorici. Septimo Rhetorica Ariſtotelis Italice, Dionyſii Halic. præcepta de panegyrico, Franc. Patricii Rhetorica, & hujusmodi alia. Octavo denique Volumine continentur opuſcula rhetorica Panigarolæ, Bedæ, Auguſtini, ac Vincentii Opus de modo concionandi. Critico noſtro diſplicet, quod omiſſæ in hac Collectione ſunt Inſtitutiones oratoriæ Quintiliani & Cavalcantii. *Thomæ Farnabii* Index rhetoricus & oratorius a Morhofio contemnitur. Verum Noſter aliter ſentit, & hunc librum tironibus perutilem eſſe exiſtimat, ſimul commendans notas Farnabii pluribus autoribus claſſicis adjunctas tanquam accuratas & eruditas. Agmen claudit *Simpliciani Gody* Via ad Eloquentiam Chriſtianam A. 1648 edita, quem librum Gibertus noſter præponit omnibus recentioris ævi Eccleſiaſticæ Rhetoricæ ſcriptoribus.

Tertium eundemque ultimum Giberti Tomum proxime recenſebimus.

LA VIE DE PIERRE ABEILLARD &c.

hoc eſt,

VITA PETRI ABÆLARDI, ABBATIS S. Gildæ in oppido Ruis, Ordinis Benedictini; & Heloiſſæ, uxoris ejus, primæ Abbatiſſæ Paracleti. Tomi II.

Pariſ. apud Jo. Muſier & Franc. Barois, 1720, 12.
Alph. 1 pl. 3.

QUam hic exhibemus Hiſtoriam Abælardi, Theologi pariter ac Philoſophi ſuæ ætatis primarii, eam Autor in præfatione profitetur ſe hauſiſſe e monumentis fide digniſſimis. Primo enim ipſius Abælardi Opera diligenter perluſtravit; deinde Acta Conciliorum Galliæ, Epiſtolas S. Bernhardi & Petri Cluniacenſis, Hiſtoriam Ottonis Friſingenſis non obiter inſpexit; denique e ſcriptoribus propioris ævi conſuluit Amboeſii Apologiam pro Abælardo, Argentrei & Pap. Maſſonii Annales, Steph. Paſchaſii Animadverſiones, Laubinæi

næi Hiſtoriam Britanniæ minoris, Felibieni Hiſtoriam Abbatiæ S. Dionyſii. Hi uti ſua fideliter e priſcis illis deſumſerunt, ſic ſcriptorum ſecundæ claſſis relationes eo magis fide dignas cenſet Anonymus noſter, quod, cum partim amici Abælardi fuerint, partim inimici, utrique tamen conſentiant prorſus in præcipuis vitæ ejus circumſtantiis, adeoque ſimul confirment ea, quæ ipſe de ſe rebusque ſuis memoriæ prodidit Abælardus. Diviſit autem Autor Opus ſuum in ſex libros, quorum *primo* de Abælardi patria, familia, præceptoribus, æmulis, magna in philoſophiæ ſtudio exiſtimatione, calamitate amorem Heloiſſæ conſecuta, copioſe accurateque exponit; *ſecundo* de diſceſſu Abælardi in monaſterium S. Dionyſii, profeſſione Theologiæ ſummo cum applauſu, condemnatione in Concilio Sueſſionenſi ob erroneas de Trinitate doctrinas, cognita paulo poſt ejus innocentia, controverſia ejus de S. Dionyſio, condito ab eo monaſterio Paracleti, denique de evectione ejus ad Abbatiam S. Gildæ; *tertio* & *quarto* de calamitoſis ejus in Abbatia modo dicta fatis, de monaſterio Paracleti Heloiſſæ donato; *quinto* de controverſiis ejus cum S, Bernhardo, qui peſtilentiſſimarum hæreſium reum agebat Abælardum, perficiebatque, ut & in Concilio Senonenſi & ab ipſo Papa condemnaretur; de reconciliatione ejus cum Bernhardo pariter ac Papa; *ſexto* de Abælardi receſſu in monaſterio Cluniacenſi, de morte ac ſepultura ejus, ac de Heloiſſæ obitu ac ſepultura. Ceterum hanc hiſtoriam Autor noſter diſtinxit eruditiſſimis animadverſionibus, lib. I §. 1 docens, verum nomen Abælardi eſſe *Abeillard*, ad quod alludens Bernhardus eum Epiſt. 180 appellavit *apem de Francia*. Ibidem oſtendit, qua de cauſa Joannes Sareſberienſis Abælardum vocarit *philoſophum Palatinum*, Jacobique Thomaſii de iſta appellatione hariolationes refellit. Scilicet *Palatii*, quod oppidulum eſt Britanniæ minoris, haud procul urbe Nannetenſi ſitum, natus fuerat Abælardus. Lib. II §. 9 de Roſcellini, qui præceptor Abælardi fuit, erroribus agit. §. 24 obſervat, ſententiam Abælardi, Dionyſium Areopagitam eſſe Gallorum Apoſtolum negantis, hodie non haberi pro

erronea,

erronea, idem quippe docentibus Sirmondo, Launoio, Valleſio, aliisque. §. 33 docet, ejus Ethicam nondum editam ſupereſſe in pluribus bibliothecis. Lib. V §. 22 exhibet quatuordecim illas theſes, ob quas damnatus in Concilio Senonenſi fuit Abælardus, easque copioſe examinat, orthodoxiamque viri in apricum producit. Sic & §. 23 de cæteris erroribus Abælardo imputatis agit, ejusque patrocinium ſuſcipit. §. 24 & 25 expendit proceſſum illius Concilii adverſus Abælardum, ac docet, eum undiquaque repugnare regulis juſtitiæ: quod idem ſuperius oſtendit de Sueſſionenſi Concilio, in quo partim inimicos Abælardi infeſtiſſimos, partim homines Theologicarum rerum maxime rudes, judicium exercuiſſe ac ſententiam condemnatoriam pronuntiaſſe, ſatis manifeſtum facit. Recenſet quoque omnia Abælardi ſcripta typis expreſſa, ſingulorumque, ipſarumque adeo epiſtolarum & Abælardi & Heloiſſæ, exhibet analyſin. Præterea Heloiſſæ hiſtoriam, itemque hiſtoriam monaſterii Paracleti, accurate perſequitur. Subinde etiam Dupinii errores in hiſtoria Abælardi commiſſos notat & corrigit. Ubique autem patronum ſe præbet & apologetam Abælardi, eumque defendit contra omnes, qui vel doctrinas ejus vel mores reprehendere auſi ſunt. Totum Opus concludit Diſſertatio Anonymi noſtri *de baptiſmo vivorum pro mortuis*, cui occaſionem præbuere ſequentia Abælardi verba in ejus libro *de hæreſibus* Cap. 12 (quem quidem librum genuinum eſſe fœtum Abælardi, contra Dupinium contendit lib. IV §. 10) exſtantia: *Habemus in epiſtolis B. Pauli, quod in primitiva Eccleſia diſcipuli Apoſtolorum pro mortuis baptiſabantur, credentes, eis conferre ad ſalutem animarum. Si ergo fides primitivæ Eccleſiæ erat, quod baptiſmus vivorum pro mortuis ſalutem æternam illis mortuis conferebat, quod illi non acceperant, & ideo pro illis baptiſabantur; quanto magis fideles credere debent, quod fide patrinorum baptiſati parvuli ſalutem æternam & gratiam ſpiritualem in baptiſmo conſequuntur.* Hic Anonymus noſter defendit Abælardi ſententiam, cenſetque, omnino ex 1 Corinth. XV, 29 probari poſſe, quod Eccleſia Corinthia crediderit,

T. II p. 291 ſqq.

vivorum baptiſmum prodeſſe mortuis ante ſuſceptum illud Sacramentum defunctis. Adducit hinc plures explicationes eorum, qui alio ſenſu illa Pauli verba capienda eſſe putant. Sed acute omnes refellit, oſtenditque, duras eas eſſe & violentas nullaque veri ſpecie gaudere. Ipſe pro ſua & Abælardi interpretatione teſtes citat Tertullianum atque Ambroſium. Concedit tamen, ritum illum baptizandi vivos pro mortuis haud fuiſſe univerſalem, ſed tantum in aliquot Eccleſiis receptum.

E LITERIS CHRISTFRIDI WÆCHTLERI, JCti, occaſione quorundam locorum Libanii.

EDidit V. Cl. Jo. Albertus Fabricius Vol. VII Biblioth.
Græcæ, ceu nunc primum prodeuntes Libanii Sophiſtæ
quatuor Orationes, cum verſione ac notis etiam D. Godfridi
Olearii. Nataque hinc ſunt velut in re nova obſervationes
quædam mutuæ inter D. Jo. Henricum Majum & D. Jo.
Mich. Steinheilium, viros celeberrimos, & in iſto etiam ge-
I nere literarum eruditiſſimos. Obſervatio I pertinet ad Ora-
tionem de ulciſcenda nece Juliani. Dixit ibi Libanius §. 12
p. 160, Julianum non eſſe cæſum ab aliquo hoſtium. Nemi-
nem enim illorum auſurum fuiſſe, mediæ aciei ſe immittere
ſine evidenti vitæ diſcrimine. Si autem plures hoſtium id auſi
eſſent, plures quoque & non unicum Julianum interfeciſſent.
Jam vero ſolus ille occubuit, nemine ex propinquis & cu-
ſtodibus illius, mali quicquam patiente, ὀυδενὸς παθόντος
ὀυδὲν, ἀλλ' ὀυδὲ μελήσαντος, *& quia nemo horum etiam curæ
oppreſſori Juliani eſſet, præter illum ſolum.* D. Majus vole-
bat legi, μελλήσαντος, *& nec paſſuro quidem quicquam mali.*
Potius tamen placuit ei, μελίσαντος, a μελέω, μελίζω. Lu-
cianus *Dialog. Ajacis & Agamemn.* ἐι σὺ μανεὶς σεαυτὸν ἐφό-
νευσας, ἐμέλησας δὲ καὶ ἡμᾶς ἅπαντας. D. Steinheilius
autem, *Valde*, inquit, *probarem primam lectionem μελλήσαν-
τος, & hac ratione etiam legendum apud Lucianum, teipſum*

occi-

occidiſti, & nos quoque omnes occiſurus eras. (Nam ἐμέλλησας, quod eſt εἰς δύο τέμνειν, hic parum convenit.) *Elegans Græciſmus, cujus exemplum apud Laërt.* 1, 98: μὴ μόνον τὰς ἁμαρτάνοντας, ἀλλὰ καὶ τὰς μέλλοντας, κόλαζε. ἁμαρτάνειν ſcilicet. *Et ſimiliter apud Libanium hic*, ἀλλ' ὐδὲ μελλήσαντος παθεῖν. Occurrit ſane hæc reciprocatio apud Libanium in hac ipſa Oratione, οἱ μὲν ἀπέθνησκον, οἱ δὲ ἔμελλον, ſcil. ἀποθνήσκειν. §. *10 p. 158.* Et §. ult. *Orat. parental. p. 378:* ὦ μεγάλα μὲν θεάσας, μείζω δὲ μέλλων, *o maxima auſe, majora vero adhuc auſure!* Sed hic non intervenit perſona tertii cujusdam: quod fit §. 12 *p. 161.* Sermo enim non eſt de propinquis & cuſtodibus, an ii quicquam de futuro paſſuri ſint, quantum in voluntate ipſorum eſſet, ſed an percuſſor Juliani in animo illos tunc habuerit, ſicut in animo habuit percuſſionem Juliani ipſius? Negat hoc Libanius, videturque omnino ſcripſiſſe, μελήσαντος, ἀπεκτονότος. Scilicet: *nemo alius quicquam mali paſſus eſt, neque pati debuit ex intentione percuſſoris.* Evidens hoc eſt e verbis ultimis, ὁ γὰρ ἆθλος ἕτος ἦν, καὶ ἐφ' ὃν ἀπέςαλτο, *de ſolo enim* Juliano *laborandum erat percuſſori, utpote cui ſoli fuerat immiſſus*, ac nemini cuſtodum vel propinquorum præterea; adde Phalaridis *Epiſt. 71 in fine.* Reliqui textus omnes ſumpti ſunt ex Libanii Oratione parentali in Julianum. II. §. 18 p. 243 Julianus τότε πρῶτον ὅπλως τε καὶ πολέμυ γενόμενος, D. Olearius, *licet tunc primum arma bellaque attingeret* Julianus. Prompte D. Majus, γευόμενος, *guſtaret.* Quod pluribus locis Autorum Græcorum illuſtratur. Similiterque D. Steinheilius. Nonne obſervarunt autem Viri doctiſſimi ex ipſa translatione D. Olearii, eum γευόμενος legiſſe, cum ſcriberet, tunc primum *attigiſſe* Julianum arma bellumque? Sane qui prima vice tangit arma, guſtare illa dicitur tantum. μεταχειριζόμενος δ' ἀσπίδων ἐξ ἀρχῆς, φέρειν Libanio hic τὴν σκευήν. Typotheta quum vellet γευόμενος exprimere, arripuit compendiarium illum ductum trium literarum γευ, quod eſt γευ, habet autem annexum υ, quaſi legi poſſet etiam γευ. Is vero error quia contingere ſæpius poteſt, ſatius foret, compen- 2.

dium illud, propter diſpendium, omnino tolli. Sic enim aut ſcriberent illi homines γευ, aut γεν, & accuratius inſpicerent textum. III. §. 28 p. 254. D. Majus vidit deeſſe ali-
3 quid in textu poſt, μεϛαὶ δὲ ἦσαν, ac ſupplet αἱ νῆσαι τοῦ ποταμοῦ. Et D. Steinheilius, *recte de inſulis conjeciſti. Plura autem verba hic omiſſa fuiſſe docet editio Morelliana*, τοῦ ποταμοῦ, τῶν νενικηκότων. Parentalis ergo non fuit inedita. At enim typographus ſimilitudine τοῦ ἦσαν & τοῦ νῆσαι iterum deceptus, poſterius omiſit. D. Olearius autem reperit utique id in textu, & expreſſit, *erantque inſulæ fluvii refertæ*. Abundat tamen τὸ ποταμοῦ, antecedit enim nomen illius, ὁ ῥῆνος. Nec pertinet ad hoc comma τῶν νενικηκότων. Incipit enim ibi nova phraſis: μεϛαὶ δὲ ἦσαν αἱ νῆσαι, ſcilicet νῆσαι τοῦ ῥήνου, & τῶν νεκρῶν. Quod utrumque antecedit. Τῶν νενικηκότων ἐπὶ τοὺς ἰόντων, *victores enim irruebant etiam in eos, qui in ſylvis ſe abſconderant*. IV. §. 46 p. 271 κατέλιπον αὐτῷ
4 ὁπλίτας, εὔξασθαι μόνον δυναμένους. Pro εὔξασθαι D. Majus, εὐνάζεσθαι, *ſtertere & coire conſuetos*. (Εὐνὴ pro concubitu Philoſtrato, Icone 16 f. 787, καὶ ἡ τις μὲν σφῶν ἡ εὐνὴ ἐγένετο, *qualis vero ipſorum fuerit concubitus*. Et mox: γέγραπται δὲ οὐχ ἡ εὐνὴ νῦν, *Coitus autem hic quidem non exprimitur*,) Milites autem orandi doctos non rejeciſſet Julianus, quin eos inſtituit potius in ſacris. §. *81 p. 307*. At Conſtantii milites reprehendit ceu inertes. §. *105 p. 330*. D. Steinheilius vero, *commode tamen etiam retineri poteſt* τὸ εὔξασθαι. *Nam p. 307 laudat in ſuis robur cum pietate junctum, & molliores Conſtantii milites per novem menſes ideo rebus ſacris occupari voluit, ut forte eos ſeduceret ad Gentiliſmum*. Et hanc illius mentem fuiſſe patet ex §. *82*. Ut enim Chriſtiani diſcerent invocare Martem, Bellonam, περὶ ταύτην τὴν σπουδὴν maximam opum vim fuiſſe abſumptam &, quia verba ad hoc non ſuffeciſſent, aurum & argentum ad iſta perſuadenda adhibitum. §. *81*. Tunc enim eos ad preces pariter & ad arma fore idoneos. Conſtantium autem Juliano reliquiſſe tantum ſenio confectos & ad numerum facientes. Hos, præ imbecillitate, ad preces unice aptos adhuc eſſe, καὶ ὑπὸ σκηναῖς καθεύδειν, & ſub tentoriis ſtertere.

§. 105

§. 105 p. 330. V. *§. 78 p. 304* πώγωνας ἐκεῖσε φερόντων καὶ τὸ τῶν δακτύλων ἔργον, D. Olearius, *aliis apud ipſos initium diſcendi ſtatim facientibus, aliis poſtliminio quaſi accedentibus, barbasque & annulos ad ſcholas eorum, qui literis erant imbuti, accedentibus.* Annuli hic, pro opere digitorum. D. Majus, *imo opificum opera manuum fuiſſe venalia; atque ideo allata. Voluiſſe enim effectus artis priſtinæ cum libris permutare.* D. Steinheilius etiam applaudit: *perquam eleganter explicaſti. Opifices enim illi erant* χειρώνακτες ἀποχειροβίωτοι. Enimvero D. Oleario δακτύλων ἔργον ſumitur pro δακτυλίων ἔργῳ, *opere annulorum*, per digitos elaboratorum: non autem pro omni opere manuum craſſiori. Quo ſenſu opifices deſcribit Pollux *L. 1 c. 5, L. 2 c. 4, 19, Lib. 7 c. 1.* Num vero & barbæ erant illis venales, quia eas afferebant? aut permutabiles? Credo duas hic ætates tantum exprimi, juvenum & ſenum. Illi ſtatim incipiebant ſua ſtudia, hi poſtliminio. Illi nihil habebant præter digitorum ſuorum primitias & pro captu ætatis annulos; hi barbas tantum oſtendebant. Julianus *miſopog. f. 358: Demophilus fecit ſermones tum adoleſcentibus, tum ſenibus audiendi avidis jucundiſſimos. Solet enim ſenectus triſtiores etiam ad juvenile audiendi ſtudium impellere.* VI. §. 82 p 309 τεταριχευμένοις ἀπαντῶσι θηρίοις, D. Olearius, *præclarior erat impenſa illa, quam in eos, qui cum beſtiis fame efferatis pugnabant.* D. Majus autem, *lego* ἀπατῶσι, *decipiunt cum animantibus conditis, non cum efferatis fame. Sale condiuntur vel aceto, vel aliter ad memoriam perpetuam.* Neque vero idem D. Steinheilius hic ſenſit. *Bene*, inquit, *monuiſti: exiſtimo tamen, Olearium reperiſſe* λιμῷ τετρυχωμένοις, *atque inde verſionem ejus ortam. In editione Morelliana hic eſt magna lacuna.* Credo, Libanium reprehendere impenſas factas in beſtias fame jam diu, non efferatas, ſed exhauſtas & prope enecatas. Huc enim etymon deduxit H. Stephanum. Neque adeo addi textui, λιμῷ, neceſſe eſt. VII. §. 148 p. 369 οἷς δ' ἐθεραπεύθη τὸ δαιμόνιον ἱερεῖς, D. Olearius, *ſacerdotes, qui Diis ſacra fecerunt.* Contra D. Majus, οἵοις δ' ἐθεραπεύθη τὸ δαιμόνιον ἱερεῦσι; *a qualibus autem ſacerdotibus colitur iſtud numen*

5

6

7

men? Nolebat enim ἱερεῖς bis recurrere. *Semper etiam*, θεραπεύειν τὸν θεὸν, *de cultu divino uſurpari.* Sed iterum humanior eſt D. Steinheilius, & expoſitione rem totam juvat. Poſterius enim τὸ ἱερεῖς intelligit de ſacris & victimis; ubi haud dubie maluiſſet ſcribi ἱεροῖς, ut ſenſus ſit: Sacra enim vel victimæ, quibus Dii antea placabantur, nunc poſt mortem Juliani ſunt in perquiſitionibus injuſtis pariter, ac ſacerdotes ipſi. Ita δὲ pro γὰρ accipitur. Statim, καὶ ἃ τὸ πῦρ ἔλαβε, τούτων ἡ τιμὴ τίθεται. Hic ἃ reſpondet τοῖς ἱεροῖς. Ut ergo connexio verborum fiat perſpicua, ceſſet parentheſis cum interrogatione, & ponam comma poſt ἱεροῖς. A ſacerdotibus poſtulantur rationes injuſtæ; de quibus enim Diis facta ſunt ſacra, & quæ abſumpſit ſacer ignis, ea certo nunc taxantur pretio, ut reſtituatur, quod Diis colendis impenſum fuit. Hæ ſunt eruditæ iſtæ cogitationes Virorum optimorum, & citra rixam colloquentium inter ſe de perpaucis textibus Libanii. Quantum vero putes gaviſuram eſſe omnem Germaniam, ubi commentarii Alciphrontis & Heliodori, ope D. Maji, cui iſta donaria ceſſit D. Steinheilius, lucem, quam exoptamus, aſpicient?

JOH. BERNOULLI ANIMADVERSIO IN Solutionem ad ſe Londino miſſam problematis alicujus circa trajectorias, propoſiti in Actis Lipſ. Suppl. Tomo VII Sect. VIII p.

MAteriam de Trajectoriis, elegantem ſed arduam, fuſe & accurate tractavit Filius meus in Actis Lipſ. anni proxime elapſi, ubi methodos a me inventas, per quas quoad fieri poteſt, ſolvitur generale Trajectoriarum problema, clare & fideliter expoſuit. In fine longæ diſſertationis, adjecit problema, ex hac materia enatum, ſolutu dignum & curioſum, quod proin Analyſtarum attentionem mereri videbatur. Conſiſtit illud in hoc, ut *Inveniatur & conſtruatur curva, quæ ſemetipſam inverſo ſitu poſitam atque hinc inde motam ſecundum utrum-*

trumque axem motu ſibi ſemper parallelo ſecet conſtanter ad angulum rectum, vel etiam ad angulum cuilibet dato æqualem.

Monuit proponens, me ſolutione potitum eſſe & tali quidem, ex qua pateat ſatisfacere infinita genera curvarum, tam algebraicum quam tranſcendentium; Inter eas dari duas quasdam Geometris non ignotas, adeoque vel inventu vel divinatu faciles, ſed deſiderare nos alias inſuper ex utraque claſſe curvarum, algebraicas tamen præ cæteris exigentes.

Accepi nupero menſe Martio litteras Londino ab ignota manu & ut ajunt *ſine die & conſule* ſcriptas, in quibus inveni aliquam ſed non addita analyſi problematis noſtri ſolutionem, quæ an bona ſit, aliis examinandum vel Autori demonſtrandum relinquo. Legitur ea in Actis Menſis Aprilis p. 156, 157. Quisquis vero ſit ejus Autor, haud dubie Britannus, videtur in Analyſi infinite parvorum non mediocriter verſatus, quod vel hinc manifeſtum eſt, quia in hac ſolutione elucent veſtigia longi & operoſi calculi. Sed ſi minus induſtriæ plus vero ſagacitatis adhibuiſſet, invenire potuiſſet ſolutionem aliam longe ſimpliciorem. Contigit ipſi, quod ſæpiſſime ſolet, venari ſcilicet per ambages intricatas & longas, quod in propinquo latet angulo. Vitium autem eſt, aut ſaltem defectus, in omni ſalutione, quæ præter neceſſitatem nititur fundamentis compoſitis ac longe petitis, deducens ad conſtructionem plus æquo laborioſam.

Priusquam itaque communicemus noſtram mira ſimplicitate & concinnitate gaudentem, indulgemus Solutori anonymo adhuc aliquod tempus, genuinam noſtræque ſimilem, qualem deſideramus, inveſtigandi ſolutionem; ac talem inprimis, quæ pro optatis curvis tranſcendentibus conſtructionem ſuppeditet non per quadraturas, quibus Solutor jam utitur, ſed per ſolas rectificationes curvarum algebraicarum, & quidem ſive rectus ſit, ſive obliquus interſectionis angulus, nec obſtat, quod pro aliquo contentos nos fore promiſerimus re ſaltem ad quadraturas redacta; noſtra enim methodo pro quovis angulo interſectionis, præter innumeras curvas algebraicas, etiam innumeræ aliæ tranſcendentes conceſſa rectificatione algebraicarum conſtruibiles promtiſſime eliciuntur.

Cæterum quas ſuppreſſo nomine ſubindicavimus binas cur-

vas quæſito ſatisfacientes, Geometris non ignotas, rectiſſime nunc nominavit Solutor Londinenſis, nimirum *Cycloidem* quando angulus interſectionis rectus eſt, & *Logarithmicam*, exiſtente quolibet interſectionis angulo. Sed quod ad hanc attinet, notanda ſunt ſequentia quæ ille nondum animadvertiſſe videtur: Primo ſciendum eſt, Logarithmicam duplici modo ad uſum vocari poſſe, ita nempe ut moveatur vel ſecundum directionem applicatarum, vel ſecundum directionem aſymtoti, priori modo unaquæque ex Logarithmicis inſervit ſive rectangula ſit ſive obliquangula, ſed reſpectu alterius modi non omnes Logarithmicæ huic negotio quadrant, ſed tantum acutangulæ; nam vulgaris ſeu rectangula, ut & omnes obtuſangulæ ſunt prorſus inidoneæ, voco Logarithmicas *acutangulas*, *rectangulas*, *obtuſangulas*, quarum applicatæ cum ſubtangentibus conſtituunt angulos *acutos*, *rectos*, *obtuſos*. Hoc etiam notatu dignum eſt, in caſu quo angulus interſectionis eſſe debet rectus, optato effectui reſpondere Logarithmicam *ſemirectangulam*, quæ ipſiſſima eſt Linea *Beaunjana*, apud Geometras quondam non incelebris. Horum demonſtrationem nunc non addimus; dabit eam noſter Anonymus, ne divinando tantum vel palpando in Logarithmicam incidiſſe videatur.

GEORGII PHILIPPI NENTERI, MED. D. & Pract. Argent. Fundamentorum Medicinæ Theoretico-Practicorum Tomus II.

Argentorati apud Johannem Reinholdum Dulſſeckerum, 1721, 4.
Alphab. 5. plag. 19½.

TRes præterlapſi ſunt anni, cum Clariſſimus Nenter Tomum I. Fundamentorum Medicinæ Theoretico-Practicorum, in Actis his Anno 1718 Menſe Novembri pag. 521 recenſitum, divulgarit, per frequentia vero itinera, negotia practica, morbumque graviſſimum, quem præterita æſtate paſſus eſt, impeditus fuit, quo minus promiſſo ſuo citius ſatisfacere, &

addito

addito Tomo II, opus omnibus numeris abſolutum conficere valuerit. Qua tamen mora tantum abeſt, ut detrimenti quid acceſſerit Libro, ut eo completiori obſervationum numero idem adauctus atque completiſſimo, utrumque Tomum reſpiciente, Indice inſtructus fuerit. Pertractantur enim in eo omnes, & leviſſimi etiam, morbi, qui adhuc deſiderari poterant, eadem methodo, quam in primo Volumine ab eo obſervatam fuiſſe diximus. De præſtantia autem hujus Libri eo minus dubitandum erit, quo certius eſt, maxime copioſam factam fuiſſe exemplarium operis hactenus nondum abſoluti diſtractionem, & quævis excellentia alia eruditus orbis impoſterum a Cl. Nentero communicanda ſibi polliceri poterit, cujus vires per morbum fractas ut quantagus Deus O. M. reſtaurare velit, omnes nobiscum Boni precantur.

D. LAURENTII HEISTERI ORATIO DE Incrementis Anatomiæ in hoc ſeculo XVIII.

Wolffenbuttelæ, ſumptibus Godofredi Freytagii, 1720, 8. Plag. 11.

EX quo Clariſſimus Heiſterus, relicta Academia Altorfina, a Sereniſſima Domo Brunſvico - Luneburgenſi ad publice docendam Anatomiam, Chirurgiam & Phyſiologiam in Regia ac Ducali Iulia Helmſtadienſi vocatus fuit, ſpartam hanc oratione iſta die 18 Julii anni ſuperioris auſpicari conſultum duxit, ad quam audiendam Proceres Programmate de novis Inventis Anatomicis hujus ſeculi invitaverat. Obſervavit ſcilicet Autor Clariſſimus, ſeculi hujus, in quo vivimus, quanquam quinta tantum, hoc eſt, perquam exigua, pars ſit præterlapſa, Anatomen nihilominus intra tam pauxillum tempus tanta feciſſe incrementa, ut omnes certe, qui rem æquo animo perpendent, ea ſint admiraturi. Multa enim omnino nova, præcedentibus ſeculis non obſervata, ſunt detecta, multa veterum inventa ad majorem perfectionem redacta, accuratiusque vel deſcripta, vel elegantius aut melius delineata atque figuris expreſſa. In

quibusdam partibus melior uſus eſt inventus Phyſiologicus, in aliis Pathologicus, aut Practicus erutus eſt. Denique etiam Scripta Anatomica, unde incrementa optime perſpici poſſunt, & nova & emendatiora quamplurima hoc prodiere ſeculo, quæ cum rebus præcipuis, quas Autores præſtiterunt, in hac oratione juxta annorum ſeriem enarrat. Quæ jam recenſere, cum nimis prolixum foret, Lectorem potius, ut ipſam orationem, quæ juſti ſcripti loco eſſe poteſt, evolvat, monemus. Ea ſolummodo, quæ Autor Clariſſimus de ſuis inventis pag. 167 & ſqq. refert, ſpeciminis loco hic propriis ejus verbis recenſebimus. Quid ego, inquit, in Anatome & Compendio meo Anatomico, tam in erroribus aliorum emendandis, quam in conquirendis & digerendis recentiorum Inventis, (præter ea, quæ cum Ephemeridibus Naturæ Curioſorum, variis annis, communicavi) præſtiterim, quilibet ex lectione ejus cognoſcere poteſt, aptoque tempore in eo explicando Philiatris uberius conſtabit. Nonnullas tamen mearum obſervationum, ut hiſtoria incrementorum anatomicorum hic perfectior exhibeatur, nunc recenſebo. Arteriæ aortæ quatuor ramos aſcendentes, ex trunco ſeorſim prodeuntes, aſſervo: cum alias ordinarie tantum tres ſint. Proceſſum mallei Ravianum, ut & minus oſſiculum ſeſamoideum, condylo femoris interno quandoque inſidens, primus, ni fallor, delineavi, ſtructuramque & ſitum pylori verum figuris exhibui. Præterea vaſa lactea meſenterii & inteſtinorum ex cadavere humano ubi copioſiſſima aderant, delineanda curavi. Ductus bilarii cyſtici valvulas ſpirales, aliasque in eo occurrentes valvulas, ſæpius a me viſas, itemque ductum hepatis venoſum, ac venæ umbilicalis in ſinum venæ portæ legitimam inſertionem, circa quam tam multi ſcriptores erraruntt, figuris oſtendi, &, quomodo vere ſe habeant, deſcripſi. Porro vaſa ſanguifera quam copioſa, facta prius eorum argento vivo repletione, per tubas Fallopianas diſtribuantur, & quomodo horum vaſorum conſideratione functio illarum melius intelligi queat, exhibui. Cerebelli humani æque ac vitulini mirabilem pulcherrimamque conformationem, prout revera ſe habet, dum tam multi in ea delineanda hallucinati ſunt, primus ob oculos

poſui,

poſui. Præterea papillas linguæ, guſtus organum, ejusque tunicam reticularem, quam ab aliis recte delineatam non novi, figura illuſtravi. Deinde veram humoris aquei per oculum diſtributionem, verumque chryſtallini ſitum, circa quæ tot controverſiæ, totque errores a plerisque anatomicis commiſſi fuerunt, me docuiſſe, figurisque recte oſtendiſſe, opinor. Ligamenta duo penis lateralia, ab aliis, quantum novi, non indicata, in omnibus cadaveribus virilibus, quæ ab aliquot annis examinavi, reperi. Glandularum hiſtoriam, & quid revera glandulæ ſint, me haud parum illuſtraſſe credo. Uterum in parturiente ſponte ruptum, & fœtus caput in abdomine offendi. Vermes ſingulares in equis & columbis deprehendi. Delineationem dedi, quomodo in vitulo bicipiti duas linguas, utque duo cerebra conjuncta invenerim. In infante, qui ano clauſo naſcebatur, inteſtinum rectum deficere vidi. Cataracta lactea quid ſit, ſectione inveni, reliquasque cataractas frequentius in humoris chryſtallini opacitate, quam in membranoſo corpore, multis ſuperatis litibus, me eviciſſe arbitror. In amavroſi defuncto humorem vitreum diſſolutum, & vaſa lactea in craſſis equi inteſtinis reperi, ut & fibras annulares in ejus ductu thoracico. Pancreas in duobus melancholicis ſcirrhoſum ſe nobis exhibuit. Glandulas bronchiales, nusquam naturali magnitudine antea exhibitas, una cum thyroidea & aſpera arteria in Ephem. Natur. Curioſ. dedi. Lumbricos inteſtina in puero perforaſſe, & in abdomine hæſiſſe, conſpexi. Hymen in puellis ſæpius obſervavi, taleque admodum notabile ex puella 14 annos nata delineatum, ut & ſingularem venæ azygos conſtitutionem iisdem in Ephemeridibus repræſentavi. Reliqua nunc prætermitto, alioque tempore exponam.

Heinrich Meybaums *Sen.* Chronica des Jungfraul. Kloſters Marienborn.

i. e.

 HENRI-

HENRICI MEIBOMII, SENIORIS, CHRO-nicon Monaſterii Marienbornenſis ex MSto editum a JOH. GEORG. LEUCKFELDO.

Magdeb. & Lipſ. apud Chriſtophorum Seidelium, 1720, 4.
Plag. 15.

HAud fas eſt perire quicquam Meibomiani, cujus nominis tot ſunt & tanta in univerſam patriæ noſtræ hiſtoriam merita, ut nullius facile vel majora extent, vel magis frequentia. Laudatur proin merito ſolertiſſimi *Leuckfeldi* cura, qui ex λειψάνοις Senioris Meibomii MStis partem hanc cum publico communicavit. Pertinet ſcriptum hoc ad Monaſterium Marienbornenſe ditionis Magdeburgicæ, quod diu monialibus Romani cultus receſſum præbuit, nunc ab Evangelicæ Religionis & nobilis proſapiæ virginibus tenetur. Nomen ejus & initia, quæ A. C. 1191 cepit, debentur pietati virorum quorundam, qui hunc in locum ante a cædibus & latrociniis infamem commigrabant, ut peregrinantes ſacrorum cauſa ibi hoſpitio exciperent. Huic inſtituto ne divina deeſſet autoritas, paſtores quidam allegabantur, qui cum gregibus ibi morantes ſe varias ſpecies vidiſſe ferebant locum a Deo cultui ſuo deſtinatum accurate deſignantes, inprimis vero Mariæ imaginem in fontem demiſſam, qui miraculoſam inde virtutem acceperit. Illa dein imago ex aquis protracta & publice culta effecit, ut *Marienborn* locus iſte appellaretur. E peregrinorum hoſpitio factus eſt, incertum qua occaſione, verſus medium ſeculi decimi tertii conventus monialium Auguſtini regulam ſequentium. Ab eo tempore quæ incrementa ceperit, quas viciſſitudines paſſum ſit Monaſterium iſtud, quantum ex monumentis antiquis potuit, usque ad An 1580 annalium modo digeſſit Meibomius. Fatendum equidem eſt, argumentum hujus ſcripti nec ſatis varium eſſe ad jucunditatem nec ad utilitatem ſatis amplum. Nam & Marienbornenſe Monaſterium ex mediocribus fere fuit, & quæ de illo potuerunt notari, donationes potiſſimum ſunt, præter menſuras agrorum & nomina familiarum nil præſentantes. Cum tamen inde non Monaſte-

naſteriorum ſolum Germanorum Hiſtoria augeri ſed & nobilium familiarum magnam partem extinctarum notitia poſſit integrari, ſuus tamen huic libro honor apud pleroſque mediæ Hiſtoriæ amatores conſtabit. Ea vero imprimis, quæ ad illuſtrandas gentes Comitum & nobilium paſſim memoratorum pertinent, magno cum ſtudio in Annotationes ſuas contulit Cl. Leuckfeldus, multiplici nec infructuoſa lectione, ut omnia ejus, refertas.

Joh. Georg Leuckfelds *ANTIQUITATES PRÆMONſtratenſes* oder hiſtoriſche Nachricht &c.

i. e.

JOH. GEORGII LEUCKFELDI HISTORICA narratio de duobus Præmonſtratenſium olim Monaſteriis, S. Mariæ Magdeburgi, & Gratia Dei prope Calbam.

Magdeb. & Lipſ. apud Chriſtoph. Seidelium, 1721, 4. Alphab. 1 plag. 11.

TAnto magis commemoratione dignum eſt B. Mariæ Monaſterium Magdeburgi, nunc ad cultum Proteſtantium compoſitum, quod ibi primum, cum in Germaniam perductus eſt, pedes poſuit celebris Præmonſtratenſium ordo. Factum id ipſius Norberti auſpiciis, qui cum paulo poſt ordinis iſtius initia Magdeburgenſem Archiepiſcopatum adipiſceretur, eo ſtatim curam dirigebat, ut ſuos ſecum haberet. Effecit id etiam An. 1129, quo eos in Canonicorum ſecularium locum huc deduxit ex Gallis accerſitos. Inde paulatim per Magdeburgicam ditionem & vicinas etiam Præmonſtratenſes plura invenerunt domicilia & ita ſunt aucti, ut Epiſcopi, Brandeburgenſis, Havelbergenſis & Ratzeburgenſis ex ordine iſto conſtanter legerentur. Illud vero ſingulare, quod præpoſitus Monaſterii Mariani, de quo hic agitur, *ſecundus Germaniæ Primas* dici conſueverit, arrogantius haud dubie quam pro potentia, ut teſtimonio Ioh. Buſchii de Reform. Monaſteriorum confirmatur. In æde ſacra

hujus Monaſterii Norbertus ipſe poſt mortem reponi voluit, jacuitque haud motus, donec poſt initia tricennalis belli, Præmonſtratenſes in Monaſterio Pragenſi, *Strohoff* dicto,ININININININ glorioſius illum apud ſe quam inter hæreticos cubiturum exiſtimantes, corpus Norberti variis miſſionibus Magdeburgenſes flagitarent. Pervicerunt tandem rem, ſæpe non dicimus, quam opportune, negatam, armis potius, quam autotitate Imperatoris An. 1629. Ex illo tempore tranſlatas Norberti exuvias Pragam fuiſſe credunt, & ejus beneficii memoriam ſolennibus feſtis recolunt. Sunt tamen ex noſtris rerum Magdeburgenſium periti, qui pro Norberto, cujus clam alio defoſſi ſepulchrum vacuum invenerint, Henrici Archiepiſcopi Norberto anterioris corpus ablatum dicunt. Egerunt id in *Vindiciis Norbertinis Philippus Mullerus* & in *Pſeudo-Norberto Barthol. Chriſt. Richardi.* Exhibet quædam ad id negotium illuſtrandum in Addendis Cl. Leuckfeldus. Sed quæ curatius conſiderari merentur, ſunt Diplomata LIII ad Monaſterium S. Mariæ Magdeburgenſe pertinentia, quæ ex Codice Epiſtolari Antiquitatum Archiepiſcopatus Magdeburgenſis inter Reliquias MSS. Ludovicianas ſervato depromſit, &, quantum conjecturis aſſequi potuit ordine Chronologico diſpoſuit. Incommodum tamen accidit, quod illis Diplomatibus non ſit potitus, niſi poſt impreſſam Monaſterii Hiſtoriam, quæ perfectior inde, ſi in tempore præſto fuiſſent, reddi poterat.

Alterum cujus in hoc volumine memoria renovatur Monaſterium, *Gratia Dei*, lingua vernacula Gottes Gnade dictum & prope Calbam in ditione Magdeburgica fuit exſtructum. Originem habet a quodam Ottone Crutorfii aut Reveningi Domino, qui a Norberto perſuaſus ditionibus & bonis ſuis partim ſedi Magdeburgicæ ceſſit, partim ea in conventum Præmonſtratenſium dicto loco conſtituendum impendit. Ab eo tempore hujus ordinis Monachi ſub præpoſito hic vixerunt, donec Sigiſmundus, Præſul Magdeburgicus Proteſtantium cultui addictus, An. 1564 mortuo præpoſito Lamberto Wernero, qui & ipſe partes iſtas fuerat amplexus, Præfectum eo loco

loco Præpoſiti mitteret, & Monachos adeo inde tolleret. Denique poſt pacem Weſtphalicam plane ſeculari, ut dicitur, uſui & adminiſtrationi fuit addictum. Copioſus hic fuit Cl. Autor in communicandis literis & diplomatibus partim nunc primum editis, quorum occaſione ſubinde non male digreditur ad argumenta quædam Hiſtorica illuſtranda. Sic p. 32 tempus quærit, quo primum Regis titulo vocem Romanorum addiderint noſtri Imperatores, cum primo ante inaugurationem Romanam ſolo Regis axiomate eſſent contenti. Putat autem ſe obſervaſſe, quod ab Henrico III vel IV id primum ſit factum. P. 39 corrigit erratum in Spicilegio Eccleſ. Lunigii, ubi Parte 4 p. 187 aſſeritur, Abbatiam priſtinam Hersfeldenſem inter Cattos ſitam An. 1160 annexam fuiſſe per decretum Pontificis Archiepiſcopatui Bremenſi. Monſtrat vero Cl. Leuckfeldius, literas pontificis de Abbatia Harsfeldenſi vel Harſefeldenſi prope Stadam ſita loqui. P. 51 ſqq. de antiquo judicio ſub alta arbore, cujus in diplomatibus Halberſtadienſibus & Quedlinburgenſibus paſſim fit mentio, agit ſatis prolixe, & conjicit, illud ex ſolennibus iſtis conventibus judicialibus fuiſſe, quos Principes provincias ſuas circumeuntes ſtatis locis ſub dio cogebant, hoc autem inprimis ad proceram quandam arborem haud procul a Quedlinburgo fuiſſe habitum. Reliqua, quibus paſſim Hiſtoriæ mediæ autores illuſtrantur, brevitatis ergo tacemus.

Verdienſte Gelehrter *Theologorum*, damit ſie ſich um die *Studia profana omnis generis*, oder um weltliche Gelehrſahmkeit wohl verdienet.

i. e.

IO. CASP. LOESCHERI, S. THEOL. DOCT. & Sup. Rochlit. Merita Theologorum in Rem literariam. Pars I. Accedit Appendix de Meritis Patrum Eccleſiæ in bonas literas.

Rochlitii, typis Langianis, 1720, 8

Pl. 22.

Non

NOn alienum a ſuo, quo tenetur, ſtudio bene de hiſtoria quoque literaria merendi eſſe duxit S. R. Autor, ut præſens argumentum curatius perſequeretur, & Theologorum in literas profanas omnis generis non contemnenda merita, paucis perſpecta, absque ſtudio partium fideliter enarraret, atque, ubi ratio commendandi ſeſe offerebat, prædicaret. Pars laboris I, quæ jam in lucem exiit duabus Sectionibus, Theologorum Auguſtanæ Confeſſionis tantum rationem habet, & Theologorum hujus claſſis aliquot centurias enarrat, deque haud paucis ſingularia non raro annectit. Ex his nonnullorum vitæ, ſcripta & ſingularia uberius proſequitur Autor, maxime *Joſuæ Arndii*, *Arngrimi Jonæ*, *Davidis Chythræi*, *Jo. Cluveri*, *Jo Conr. Dannhaueri*, *Jo. Mich. Dilberri*, *Jo. Georg. Dorſchæi*, *Pauli Fagii*, *Jo. Fechtii*, *Jo. Henr. Feuſtkingii*, *Joach. Felleri*, *Matthiæ Flacii*, *Salom. Glaſſii*, *Zach. Grapii*, *Chriſtoph. Helvici*, *Joach. Hildebrandi*, *Jo. Conr. Horneji*, *Jo. Hulſemanni*, *Thomæ Ittigii*, *Andr. Kesleri*, *Chriſt. Kortholti*, *Martini Lutheri*, *Hect Godofr. Maſii*, *Val Alberti*, *Conr. Aslaci*, *Jo. Frid. Mayeri*, *Phil. Melanchthonis*, *Jo. Micrælii*, *Chriſt. Noldii*, *Jo. Pappi*, *Auguſti Pfeifferi*, *Jo. Andr. Quenſtædtii*, *Conr. Tiburtii Rangonis*, *J. P. Reſenii*, *Casp. Sagittarii*, *Jo. Chriſtfr. Sagittarii*, *Samuelis Schelwigii*, *Cyr. Spangenbergii*, *Georgii Spalatini*, *Theophili Spizelii*, *Ægid. Strauchii*, *jun. Eliæ Veielii*, *Jo. Henr. Urſini*, *Tobiæ Wagneri*, & aliorum. Nec horum reliquorumque ſcripta enarraſſe contentus ſæpe de ſcriptis eorum ſuam pronunciat ſententiam, & aliorum quoque judicia frequenter adducit. De induſtria eos præterit Theologos, qui adhuc ætatem agunt, alio tempore, ſi ſummo Numini viſum ſit, hos additurus. Qui ex Patrum Eccleſiæ ordine huc referendi videbantur, in Appendice peculiari opera recenſentur, in quibus *Clemens Alexandrinus*, *Euſebius Pamphili*, *Gregorius Nazianz. Cyprianus*, *Hieronymus*, *Photius*, *Tertullianus* & *Beda* eminent. Animus eſt Autori, Partem II de Theologorum ad Calvini mentem Reformatorum in profanas literas meritis brevi in lucem emittere, quam tamen, ſi non deſiderari, aut minus gratam fore hanc operam, experietur, premet, tempusque aliis potius laboribus impendet.

† †
†

N. VII.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Julii Anno MDCCXXI.

LES DROITS DES SOUVERAINS DEFENDUS &c.

h. e.

PAULI SARPII, SERVITÆ, REIPUBLICæ Venetæ Conſiliarii, Jura Principum contra Excommunicationes & Interdicta Pontificum Romanorum defenſa, ad illuſtres Status Inquiſitores. Italice & Gallice.

Tomi II.

Hagæ Comitum, apud Henr. Scheurleer, 1721, 8. Alph. 1 pl. 20.

IN vulgus notum eſt, quam acriter Paulus V Pontifex Maximus de immunitate & libertate Eccleſiaſtica cum Sereniſſima Venetorum Republica, qua juris ſui alia non eſt facile tenacior, depugnaverit, quibus litibus & odiis eo deventum eſt, ut Duci & Senatui Bulla, A. 1603 17 Aprilis Romæ publicata, a Pontifice ſacris interdiceretur; hæc in vulgus nota ſunt, & multorum ſcriptis celebrata, impugnata, defenſa; ſed pauci ante noverunt, Paulum Sarpium, Servitam, celebrem illum Reipublicæ Theologum, omnium primum animos Senatorum Pontificio illo fulmine afflatorum ſcripto liberrimo confirmaſſe, quam illud a Viro nobili acceptum Typographus Hagenſis luci publicæ committeret. Aſſervatum eſt hactenus inter chartas publicas & arcanas, ipſo Sarpio ita volente, quod e re videretur Principum, nonnulla in his ignorari a populo; neque tamen ita omnes latuit, ut nulla libri excellentis exempla in exteras regiones pervenirent. Sane

in uno Belgio duo extant, alterum in manu Scheurleeri, alterum in Bibliotheca Viri Illuſtris; apertius autem utriusque Codicis hiſtoriam narrare nondum licet Genuinum Sarpii eſſe fœtum, nulli dubitamus,neque quicquam ſibi in eo permiſit Bibliopola, quam ut *Jura Principum defenſa* appellaret librum, quem Sarpius,animum territis Venetûm Senatoribus additurus, *Conſolationem Mentis* inſcripſerat; ut Rubricæ nunc cum nigro, quod Jureconſulti ajunt, eo melius conveniret. Vernacula lingua cum uſus eſſet Autor, in gratiam eorum, qui Italice neſciunt, adjecta eſt verſio Gallica, quamvis omnino fatendum ſit, illos, qui Italicum ſermonem non ignorant, rectius facturos, ſi ex fonte petant,cum Interpres mentem Autoris non ubique ſatis aſſequi videatur.

P. 1 In ipſo opere ita verſatus eſt Sarpius, ut parte equidem pri-
ma, quam generalem appelles, omnem de Excommunicatione,
& Interdictis doctrinam, quæ perſonæ? quæ cauſæ eo pertine-
ant? quæ ſit Pontificis in ea re poteſtas? ordine excutiat; parte
vero altera, ſpeciali magis, ex iis, quæ in priore dicta & aſſerta
ſunt, querelas Pontificis contra Venetos motas, decidat & refel-
C. 1. lat. Prima partis primæ quæſtio eſt, *num Papa & Eccleſia ea ſit*
p. 18 *poteſtas, ut hominem tale quid merentem a fidelium communione*
excludere poſſint, quam cum negare nolit Sarpius, ad ipſam ex-
communicationis naturam declarandam progreditur; quæ No-
22 ſtro eſt *pœna eccleſiaſtica, qua Prælatus quempiam tanquam mem-*
brum putridum a reliquo corpore reſcindit, & omnium bonorum
ſpiritualium communione & participatione, qua vera Eccleſiæ
membra in unitate fidei fruuntur, eundem privat. Duriſſimum
eſt remedium, immo ſi miſerum illum excommunicatum ſpe-
C. 2 ctes, omnium remediorum finis, quo magis quæritur, *quæ ſint*
illæ perſonæ, qui tantum infortunium merentur, quæ illæ cau-
ſæ, ex quibus tam grave malum oriri poteſt? ubi omnino redar-
32 guendi ſunt Prælatorum plures, qui ob leviſſimas cauſas, ob de-
bita per paupertatem non ſoluta, ob res inventas non red-
48 ditas, & ſimiles, his fulminibus utuntur. Bruta ſunt, niſi
ſint juſta, quo pertinet, ne pœna ſit major delicto, neve puni-
endus ullam ſui delicti excuſationem habeat. Caute & absque

præ-

præcipitato animi affectu in re tam gravi agendum eſt, omnium p. 50
autem cautiſſime, ſi de Principe forte, aut iis, qui cum ſummis
Principibus pari ſunt autoritate atque dignitate excommuni-
candis quæritur, ne temere abominatum facias ſubditis, quem
ſacroſanctum eſſe vult publica tranquillitas. Deinde alia eſt Prin- 56
cipum, alia privatorum in multis conditio. Princeps excom- 58
municari poteſt, ſed non ab Epiſcopo, cui nullum jus in impe-
rantem, adeoque nec Prælato, qui Præſul factus, civis eſſe non
deſinit. Non poteſt excommunicari Magiſtratus a Principe con- 64
ſtitutus: aut enim autor eſt rei geſtæ Princeps, aut non eſt. Il-
lud ſi dixeris, Principis eſt culpa, ſi qua eſt, ſin hoc, ſupereſt reme-
dium ordinarium, adeundus eſt Princeps, qui facile ſuos offici-
um facere coget. Poteſt itaque Papa, & hoc fatetur Sarpius, ita 70
tamen ut probe diſtinguat duplicem Papæ perſonam, alteram 72
ſummi Pontificis, alteram ſummi Principis. Ut Pontifex, docet, 74
& docenti parendum; ſi non pareatur, etiam a ſummis Principi-
bus, ille habet poteſtatem Petri, ligat, & ſolvit. Ut Princeps, im-
perat, ſed ſuis. Debet has ſuas opes liberalitati Principum, qui
tamen eo ipſo, neque ſibi conſtituerunt Dominum, neque
ejus in ſacris poteſtatem fecerunt majorem. Paulus V
quod erat Apoſtolis ditior, & Italiæ Princeps, non erat ma-
gis Pontifex, quam Petrus & primi ejus ſucceſſores, ne-
que, ſi aliquando Papa ad primam paupertatem redigeretur, de-
ſineret eſſe Pontifex, Princeps non amplius eſſet, amiſſis opibus 94
& regionibus, primus Epiſcopus eſſet, idque majori forte jure,
quam quo nunc eſt, cum ita ad mentem & mores Principis Apo-
ſtolorum, omnem dominatum ad exemplum Magiſtri ſui reſpu-
entis, propius accederet. Quod autem dominantibus domine-
tur Papa, &, quod ad Dei in Principes ſummum imperium atti-
net, ejus in orbe gerat vices, neque naturali ratione conſtat,
cum Principes fuerint, cum Papa non eſſet, neque in SS. Lite-
ris ſcriptum eſt, neque ſpontaneo Principum conſenſu unquam
acceptum aut approbatum. Excommunicatio fit per *ſententiam* C. 3
a ſummo Pontifice pronunciatam, *a qua num ad alium judi-*
cem appellari poſſit, dubitatum eſt, ſed ab illis, qui cæco, Roma-
næ ſedis amore abrepti, non perſpexerunt, quam iniquum ſit,

unius hominis, unius judicis arbitrio rem tantam committi. Sci-
p. 110 licet a ſententia Pontificis appellari poteſt ad Concilium genera-
le, invita licet curia Romana, cui talis Concilii convocatio res
eſt tam ingrata, ut Sarpius ſibi perſuadeat, præter duo illa vota,
Obedientiæ & Caſtitatis, omnibus ſacerdotibus communia, a re-
cens creato Pontifice exigi tertium de non convocando Conci-
120 lio Oecumenico. Duplicis generis ſententiæ appellationi non ce-
dunt, latæ a Judice, qui non fallitur, & latæ a Judice; qui non
132 habet Superiorem. Falli Pontificem, exemplum Marcelli idolo-
latræ ſatis demonſtrat; inferiorem eſſe concilio, melior pars or-
bis affirmat. Et quamvis eum ſuperiorem habeas, pars eſt, & in
138 propria cauſa judicat, qualis ſententia plurium cognitione opus
habet, eo modo, quo Principes in cauſis fiſcalibus propria jura
C. 4 ſuorum arbitrio ſubmittunt. *An vero Concilium, puta Generale, Papa eſt ſuperius?* Negant Romanenſes, duplici potiſſimum ex
ratione, quod Concilium generale a Papa & convocetur, & con-
firmetur. Quod ad prius attinet, verum eſt Concilium convo-
cari a Papa, ſed quid inde autoritatis, quid prærogativæ? cum,
p. 151. Papa tergiverſante, idem fieri poſſit ac debeat a Cardinalibus,
ab Epiſcopis, a Principibus denique & Regibus, quos ideo ſupe-
riores eſſe ipſo Concilio convocato nemo facile dixerit. Confir-
manda autem eſſe Concilia Generalia a Pontifice, gratis aſſeri-
160 tur. Vah! inquiet Romanarum partium homo, nonne in Con-
cilio Tridentino interrogati ſunt Patres: *placetne, ut ſacræ ſynodo
finis imponatur, & omnium & ſingulorum confirmatio a Romano*
156 *Pontifice petatur, & reſponderunt: Placet.* At enim vero con-
firmatio alia dicitur *propria*, qua non ſubſecuta negotium omne
irritum eſt & nullum, alia *improprie talis*, declarationem dice-
res, decreta illa eſſe decreta ſanctæ ſynodi, a Papa cum reliquis
Fratribus habitæ, qua etiam in Tridentina uſi ſunt. Deinde non
videndum eſt, quid Romæ aliquando factum ſit, ſed quid fieri
168 debeat. Fallacia uſi ſunt ſedis Romanæ Fautores, quam in ſcho-
lis *compoſitionis* appellant, interrogaruntque Patres, num fi-
nem & Pontificis confirmationem velint, qui, cum prius illud
170 anxie cuperent, poſterius non voluerunt: ſane inconveniens eſt,
dicere, confirmanda eſſe ab uno, qui Synodi vel ipſe vel per Le-
gatos

gatos fuit pars, quod omnes juſſerunt, confirmanda eſſe ab homine, quæ *ſancta Synodo in Spiritu S. legitime congregatæ* placuerunt. Sane illa ipſa Synodus, quam autoritatem Papæ & Epiſcoporum tantopere muniiſſe & exornaſſe conſtat, aliam fovit ſententiam, cum in ſeſſione ſub Julio III habita omnes Principes chriſtianos & omnes Prælatos exhortata ſit, ut obſervent, & obſervari faciant omnia & ſingula quæ per hoc ſacrum & œcumenicum Concilium fuerunt hactenus ſtatuta & decreta, quod fieri ab ea non poterat, ſi decretorum pleniſſimum robur a Pontificis confirmatione demum eſſet repetendum. *Num Princeps excommunicatus ſimul ſuis ditionibus privari poſſit*, nova eſt quæſtio. Non ipſo excommunicationis jure, bene tamen, hac addita a Pontifice clauſula, ajunt Romanenſes. Qui vero? cum omnis antiquitas iſtam clauſulam ignoret, & vix anni ſint CL, ex quo inſolens hæc opinio exorta ſit. An deteriori Jure uti licet in Principes, quam in privatos homines, quos illa clauſula unquam punitos eſſe non legimus. Omnino, inquiunt Romanenſes, *in pœnam delicti*, creſcentibus his, creſcant illæ, & hoc præſenti damno eo citius reducetur ad pœnitentiam Princeps. Sed pace illorum hominum dixerimus, ex Sarpii noſtri mente, creſcere non poſſe pœnam, qua major infligi non poteſt, infinito nihil addere finitum, nec intelligere jacturam æternæ ſalutis, qui rerum terrenarum damno illius pœnam augeri contendit. Ceterum hiſtoriarum monumenta loquuntur, Principes excommunicationibus facilius ad apoſtaſiam, quam ad pœnitentiam adduci, ut taceamus, quam triſtia inde mala, bella civilia, incendia, ſtupra, rapinæ, hominum innocentium cædes, & infinita facinorum genera metuenda ſint, tam gravia, tam atrocia, ut Paulus noſter exiſtimet, Pontifici, etiam juſtiſſimis cauſis inſtructo, ſi hæc, certo certius futura, cogitatione præcipiat, ad illius clauſulæ memoriam ſacro quodam horrore eſſe contremiſcendum. Nunc de *Libertate Eccleſiaſtica* dicendum eſt, & *num illius turbatio juſtam excommunicandi cauſam præbeat.* Fruuntur illa res, perſonæ, loca. Res ſunt vel decimæ, vel aliæ eccleſiaſticæ. De illis ſeparatim dicetur. In his, ſi Princeps boni publici cauſa aliquid faciat, occupet, mutet, ſuo id jure facit,

p. 178 182 C. 5 p. 208 232 240 253 256 258 260 C. 6 p. 278

ſin ex lubidine, ut ambitioni & voluptati ſuæ faciat ſatis, merito Pontificis eſt, videre, ne Reſpublica Chriſtiana obliqua ratio-
p. 282 ne aliquid detrimenti capiat. De Perſonis Eccleſiaſticis ita habe. Aut ſacra faciunt, & quæ eo pertinent, & ad Principem illius rei cura non pertinet; aut actiones civiles inſtituunt, & in
290 his ſupremum arbitrium eſt apud Principem. Loca ſancta temere
C. 7 violaſſe non licet, ex cauſa probabili licet. *An itaque illa Eccleſiaſtica libertas ad Eccleſiæ commoda unice ſpectat, an vero etiam ad Eccleſiaſticorum emolumenta?* Eccleſiæ cauſa hæc ita recepta
p. 308 ſunt, cujus unice intererat, ſanctiſſimam propagari fidem, &, qui eam erant amplexi, nutriri quotidie verbo & ſacramentis.
334 Ut itaque finis hic optimus obtineretur, placuit, perſonas ſacras, dum ſacri quid faciunt, a nemine impediri, bona eccleſiaſtica, præter neceſſitatem, profanis uſibus non adhiberi, loca denique
328 ſancta præter rem non violari. Hæc autem omnia & in omnibus ſacroſancta facere, & maximam Reipublicæ partem Principis imperio eripere, eſt manifeſtum bellum Divino, Naturali & Gen-
C. 8 tium Juri indicere. *Nonne vero Bonorum temporalium poſſeſſio ju-*
p. 346 *re divino ad Eccleſiam pertinet?* Minime vero. Chriſto enim, & Apoſtolis, & primis Pontificibus præcipuum ornamentum erat
350 paupertas. Et Judam proditorem loculos habuiſſe novimus.
362 Dici forte poteſt, divitias non dedecere eccleſiam, easdem vero
368 eſſe neceſſarias, quis evincet? Quis pauperi illi & martyrum ſanguine madanti cœtui nos noſtrosque homines comparaverit, aut prætulerit. Eccleſiam divitem Sarpius confert cum ſacello, in quo ſigna nonnulla militaria, & tormentarii globi repoſiti ſunt: tantum abeſt, ut his ornetur & integretur, ut potius iis ejectis,
C. 9 omnia rectius ſeſe habere videantur. Nunc *de Rebus publicis* agitur, quæ cum paria facere ſoleant cum ſummis Principibus, non
p. 376 eſt, ut pluribus dicta repetamus. Id ex doctrina Romanenſium notes, perſonas excommunicari, univerſitates interdicto
C. 10 coerceri. *De Decimis* uberius videndum eſt; & *quæ ſint Principis ſummi jura circa vectigalia perſonis & bonis Eccleſiaſticis impo-*
p. 414 *nenda?* Inter Principem & ſubjectos mutua eſt obligatio, illius eſt, ut ſuos regat & defendat, horum ut conferant ea, quæ communis neceſſitas exigit. Principis eſt tueri omnes, etiam illos,

qui

qui inter ſubjectos ſunt Eccleſiaſtici, omnium eſt, etiam Eccleſiaſticorum, opibus ſuis Principi ferre opem. Decimæ datæ ſunt eccleſiaſticis olim, & illæ ab oneribus immunes, ſed noſtra ætate hæc Eccleſiæ bona ita creverunt, ut quartas & tertias faciant. p. 420
Et quis tolerabit ſumtus publicos? Laici, inquies. Itane lædendæ ſunt æquitatis, & caritatis regulæ. Et quid faciendum, ſi omnia aliquando Eccleſiaſticis cedant? Reſpondent illi? Huic malo 422
Pontifex indultibus ſuis medebitur. O miſerum Principem! qui id quod jure ſuo flagitare poterat, olim emendicare mavult. Merito Princeps & ordinaria imponit vectigalia Eccleſiaſticis, & extraordinaria, hæc, ſi vult, Pontifice ſalutato, ſi neceſſitas ultima 428
aliud imperet, etiam inſalutato. *De Principis jure judicandi Eccleſiaſticos*, immo de omni ejus jure judicandi ſuos, pro diverſitate cauſarum pronunciandum eſt, non pro illa ſtatus diverſitate, qua alii ſunt Clerici, alii Laici. Si cauſa eſt Eccleſiaſtica, C. 11
verbum & ſacramenta concernens, ad tribunal Eccleſiæ pertinet, ſin civilis, Principis eſt cognitio, nullo aut perſonæ, aut loci, ſed unius cauſæ habito reſpectu. *De eo, quod* p. 474
dicunt, Pontificem non falli, ſupereſt quæſtio. *Rogavi pro te, Petre*, inquit Chriſtus, *ne fides tua deficiat*. Ubi notes, non dici, C. 12 p. 506
ne tu deficias, ſed, ne fides tua. Homo errat vel opinione vel actione. Hac ſæpius & graviter errarunt Pontifices. Et ſatius eſt eos non errare, nec tamen neceſſe eſt. Opinione ne errent, hoc datum Petro & ſucceſſoribus, ut regant Eccleſiam. Qui vero? nunquam Pontifices opinione errarunt? Ita eſt. Sed tu diſtinguas inter legem divinam & poſitivam. Illius interpres eſt Papa 518
non errans. In his & fallit ſæpius, & fallitur. 522

Prolixiores fuimus in Parte prima, in ſecunda nobis licebit eſſe brevioribus, in qua Sarpius iis, quæ a curia Romana contra Venetos ea tempeſtate allegabantur, reſpondet. Indignabatur Paulus V, I *impediri eccleſiaſticos & pia loca, quo minus fundos acquirere poſſint*. Ne nempe Laici aliquando redigantur ad 76
incitas. Licet heredem inſtituere Eccleſiam, licet libere legare, donare, etiam immobilia, ita tamen, ut intra biennium vendantur, pecunia inde redacta apud argentarios aut privatos aut publicos in ſeræ poſteritatis commoda fœnori danda eſt. II *Bona* 88

na Eccleſiaſtica locata præſcriptione amitti, & conductori per modum emphyteuſeos acquiri. Scilicet Lex eſt Venetorum; ſortem per triginta annos non repetitam acquiri debitori eatenus ut perpetuas in poſterum ſolvat uſuras, & locatorem, non facta per eadem annorum curricula relocatione, privari dominio, ſaltim utili, & locationis conductionis negotium degenerare in ſpeciem Emphyteuſeos. Huic legi Senatus bona eccleſiaſtica ſubjici voluit, ita tamen ut debitori & conductori id demum juris intra quadraginta annos in re Eccleſiaſtica acquiratur, quod in

p. 97 re alia intra triginta. III *Eccleſiaſticos crimínoſos in foro Laico judicari, cauſas etiam Eccleſiaſticorum civiles ad idem judicium trahi.* Satis diſputatum eſt de hoc jure Partis prioris c. 9, & eſt mitior juſto Reſpublica Veneta, quod Laicos actores in cauſa

100 civili reos Eccleſiaſt. coram Nuncio convenire patiatur. IV *Impediri Epiſcopos, quo minus in cauſis mixti Fori in Laicos, & in cauſis corporis afflictivis in eccleſ. animadvertere poſſint.* Verum enim vero cum plurima ſint fori mixti, brevi omnis Principi eriperetur poteſtas, niſi debito modo huic malo iretur obviam. Satius eſſet, Epiſcopi munere fungi, quam Principis officio. Ille enim haberet Imperii commoda, neſciret onera. Neque ea poteſtas eſt Epiſcoporum iis in locis, quorum etiam proprietas ad Eccleſiam Romanam pertinet. Ceterum in criminibus eſt differentia, non in perſonis, quæ ea committunt. Si Eccleſiaſticum eſt, cognitio cauſæ ad Tribunal Inquiſitionis pertinet, ſi non eccleſiaſt. de eo Princeps ſtatuit, ſive ſit ille Laicus, ſive Ec-

110 cleſiaſticus. V *Impediri Epiſcopos in viſitationibus Xenodochiorum, locorum piorum, Confraternitatum, & Montium pietatis.* Sed cum loca pia a Laicis adminiſtrentur, a Laicis etiam, ſi originem ſpectes, proficiſcantur, Principis eſt curam illorum gerere.

120 Neque enim omne pium etiam dixeris Eccleſiaſticum. VI *Concilium ſibi vindicare cauſas Beneficiarias, &, ſi quis Romæ ſibi proſpexerit, cogi ut renunciet literis, quas* ab impetratis *appellant.* Hoc vero eo pertinet, quod unus ſit imperans in re publica, nec alterius ſit, judicare de iis, quæ ad fidem, ad divina non referuntur. Neque enim Senatus nominationem ad beneficia ſibi ſumit, ſed inter eos, qui nominati ſunt, judicat, quis alteri jure

præ-

præferendus ſit, ex quo ſua ſponte ſequitur, renunciandum eſſe
a ſuis iis, quæ hanc ſtatus autoritatem convellunt. VII. *Exigi ab* p. 118
Eccleſiaſticis vectigalia. Et quidem ſummo jure. Si curia Roma-
na Venetos ex nihilo aliquid, ex ferro aurum conficere docuerit,
huic querelæ ſtatim facient ſatis. Eccleſiaſticus ut videat Solem,
oculos aperiat, ut ſocietatis commoda perſentiat, zonam refe-
ret, neceſſe eſt. VIII. *Vim inferri Regularium conſtitutionibus &* 134
liberis conciliis, adſtringique, ut Prælatos conſtituant Venetos.
Ipſorum bono ita conſtitutum eſt, ut ne habeant Præſulem alium
quam Venetum, cui potius quam extero cum ſuis conveniet.
Neque ſane Venetorum honores, dignitates, & bona ad alios
quam ad Venetos pertinent, neque Romanenſes in Antiſtibus
Venetis id injuſtum æſtimabunt, aut iniquum, quod a S. R. E.
Cardinalibus ab Adriani VI temporibus in eligendo Pontifice
Romano obſervatum eſt. IX. *Lites inter Eccleſiaſticos ortas in fo-* 140
ro politico intendi, neglecto Tribunali Nuncii Pontificii eccle-
ſiaſtico. Id vero non culpa Reipublicæ, ſed voluntate Eccleſia-
ſticorum fit, qui cauſam ſuam ſponte ad Laicum tribunal defe-
runt; quibus, cum cives ſint, jus denegaſſe, bonum imperantem
non decet. X. *Velle Venetos, ut Epiſcopi poſſeſſionem temporalium a* 144
Senatu petant, nec admittere alios ad Antiſtitis dignitatem, niſi
quos Cardinalis Venetus commendaſſet. Poſſeſſionis magna vis
eſt, magna commoda, quæ ne a quolibet, falſo forte aut nullo
titulo gaudente, temere ambiatur, providere, intereſt rei-
publicæ, intereſt Candidatorum; illa vero commendatio per
Cardinalem Protectorem fieri ſolita, eſt quædam ſummorum
Principum prærogativa; cum ille reliquis rectius Petitorem no-
verit. Nec eſt, cur Aula Romana harum cerimoniarum cauſa
fluctus moveat in ſimpulo; Princeps in ſuo ſuo jure uti po-
teſt, nec opus habet, ut foris ſuffragia colligat, cum ipſe domi
uno edicto rem conficere poſſit. XI. *Penſionibus quoque obicem* 159
ponere Senatum, & debitores moroſos tueri. Et merito, cum ad
temporalia pertineant. Origo Penſionum eſt, quod ditiores
Epiſcopi olim aliis, qui egebant, de ſuo aliquid ſolverent, quod
inde in perpetuum jus verti cœpit, & abuſui feneſtras aperuit.
Fieri enim id ſolet Romæ, ut dodrans aut deunx penſionibus ex-

hauriatur, cura omni & onere Nominato cum exiguo lucello
relicto. Intereſt itaque reipublicæ, providere, ne Epiſcopatuum
reditus ultra fas & modum, & infra Antiſtitis dignitatem di-
minuantur, & fortunæ Venetæ obliquo itinere ad indignos, ex-
p. 186 teros aut ipſos Reipublicæ hoſtes perveniant. XII. *Impediri Or-
dinarios excommunicatione uti in caſibus a Canonibus præceptis;*
& XIV. *tolerari Schiſmaticos, Hæreticos, Concubinarios, &
Uſurarios.* Ea poteſtas Ordinario tribui non poteſt, ne biceps
oriatur reſpublica; in iis nempe cauſis, quæ ſua natura ad Laicum
tribunal pertinent. Sed videamus de hac re magis diſtincte.
Hæreticos Inquiſitionis Tribunal perſequitur, ita tamen ut e-
mendare magis ſtudeat, quam perdere. Schiſmatici magnam
partem ditionis Venetæ tenent, quos ab urbe Domina æternum
arceri, eſſet iniquum, vi ad meliorem ſententiam adigi, etiam
periculoſum, cum ſatis conſtet, homines religionis cauſa omnia
experiri, & experimento didicerimus, Græcos homines præ i-
ſto Pontificis dominatu malle Turcicam ſervitutem. Concubina-
rii & Uſurarii pariter legem divinam violant, hæc tamen diffe-
rentia, quod hi proximum etiam lædant. Conſtitutus itaque
eſt hujus criminis ergo peculiaris Venetiis Magiſtratus. Illis
nec Lex nec Tribunal ſatis eſt. Bonis potius moribus coercen-
tur, quam pœnis. In tanta criminum fœcunditate, ea, quæ
tranquillitatem publicam non lædunt, divino judicio, certe gra-
210 viſſimo, relinquuntur. XIII. *Vota Monaſtica infringi, proximis
cognatis petentibus, & ſeductionem allegari; aut ſi relinquan-
tur Monaſterio, non ſequi eos bona.* Nihil Senatus ſibi in hac re
indulget, quam ut grande periculum avertat, quod ex ejuſmo-
di ſeductionibus oriri ſolet honeſtiſſimis familiis. Divino nu-
tu, ajunt, hoc factum eſt; ille vero humanis conſiliis ſe ex-
ſtingui non patietur. Redeat ille olim, ſui juris, ſuæ poteſta-
tis, & eo certiorem hominis peculiari ratione ad ſacra vocati fe-
ret laudem. Quod autem eos, qui obſtinato animo ad priſtinum
ſtatum redire nolunt, bona non ſequantur lege Veneta, hoc de-
mum eſt mali remedium, hoc Lapis Lydius, ex quo demum pate-
bit, num unica animæ, an major fortunarum fuerit ſpes atque
218 cura. XV. *Vim denique inferri liberæ per Mare Adriaticum Navi-
gationi,*

gationi, dum ii qui merces Romandiolæ navibus advehunt, certa portoria ſolvere compelluntur. Hæc cum Dominio Venetorum in Mare Hadriaticum innitantur, docta diſſertatione illud explicat Sarpius, & jure agere Venetos contendit; ſed iſta quidem prolixiora ſunt, quam ut a nobis, dicendo longius jam provectis, paucis dici poſſint. Nec Bulla Pauli V, in fine operis addita, nos morabitur. Doctrinam, judicii acumen, & dicendi libertatem nemo jure in hoc ſcripto deſiderabit, quamvis forte fatendum ſit, eſſe, quæ (ut taceam de illis, qui Jura Principum circa Sacra ex purioris religionis præceptis rectius callent) Pontificii quoque Cis-Alpini in opinionibus Theologi trans Alpes conſtituti, & Germani Juris publici Conſulti, in doctrina Conſiliarii Veneti atro calculo notabunt.

A TREATISE CONCERNING THE OPERAtions of the holy Spirit &c.

h. e.

TRACTATUS DE OPERATIONIBUS SPIritus Sancti &c. Autore HENRICO STEBBING, M. A. Rectore Rickinghallii in Suffolcia.

Londini, apud Henr. Clements, 1719, 8.
Plag. 19.

DEbet hic tractatus origines ſuas ac nobiliſſimam ſui partem ſcripto cuidam, quod contra D. Owenum, Theologum Anglum, ediderat D. Guilielmus Clagettus, non ſine approbatione virorum cordatorum, qui cum partibus Remonſtrantium inter Anglos in nonnullis capitibus faciunt. Præciſis igitur iis, quæ non tam argumentum, quam adverſarii perſonam attinebant, quorumque notitia poſt fata Oweni parum hanc noſtram ætatem juvat, tractatum illum ita refinxit Autor doctiſſimus, ut defectum hunc largis additionibus, ad rem ipſam pertinentibus, reſarciret, quas tamen ſignis quibusdam ab iis, quæ ipſius Clagetti ſunt, luculenter diſtinxit. Ubi adverſæ partis, Reformatorum ſcilicet, ſententia proponenda fuit, placuit doctiſſimo

 Autori

Autori Turretinum imprimis allegare, cujus doctrina receptiſſima omnium videbatur, cujusque adeo verba ipſa latine appoſuit. Addere quidem antea conſtituerat Clariſſ. Autor diſcurſum quendam de regeneratione & fide ſalvifica; verum quod in juſti libelli molem jam aſſurgeret hæc opera, viſum ipſi fuit tractatum illum, a præſente argumento paulo diverſum, alio tempore edendum reſervare.

Præmittitur ipſi tractationi introductio, in qua ſtatum controverſiæ ita format Autor doctiſſimus, ut agendum ſibi eſſe doceat de ordinariis Spiritus Sancti in mentibus hominum operationibus, quæ in Evangelio Chriſti hominibus quoad omnes Eccleſiæ ætates promiſſæ ſunt, & per quas certæ qualitates, e. g. fides, charitas &c. in ipſis in ordine ad ſalutem ſunt producendæ. De iis ita agere conſtituit, ut primum doceat, quidnam ſint illi effectus, ad quorum productionem in animis hominum Deus dare vult Spiritum Sanctum in omnibus Eccleſiæ ætatibus. Deinde, quid faciat Spiritus Sanctus ad illos effectus producendos. Tertio, quinam ſint illi, ad quos promiſſio Spiritus S. pertinet. Tandem, quænam ſit indoles ac ratio harum operationum.

Cap. I. §. 1 Capite igitur primo in genere docetur, quinam & quales ſint illi a Spiritu S. divinitus nobis dato in mentibus hominum producendi effectus: tales nimirum & quidem unice tales, quos neceſſe eſt Spiritum Sanctum in nobis producere. Fundamentum hujus aſſertionis oſtenditur in bonitate & ſapientia Dei, quarum prior non patitur, denegari nobis a Deo neceſſaria ſui Spiritus dona, poſterior illis imprimis, præ aliis omnibus, donari nos jubet.
§. 2. 3 Illuſtratur hoc amplius ex verbis Chriſti Luc. XI v. 5-13, ubi neceſſitas & indigentia dandi muneris aut manifeſte indicatur, aut evidenter ſupponitur.
4 Ubi tamen obſervatur, neceſſitatem hanc ſpectari in ordine ad æternam ſalutem, quæ cum ſit finis principalis novi fœderis, neceſſario etiam finis eſt harum promiſſionum, quæ in illo fœdere continentur.
5 Neque ad ea tantum hæc reſtringenda ſunt, quæ abſolute ſunt neceſſaria, ſed ea quoque hic comprehenduntur, quæ proficua nobis & utilia ſunt ad ſalutem, ſiquidem Deus hic ſub amici aut patris perſona inducitur, qui non ea tantum quæ abſolute neceſſaria ſunt

ſunt, ſed ea quoque ſuppeditat quæ uſibus reliquis conveniunt. Verum hoc poſterius tantum in genere & citra ſtrictam determi- §. 6
nationem ad ſpecialia quævis intelligi debere monetur; quousque enim Deus in dandis iis, quæ proficua tantum, nec abſolute neceſſaria ſunt, progredi velit, id ſapientiæ ejus relinquendum, neque ex bonitate ipſius, ſed promiſſionibus particularibus dijudicandum.

Jam ubi diſtinctius & ſpecialius ea Capite II explicanda ve- Cap. II. §. 1
niunt, inquirendum ſibi eſſe animadvertit Autor, cum quæ ſint ad ſalutem neceſſaria, tum an Spiritus Sancti auxiliis & operationibus ad ea opus habeamus. Quæ ad ſalutem abſolute ſunt §. 2
neceſſaria, quatuor hæc eſſe deprehendit: 1) fidem in Chriſtum, qua eum credimus eſſe filium Dei, cujus autoritate tuto niti poſſimus, qualescunque nobis divinæ voluntatis revelationes patefecerit; 2) tantum cognitionis Chriſtianæ, quantum neceſſe eſt hominibus ad pœnitentiam & ſanctimoniam adducendis; 3) Virtutes Chriſtianæ vitæ practicas; 4) Perſeverantiam. Quæ omnia commode ad duo, fidem ſcilicet ſenſu latiori & obedientiam referri poſſe dicuntur. Quæ ad ſalutem proficua & utilia 3
tantum ſunt, ea continentur in diverſis gradibus tum cognitionis tum ſanctimoniæ & immunitatis ab iis nævis, qui peccata infirmitatis vocantur. Quod verò ad illas qualitates conſequendas 4
auxiliis Spiritus Sancti opus habeamus, jam ulterius probatur. Et quidem I, ratione fidei, ad quam tria pertinere dicuntur, ſcilicet 1) ut doctrina Evangelii clare proponatur intellectui, 2) ut adſit ſufficiens evidentia, eſſe eam divinitus revelatam, 3) ut mens præparetur & diſponatur ad apprehendendum propoſita & recipiendos bonos motus, per eam evidentiam producendos. Exiſtimat vero Noſter, priora duo requiſita citra hoc ultimum minimi fere momenti eſſe. Quantacunque enim claritate doctrina Evangelii intellectui proponatur, quantumvis etiam ſtringant argumenta, quibus divina ejus origo evincitur, non tamen convictum iri eos, qui aut non attendunt ad eam omnino, aut in quibus argumenta illa impedimentis quibusdam ſive naturalibus ſive acquiſitis ab effectu ſuo ſuſpenduntur. Quum ergo neque immediata inſpiratio doctrinæ neque immediatum teſti-

monium divinitatis Evangelii hodie ſint expectanda, neceſſe ſaltem eſſe, ut per Spiritus Sancti opera corda ad amplectendum Evangelium, evidenter ſatis propoſitum, diſpenantur. Gratiam
§. 5 illam prævenientem probat ex Joh. VI, 44, quorum verborum hunc facit ſenſum: Non habetis, quod in verbis meis offendamini. Vera eſt doctrina mea veſtræque incredulitatis cauſa non eſt, quod ſufficientia convictionis media non habeatis, ſed quod propter pertinaciam veſtram gratia Dei nondum animos veſtros illi rei præparavit, neque in vobis illam mentis habitudinem ac ſtatum produxit, quo ſine nullus hominum in me vere credere poteſt, quem vero quicunque habuerit, diſcipulus meus fiet.
6 Antequam ad reliqua pedem profert, duas præſtruit regulas, quarum prima eſt, quod preces pro re aliqua ejus rei neceſſitatem & indigentiam ſupponant: altera, quod preces pro gratia & virtute quadam, ubi nullum deeſt mediorum externorum, ſint ipſæ illæ preces pro Spiritu S. Unde ſequitur, omnia illa Scripturæ loca, ubi aut ipſi ſcriptores ſacri preces fundunt, aut fundere Chriſtianos jubent pro communi quadam gratia ac virtute, eſſe argumenta evidentia, quod ad conſequendas illas dotes & gra-
7 tias ope Spiritus Sancti nobis opus ſit. Cujus proinde neceſſitatem ratione cognitionis arguunt dicta Jac. I, 5, Col. I, 9, 10, ratione obedientiæ Matth. VI, 10, 13, ubi tamen expreſſa quoque
8 Chriſti effata habentur, Joh. XV, 5, & cap. III, 3, coll. Tit. III, 5. 6,
9 Rom. VIII, 8, 9, 13, 14, ratione perſeverantiæ & incrementi in bono Eph. III, 14, 16, 1 Theſſ. III, 13, 2 Theſſ. II, 17, 1 Theſſ. III,
10 12, Phil. I, 9, 10, 11, Hebr. XIII, 21. Unde tandem infertur, fidem, obedientiam, augmenta cognitionis & ſanctimoniæ eſſe eos effectus, ad quorum productionem Deus Spiritum ſuum quoad omnes ætates vult impertiri. Ex quo deducuntur poriſma-
11 ta. 1) Eum, qui credit in Chriſtum & mandata ejus ſincere ſervat, habere Spiritum Dei; 2) fruſtra ſupponi, Deum iraſci nobis quantumvis ſanctimoniæ ſtudeamus, ſi interea non habuerimus Spiritum Dei, quum prius non poſſit eſſe ſine poſteriori; 3) fruſtra fidem & obedientiam noſtram ab una, & τὸ habere veram gratiam ab altera parte, diſtincta regenerationis ſigna conſtitui.

Ad

Ad alteram tractationis Partem, eamque plurimis diſputationibus obnoxiam, quum prior ſaltem Pelagianos habeat adverſarios, jam pervenit Autor, quid nimirum faciat Spiritus ad productionem illorum effectuum. In eo ſcilicet conſiſtere hanc operationem docet, ut induat nos qualitatibus quibusdam moralibus, quæ neceſſariæ ſimul & aptæ ſint hominibus ad fidem & obedientiam adducendis. Neceſſitas gratiæ hujus præparatoriæ demonſtratur ex parabola de ſemine Matth. XIII, oſtenditurque, qualitates illas morales omnes comprehendi in corde bono ac honeſto, Luc. VIII, 15. Illud ergo cor bonum ac honeſtum ſpecialius includere dicitur humilem ac docilem ſpiritum, conf. Matth. XI, 29, Marc. X, 14, Joh. X, 25, ac juſtum æſtimium vitæ æternæ, quorſum refert Joh. V, 44, 2 Cor. IV, 4, atque ut probet Autor, hæc duo cor illud bonum ac honeſtum, a Salvatore unice requiſitum, abſolvere, oſtendere aggreditur, illa non ſaltem neceſſaria eſſe ad fidem, obedientiam & reliqua, ſed etiam plene ſufficere hominibus ad illa adducendis, adeoque totum illud conficere, quod per bonum ac honeſtum cor intelligitur, unde in productione illarum qualitatum & quæ illuc pertinent ac requiruntur, conſiſtere operationem Spiritus Sancti, non immerito credi, colligitur. Quas vero alii prætendunt operationes Spiritus Sancti, quales ſunt, 1) ut Spiritus Sanctus debeat doctrinas Evangelii vel omnibus Chriſtianis, vel ſaltem quibusdam immediata quadam inſpiratione revelare 2) ut per immediatum teſtimonium de divinitate Scripturarum certos nos reddere debeat, eſſe eas verbum Dei, 3) ut per immediatam inſpirationem ſenſum Scripturæ nos doceat & peculiariter quidem, quod ad controverſias religionis attinet, 4) ut debeat per immediatam inſpirationem vocare homines ad opus miniſterii Eccleſiaſtici, 5) ut debeat ſuggerere nobis & verba & res precum ad Deum fuſarum, 6) ut dare debeat hominibus abſolutam certitudinem de æterna eorum ſalute: eas omnes neque neceſſarias, neque in ſacra Scriptura promiſſas eſſe, Autor judicat, cui rei tractandæ locisque Scripturæ, quæ in contrarium allegantur, vindicandis, integrum Cap. IV & V impendit.

Cap. III. p. 28 §. 1 — 2 — 3. 4 — 5 — 6. 7. 8 — 12 — Cap. IV & V

Tertia ſequitur tractationis Pars, quæ jam de iis agit, quibus Spiritus Cap. VI

§. 1 Spiritus Sanctus ad producendos illos effectus promittitur & confertur.
2 Ubi diſtinguitur gratia in communem & peculiarem. Communis gratia dari docetur omnibus, quibus Evangelium prædicatur, unde eos omnes, qui audiunt, credere poſſe
3 concluditur. Specialis vero gratia datur iis, qui præſtant conditiones, ſub quibus illa promiſſa eſt, i. e. ſi pro ea conſequenda humiles preces fuderimus, ac jam accepta rite uſi fuerimus. Un-
4. 5 de primo colligitur, quod obedientia poſſibilis ſit omni, qui
6 credit, quod ulterius ex juſtitia & bonitate Dei confirmatur, re-
7 ſpondeturque objectioni, ex peccato Adami deſumtæ, quæ reſponſio amplius deducitur ex conſideratione bonitatis divinæ & miſericordiæ, quemadmodum & ex ſapientia & veracitate divi-
8 na ulterius probatur, poſſibilem eſſe obedientiam omni credenti,
9 quod argumentum in ſummam collectum opponitur abſoluto
10 reprobationis decreto. Deinde ex eadem doctrina infertur, poſſe omnes credentes incrementa cognitionis & pietatis capere, quæ tamen regula diverſis limitationibus reſtricta eſſe oſtenditur.

Cap. VII Ultima reſtat materiæ pertractandæ Pars, de indole & ra-
§. 1 tione harum operationum Spiritus Sancti. Quo de argumento, poſtquam obſervavit Autor modeſte hac de re agendum eſſe, quum hic æque clara Scriptura non definiat ac in præcedentibus;
2 generales quasdam regulas ponit. Prima earum eſt, eſſe illas operationes hujusmodi, ut nihilominus fides, obedientia &c. ſint effectus verbo Dei proprii. Altera eſt, modum harum opera-
3 tionum naturæ humanæ convenientem eſſe. III. per illas no-
4 ſtram curam & diligentiam non excludi, aut inutilem & non ne-
5 ceſſariam reddi. IV. operationes Spiritus habere ſuos gradus & proportionem ad præſentem ſtatum ſpiritualem. V. eſſe eas inſenſibiles & percipi non poſſe, id quod ipſas diſtinguit ab im-
Cap. VIII mediata revelatione. Exin jam infertur illa maximi momenti concluſio, operationem Spiritus Sancti irreſiſtibilem non eſſe, quæ materia pro ſua dignitate ſolide ſatis & prolixe per reſidua
§. 1 hujus operis capita pertractatur. Formato ſtatu quæſtionis, qui huc redit: an poſitis omnibus gratiæ operationibus, quibus ad converſionem in nobis efficiendam Deus utitur, maneat tamen

ita

ita converſio in poteſtate hominis, ut poſſit ſe convertere & non
convertere? adjectis inſuper nonnullis obſervationibus, expo-
ſitaque doctrina adverſariorum ſpecialius, oſtenditur, ſenten-
tiam, quæ irreſiſtibilem gratiam ſtatuit, prioribus quatuor re-
gulis generalibus ſuperiore capite expoſitis e diametro adverſari.
Ubi, ad ſecundam regulam quod attinet, ii confutantur, qui ir- §. 6
reſiſtibilem gratiam cum libertate hominis conciliare ſtudent.
Idem jam dogma impugnatur porro ex mandatis, exhortationi- Cap. IX.
bus, promiſſionibus & comminationibus Scripturæ generalibus,
oſtenditurque, doctrinam adverſariorum, & conciliationes cum
iſtis rebus aut falſas aut a quæſtione alienas eſſe, Deumque hypo-
criſeos & malæ diſſimulationis poſtulare. Unde tandem infer-
tur, poſſibilem eſſe converſionem, ſine tali operatione, quæ non-
converſionem impoſſibilem reddat. Quæ doctrina a Pelagiani-
ſmi nota liberatur, & confirmatur ulterius ex evidentibus Scri- Cap. X
pturæ S. oraculis, quæ manifeſte ſupponunt, poſſe divinæ ope-
rationi reſiſti. Specialius nunc ea conſiderantur, quæ pro aſſe-
renda gratia irreſiſtibili ſolent allegari, ſive illa deſumta ſint ex
ſtatu & conditione hominis ante ſui converſionem, ſive ex dictis XI
Scripturæ S. in hunc ſenſum detortis, ſive demum ex conſequen- XII
tiis, quæ ex doctrina illa, qua gratiæ divinæ reſiſti poſſe ſtatuitur, XIII &
deduci ſolent, tandemque etiam fieri poſſe demonſtratur, ut ho- XIV
mines jam converſi gratia denuo excidant. Quæ diſtinctius pro- XV
ſequi non patitur ratio inſtituti noſtri: ea vero, quæ indicavimus,
ſufficere arbitramur, ut lectoribus ſaliva moveatur, ipſum opus
curatius perluſtrandi.

Univerſa vero doctrina ad practicas quaſdam illationes ca- XVI
pite ultimo applicatur, omneſque malos inexcuſabiles eſſe oſten- §. 1
ditur, per doctrinam illam de operationibus Spiritus Sancti, pro- 2
ut hactenus fuit expoſita. Neque enim ut efficaciſſima ſint illa
ad virtutem & pietatem incitamenta, amplius quicquam requi-
rit, ſive reſpicias ad finem, cujus gratia promittitur Spiritus S. 3
ſive ad eos attendas, quibus promittitur, ſive tandem modum & 4
indolem operationum ejus conſideres. Doctrina vero, quod o-
mnes virtutes adhuc ſint verbi divini effectus, valde ad diligenti-
am excitat; doctrina, quod Spiritus Sanctus illos effectus, non

producat ſimul & ſemel, remedium eſt adverſum præſumtionem ex una & deſperationem ex altera parte. Doctrina, quod inſenſibilis ſit operatio Spiritus Sancti, munit nos contra deluſiones fanaticas, viaque ordinaria, qua ille operatur, eo tendit, ut media gratiæ externæ efficaciam in nos ſuam conſequantur.

JUGEMENS DES SAVANS &c.

hoc eſt,

GIBERTI JUDICIA DE SCRIPTORIBUS Rhetoricis. Tomus III.

Pariſiis, apud Pet. Alex. Martinum, 1719, 8.
Alph. 1.

EN tertium eundemque poſtremum hujus Operis Tomum, quo ad noſtram usque ætatem ſecundum ordinem annorum recenſentur, qui ſupererant, libri Rhetorum. Principem hic locum tenet *Voſſius*, qui quatuor Opera rhetorica reliquit, in quibus judice Noſtro elucet ſumma eruditio, varia lectio, ſtudium juvandi literas, & accuratum judicium. Illud ſolum reprehendit, quod nimium ſit diffuſus, quodque plurimas inſeruerit digreſſiones, quas ipſi copioſa ſua eruditio ſuppeditarit. Sequitur *Albertus de Albertis*, Jeſuita, cujus *Actionem in eloquentiæ corruptores* Morhofius contemnit, at Jeſuitæ Trevoltienſes magnopere laudant. Noſter Criticus primo methodum carpit Alberti, deinde totum ejus librum ait eſſe declamationem frigidam atque puerilem. De *Nic. Cauſini* Opere *de eloquentia ſacra & profana* plurium elogia magnifica poſtquam protulit Noſter, ipſe judicat, Cauſinum nec ſatis accuratum eſſe nec ſatis methodicum. Hoc pluribus perſequitur, & alia quoque vitia Cauſiniani Operis notat, maxime crebras easque inutiles digreſſiones. Imo plane contemnit hoc Opus, ejusque lectionem diſſuadet eloquentiæ ſtudioſis. *Pelleterii*, Jeſuitæ, *Reginæ palatium eloquentiæ* amplum eſt opus, ſed (loquimur e ſententia Critici, cujus & ſequentes ſunt ἐπικρίσεις, non noſtræ,) non minus oſtentationis,

quam

quam eruditionis, habens. *Jacobi Maſenii Palæſtra oratoria*, ejusdemque *Palæſtra ſtyli Romani*, ineptiſſimis referta eſt digreſſionibus. Materiam tamen de affectibus perbene tractavit. *Martini du Cygne*, Jeſuitæ, Rhetorica Noſtro ſatisfacit ex omni parte. *Bailii Sapientia foris prædicans* eſt liber laude dignus. Recenſentur in eo clari oratores eccleſiaſtici, eorum vita perſtringitur, ac de eorum eloquentia judicium fertur. *Guerreti* liber ita inſcriptus: *Entretiens ſur l'eloquence de la Chaire & du Barreau*, non quidem ſolide elaboratus, attamen ingenioſus lectuque dignus eſt. *Motthius Vayerius* ſcripſit *Conſiderationes eloquentiæ Gallicæ*, itemque *Rhetoricam Principis*. Utrumque librum copioſe Noſter perluſtrat & non mediocri laude ornat. *Beurierii* Compendium Rhetoricæ Chriſtianæ & obſcuritatis vitio laborat, & ſtylo caret polito. In *Ludovici Wolzogenii* Rhetorica eccleſiaſtica complura notat Criticus noſter. *Renatus Bary* in Rhetorica Gallica inutiliter immoratur Locis Topicis, & multas vanas ſubtilitates proponit. *Georgii Mackenſei* Idea eloquentiæ forenſis hodiernæ merito laudatur. *Franciſci Pomey Novus Rhetoricæ Candidatus* non magni fieri meretur. *Ægidius Duportius* in ſua Arte concionandi plura promittit, quam præſtat. Atque hæc *Ars concionandi* expers artis eſt, & omnia tractat perfunctorie. *Rapinus* Jeſuita ſcripſit Comparationem Demoſthenis & Ciceronis, item Meditationes de eloquentia. Prior liber eſt admodum imperfectus minimeque ſolidus. In poſteriori etiam libro mala multa bonis ſunt immixta. Morhofius utrumque librum immeritis extollit laudibus. Rapinus enim omnia ſcribit negligenter ac perfunctorie, magnoque cum faſtu inſtituit docere alios artem, quam ipſe nondum recte didicit. *Buhurſius*, Jeſuita, edidit Modum bene cogitandi, qui titulus videtur ſignare Logicam, ſed revera liber ille inter Rhetorica ſcripta referendus eſt. Quæ bona ſunt in hoc libro, mutuatus eſt Autor ab Ariſtotele, tantummodo exempla adjiciens. Præter alia in hoc libro reprehendenda nec illud laudari poteſt, quod Buhurſius multa quidem exempla dictorum ſibi perplacentium ex aliis exhibet autoribus, non autem exponit, quam ob cauſam illa dicta ſibi placeant laudemque mereantur. *Vaumorierii* Orationes omnis ge-

neris, una cum Arte eas componendi, exſtant, qui liber inter perfunctorie conſcriptos eſt referendus. Reprehendit ille autor quatuor in Virgilio, quæ reprehendi haud merentur. Alia quoque Criticus noſter notat in hoc Opere. *Jarryæi* Judicia de miniſterio Evangelico una cum Cogitationibus de eloquentia eccleſiaſtica prodierunt A. 1689. Hic poſtquam egit de ſumma dignitate muneris ſacerdotalis, oſtendit, nullum genus eloquentiæ non exhiberi in Scriptura Sacra, (id quod multis demonſtrat exemplis,) adeoque ſacerdotem etiam decere eloquentiam. Non autem proponit regulas certo ordine, ſed vagas meditationes. Errores vero non paucos commiſit, e. g. cum docet, ad conſequendam eloquentiam non eſſe opus, ut audias legasve bonos rhetoras & oratores, ſed unumquemque ſibi effingere regulas debere ingenio ſuo congruentes; cum ſimplicitatem ſtyli male deſcribit; cum eccleſiaſticam eloquentiam diverſam eſſe tradit ab eloquentia civili. *Brettevillæi* Eloquentia forenſis & eccleſiaſtica eſt Rhetorica, quæ nihil affert novi, imo multis laborat vitiis, quibus tamen ideo ignoſcendum videtur, quia liber eſt poſthumus. *Gilleti* Diſſertatio de lingua Gallica, cui adjectæ ſunt regulæ eloquentiæ, & comparatio veteris Romani fori cum foro hodierno, præter alia multa etiam ob id notari meretur, quod Gallicam linguam & eloquentiam Gallicam immerito præfert eloquentiæ Latinæ & Græcæ. *Boiſſimonius*, qui A. 1698 edidit *Pulchritudinem veteris eloquentiæ & Affectatam elegantiam recentioris*, ad quidvis potius aptus erat, quam ad ſcribendum de arte rhetorica judicium. Autor libri ſub titulo *La Rhetorique de l' honnête homme* editi magnifice quidem ipſe laudat ſuam methodum, ſua præcepta, ſua exempla, ſed iis laudibus minime dignus eſt. *Bordius*, qui A. 1700 ἀνωνύμως edidit *Optimam rationem concionandi*, nec ſolide ſcribit nec diſtincte. Eodem anno prodierunt *Meditationes de eloquentia:* quo in Opere continentur tria opuſcula, *Arnaldi* diſſertatio contra Boiſium, *Sillerii*, Epiſcopi Sueſſionenſis, Epiſtolæ duæ ad Lamium, & *Lamii* Epiſtola ad Sillerium. Arnaldus & Sillerius eandem tuentur ſententiam, prementes veſtigia Auguſtini, Caroli Borromæi, & Aug. Valerii. Contra Lamius & Boiſius ingenioſe defendunt cauſam

malam

malam. Condemnant enim omnem eloquentiam, ſaltim eccleſiaſticam. Noſter Criticus utriusque ratiunculas recitat ac ſimul refutat. *Franc. Vavaſſoris* de ludicra dictione liber laude dignus eſt. Debebat vero accuratius definire, quid ſit dictio ludicra. A. 1701 Anonymus quidam edidit *Regulas bonæ & ſolidæ orationis eccleſiaſticæ.* Hic rejicit plane eloquentiam e cathedra ſacra, ſed male & confuſe ratiocinans. *Lamii* Ars dicendi (*L'Art de parler,*) ſummopere laudatur a Bailleto, Morhofio, aliisque, qui non videntur hoc Opus accurate perlegiſſe atque expendiſſe. Ipſe etiam Autor jactat, ſe rhetoricam melius & perfectius tradituram ceteris hujus artis magiſtris tum priſcis, tum recentioribus. Sed præterquam quod multa immiſcet argumenta ad rhetoricam non pertinentia, etiam injuſte contemnit antiquos rhetores, ipſe parum ſoliditatis habens. Noſter etiam Criticus multos in hoc libro notat errores, ut oſtendat, Rhetoricam hanc non mereri eam laudem, qua vulgo floret. *Natalis Alexander*, cujus *Inſtitutio Concionatorum* A. 1702 prodiit, meretur laudari, quanquam magis tractat de prudentia concionantium, & in præceptis rhetoricis nimium brevis eſt. *Blaſii Gisberti*, Jeſuitæ, liber *de eloquentia Chriſtiana* eodem anno lucem vidit. Ediſſerit is vitia vulgarium oratorum ſacrorum: hinc de eorum virtutibus agit. Noſter Criticus copioſe refutat ejus errorem, quo ſtatuit, in Eccleſia vetere Judaica non alios fuiſſe concionatores, quam prophetas. Præterea multa reprehendit hoc in libro, cujus ſtylum plane contemnit, miraturque, Opus hoc tantopere commendari a Jeſuitis Trevoltienſibus. A. 1703 prodiit libellus *de vera eloquentia* contra Lamium. A. 1705 idem Anonymus publicavit *Cogitationes de eloquentia* contra eundem Lamium. Utriusque libri autor eſt ipſe *Gibertus* noſter. Hic igitur primo exponit occaſionem, quæ ipſum deduxerit in hanc cum Lamio controverſiam, & hiſtoriam exhibet continuatæ hujus contentionis usque ad mortem Lamii. Hinc docet, Lamium errare, cum ſtatuit, rhetorico ſtudio corrumpi & ingenium & animum hominis, adeoque nihil operæ dandum eſſe illi ſtudio. *Adolphus Clarmundus*, cujus verum nomen eſt *Jo. Chriſtoph. Rudigerus*, in *Exercitatione de præcipuis Topicorum explanatoribus*, quæ

Lipſiæ A. 1708 prodiit, & aliorum & ſuum de unoquoque ſcriptore exhibet judicium. Nimis tamen brevis eſt, nimisque magni facit doctrinam de locis Topicis, cujus vel exiguus vel nullus eſt fructus. *Gaſchieſii*, Theologi Sueſſionenſis, *Regulæ de miniſterio concionatorio*, A. 1711 editæ, plenæ ſunt bonæ frugis, & vix pauca ibi inſunt, quæ non videntur approbari poſſe. *Fenelonii*, Archiepiſcopi Cameracenſis, Dialogi de eloquentia A. 1718 prodierunt. Autor quidem Præfationis ſummis extollit laudibus hunc librum; ſed ipſe Fenelonius, dum librum iſtum in adoleſcentia ſcriptum nunquam edere voluit, ſatis oſtendit, ſuum ſibi librum non viſum eſſe dignum luce publica. Noſter igitur Criticus multis docet, erraſſe Fenelonium, cum Iſocratem judicat fuiſſe malum dicendi magiſtrum, ſimulque tradit, idem de Iſocrate ſenſiſſe Ciceronem, Ariſtotelem, Platonem & Longinum. Plura etiam refellit in opinionibus Fenelonii de eloquentia, tandemque iſtius libri, minus ſolide conſcripti, editorem male conſuluiſſe cenſet famæ Fenelonii. Ita tandem ad finem pervenimus Judiciorum de ſcriptis rhetoricis, quæ cum ſint liberrima, an ubique careant malignitate, aliorum ſit judicium. Annexum eſt p. 505 ſqq. Supplementum Tomi ſecundi, in quo memorat *Guilielmi Ficheti*, Doctoris Sorbonici, Rhetoricam A. 1461 ſcriptam, & *Martini Delphi*, pariter Sorbonici Doctoris, librum de inſtituendo ferme ab uberibus Oratore, A. 1482 ſcriptum. P. 518 ſq. promittit Autor noſter novum Opus ſub titulo: *Jugemens des Savans ſur les Orateurs*, in quo expoſiturus eſt judicia de oratoribus Græcis, Latinis, & Gallicis. Denique totum Opus, quod modo recenſuimus, concludit ſatis amplus Catalogus librorum rhetoricorum, quorum mentionem ac recenſionem prudens Noſter omiſit in Opere ſuo tripartito.

HISTOIRE DE MARGUERITE DE VALOIS, Reine de Navarre, ſœur de François I.

h. e.

HISTORIA MARGARITÆ VALESIÆ, Reginæ Navarræ, Franciſci I Sororis. Tomi IV.

Pariſ.

Pariſ. apud Franciſcum Furnier, 1720, 12 maj.
Alph. 2 pl. 15.

QUi vel in Sammarthani *Elogiis* lib. I p. 26 ſq. hujus Margaritæ, quæ Henrici IV Galliæ Regis avia fuit, legerit encomium, is cupide in hoc, quod offerimus, Opus involabit, plenius hauſturus vitæ fatorumque deſcriptionem tam nobilis ſexusque ſui modum ſupergreſſæ fœminæ. Sed dolemus, lectores noſtros a nobis edocendos eſſe, carbones hic reperiri pro theſauro. Dum enim perluſtrare hanc Hiſtoriam cœpimus, non ſine indignatione deprehendimus, autorem maluiſſe fabulatoris, quam hiſtorici, ſuſtinere perſonam, nec hiſtoricorum, ſed amantium muliercularum in gratiam tam longo labore functum eſſe. Scilicet mera hæc eſt fabula Romanenſis, & quidem adeo fabuloſa, ut ex veritate hiſtorica vix quicquam retinuerit Autor præter nomina perſonarum. Ac percommode accidit, ut, dum Bælii Dictionarium evolvimus, recordati, Polyhiſtorem illum ſatis bene commentatum eſſe de Margaritæ illius virtutibus ac ſcriptis, ibi deprehendamus, Opus hoc fabuloſum, de quo loquimur, jam ſuperiore ſeculo & Lutetiæ & Amſtelodami excuſum typis fuiſſe, atque id ipſum debitam Bælio expreſſiſſe indignationem, quod pro hiſtoria tam commemorabilis matronæ poſteritas habeat inſulſam ſolisque amantibus dicam an amentibus placituram fabulam. Cum igitur ea, quam nos exhibemus, non ſit prima hujus libri editio, eo magis abſtinemus a recenſione ejus, tribus tamen verbis relaturi, libro primo tradi, Margaritam, etſi Duci Alenconio nuptam, perpetuo tamen Caroli Burbonii amore arſiſſe: ejusdem Burbonii amore accenſam matrem Margaritæ, cum ſe ſperni videret, adeo crudeli odio perſecutum eſſe Burbonium, ut is conſilium caperet deficiendi ad Carolum V. Imperatorem: Burbonium hinc præfuiſſe illi exercitui, a quo captus ad Ticinum Franciſcus I fuerit: Madriti deinde has propoſitas fuiſſe pacis conditiones, ut Franciſcus I duceret Caroli V ſororem, Eleonoram reginam, Burbonius Franciſci I ſororem Margaritam, amiſſo nuper in prælio Ticinenſi marito viduam: paulo poſt Margaritam veniſſe Madritum, ut captivo fratri

fratri ſolatio eſſet: tum vero eam ſua plane ſingulari pulchritudine ſic cepiſſe Imperatorem Carolum, ut is ipſam habere vellet uxorem: eandem Cancellarium Hiſpanicum, quo cum de pace egerit, formæ ſuæ venuſtate ita faſcinaſſe, ut is Margaritæ morem gereret in omnibus pacis conditionibus: Margaritam denique, audito, Burbonium mutata fide conſtituiſſe ducere regiam virginem Luſitanicam, præ impatientia doloris ſtatim nupſiſſe Regi Navarræ. Sed hæc memoraſſe ſatis eſt, vel etiam plus ſatis.

M. TULLII CICERONIS LIBRI DE DIVInatione & de Fato. Recenſuit & ſuis Animadverſionibus illuſtravit & emendavit JO. DAVISIUS &c. Accedunt integræ Notæ P. MANUCII, P. VICTORII, F. CAMERARII, D. LAMBINI & F. URSINI, una cum HADRIANI TURNEBI Commentario in librum de Fato.

Cantabrigiæ, ſumptibus Corn. Crownfield, 1721, 8. Alphab. 1 plag. $1\frac{1}{2}$

EX Scriptis Ciceronis doctorum Virorum obſervationibus illuſtrandis ſupererant etiam hi libri de Divinatione & de Fato, quorum curam & editionem ſuſcepit Cl. Daviſius. Qui an ad laudem eorum, qui ante ipſum in hoc ſtadio decurrerunt, accedat, re ipſa conſtabit. Certe quæ Lambinus, Victorius cum aliis ad partem hanc expoliendam contulerunt, deſiderari non eſt paſſus. Et viciſſe eos mole ſaltem videtur annotationibus ſuis, quibus ſæpe copiam dedit apparatus trium MSS. a Cl. Editore diligenter collatorum, quia iſtos ad emendandum aliquot corruptelas librariorum haud inidoneos expertus eſt. Ne igitur antiqua memoremus, operæ Daviſianæ, quæ videbuntur, afferemus ſpecimina. De Divinat. Libr. 1 c. 2, *volatibus avium cantibusque, certiſſimis ſignis, declarari res futuras putant:* Noſter legit ex vett. editis *ut certiſſimis ſignis*, quia ipſi particula orationi videtur neceſſaria. Sed opus fuiſſet nominari veteres illos editos, quorum auctoritate orationem neceſſaria particula auxit. Si unicæ

unicæ Venetæ, ut conjicimus, concedendum eſt, conſiderare prius debuiſſet, quæ oppoſuit Guilielmo p. 10. Nam & ſine illa ſermo bene Tullio procedit, ut proceſſit Livio, Horatio, aliis. Cap. 3 contra omnes libros pro *vetere Academia & Peripateticis conſentientibus* legit *veteri Academiæ Per. conſentientibus*, eo, quod præceſſerint *Socratici*, qui nihil aliud fuerint, quam vetus Academia. Verum uti ne hoc quidem ſufficienter probavit Vir Cl. ita & ea ſtante ſententia vulgata lectio bene habet, ſi ſtatuas, quod vulgatiſſimum, Epanalepſin quandam, ut apud Livium XXXII c. XXI, Salluſt. B. Jug. c. 70. Ibidem recte adſentitur Grutero, qui lectionem codicis cujusdam Palatini probavit: *Sed a Stoicis vel princeps ejus diſciplinæ degeneravit Panætius*, pro qua male vulgg. *vel principibus.* Pariter c. 6 pro *extis pecudum* ex conjectura acutiſſima Joſ. Merceri recipit *extiſpicum*, poſtulante ita flumine dictorum, quam emendationem præ multis ſuis aliis in textum recipere potuiſſet. Cap. vero 7 extremo *ſtridor adaugeſcit ſcopulorum ſæpe repulſus* corrigit in *repulſu*, quod aliis dudum in mentem venerat: quia, ut dictitat, Latinitas & ſenſus iſtud requirunt. Sed ſenſum alium fingere liceret, ſtridorem e celſo vertice montis *protendere* ſcopulorum repulſus, ſeu tempeſtatem in mari: ita opponit ſibi invicem ab inflato mari ſæpe ventos præmonſtrari; & contra a ventis altis, ut Virgilius dicit, montibus auditis præmonſtrari motum maris; egregia ſcilicet utrobique divinatione. Sed Cicero ipſe divinationi tantum ſimilia dicit. Hæc de ſenſu: quæ ſi propter Aratum non certisſima videbuntur, Latinitas tamen integra eſt, & illis tantum corrupta, qui neſciunt Virgilii Eclog. VIII v. 4, *ſuos requierunt flumina curſus*, Gellii XII c. 5, *natura inolevit nobis amorem noſtri*, Cicer. de Amicit. c.7, *quod bonam ſpem prælucet in poſterum.* Ita ex vero Latinitas ſalva eſt; Librarii vero *repulſus* primo caſu cepiſſe videntur, qui tam conſtantes, rarum, in ea lectione fuere. *Adaugeſcit* autem denotat *portendit auctum iri* fluctus, quemadmodum ſolenne Poetis *interficere*, *incendere*, cum aliorum tamen opus ac labor ſit: quamobrem a lectione MSS. Victorii, Gruteri & ipſius Daviſii non recedendum ob verba putamus. Cap. 9 vulgatam lectionem: *Sed ineſt in rivis & ramunculis natura*

tura quædam ſignificans aliquid, ita emendat: *Sed ineſt & ranunculis.* Propius tamen libris ſcriptis foret: *Sed ineſt, mirum, & ranunculis*, vel, *ſed ineſt & ranunculis in rivis*: ad quem vero ſenſum & vulgata revocari poteſt, ſi ſtatuas ἓν διὰ δυοῖν. Ibidem, *Cur arandi maturitatem ad ſignum floris accommodet*, mavult, *ad arandi maturitatem accommodet.* Sed iterum in ſupervacuum. Nam ſi Cicero ſcripſiſſet: *cur arandi maturitas ad ſignum floris accommodetur*; nullum dubium, quin Editor Cl. perituræ chartæ parſurus fuiſſet. Nunc vero vi argumenti, more Latino, Tullius idem dicit & emendatrices manus invitus experiri debet. Idem, credo, eſt, *Vaſtitas finem fecit*, & *vaſtitate finis factus eſt*, & quæ innumera ita dicuntur. Cap. 11, *lapſu cecidere vetuſto*. Noſter *vetuſta*. Apage! lapſus vetuſtus eſt, diu prædictus: eleganter. Nam ita clara fuerunt ſigna, ut quæ poſtea fierent, ceciniſſe viderentur, ut adſerit Cic. III Catil. c. 8. Contra Florus IV c. 7, *imminentia ſigna* de periculis imminentibus, & II c. 7, *manifeſta pericula*, pro manifeſte nimis prædictis. Cap. XII verba Ciceronis, *elapſæque vetuſto numine leges*, corrupta non capit, magis potius corrumpit. Sed lege interim: *vetuſto nomine leges*, & intellige vetuſta *ſcriptura* exaratas, aut nude *vetuſtas*: utrumque enim *nomen* ſignificat. Cap. 13 verſiculi: *Quod patriæ vocis ſtudiis nobisque ſacraſti*, ejus, inquam, mentem ſe non capere ingenue fatetur, qua tamen nihil pote apertius. *Vocis* antique pro *voces*, quod in nonnullis MSS. ipſo adſerente, viſitur. Vocem nempe ſuam doctiſſimam ſacraverat Cicero patriæ, ſtudiis, amicis, in quibus ſanguine primus Q. Cicero, qui nunc doctrinam ſibi expetit: vide modo Libr. II de Divinat. initium. Sed dudum apparere arbitror, carmine non adeo valere magnum alia Daviſium. Cap. 18, bonum factum Cl. Editoris laudamus, quod pro *æquius eſſe cenſuit*, *ſe* maturam *oppetere mortem, quam P. Africani filiam adoleſcentem*, reſcripſerit *ſe maturum*: dummodo de incommodo vulgatæ ſenſu non queſtus eſſet. Eundem certe reddit, ſi per Syllepſin, ut ſæpe fit, penes *filiam adoleſcentem* repetas *immaturam*; aut ſolum *oppetere mortem* alteri membro addas. Cap. 42 ingenioſi cujusdam Viri conjecturam laudat, qui verba: *Omitto noſtros, qui nihil in bello ſine extis agunt, nihil*

hil ſine auſpiciis domi habent. Auſpicia externa videamus, ita corrigit, ut verbum *habent* omittat; ſed ita numerum corrumpit, dum eleganter *agunt* & *habent* ſeſe excipiunt. *Remp. habere* pro *adminiſtrare* nota eſt locutio ex unico Tacito. Cap. 48 pro *Romuli auguratus paſtoralis, non urbanus fuit*, mavult *non vanus fuit*. Sed in errore verſatur, quod ipſe timuit, & *urbanus* paſtorali opponitur quoad *ſimplicitatem*, cujus propterea *vanus* inficeta Gloſſa eſt. Urbanorum quippe *fallaciæ* ſæpe traducuntur, qui *religione* etiam plebeculam rudem trahebant in omnem partem. Cap. 2 fragmenti (ita enim multis partibus lacerum libellum appellare jus eſt) de Fato pro *Nec enim oratoria illa ſtudia deſerui, quibus etiam te incendi, quamquam flagrantiſſimum, acceperam*, vult *te incendere occœperam*. Sed in lectione aperta ſine ulla auctoritate talia audere, id demum eſſet vulnera vulneribus curare. In Addendis ad pag. 149 pro *quanti ſit animi vis ſejuncta a corporis ſenſibus*, eſt, qui reponat *ſejuncti*, nec intercedo, addit Noſter. Sed par non erat tanta facilitate elegantias corrumpi. Nihil ultra erit reliquum, niſi mutationi obnoxium. Quin igitur & apud Auſonium epigr. CVI in verſu: *ulcera membrorum ſcabie* putrefacta *foventem*, reſcribamus *putrefactorum*? Sed iſtud aliis dudum exploſum eſt, neque hic plura deſiderat. Pergat modo Cl. Daviſius etiam Tuſculanis Quæſtionibus, quarum editionem iterum promittit pag. 97, cautiorem operam navare; neque umquam deerunt, qui præclara ejus facta meritis concelebrent laudibus.

C. VALERII FLACCI SETINI BALBI PAtavini Argonauticon Libri VIII. Ex recenſione NICOLAI HEINSII Dan. F. & P. BURMANNI V. C.

Patavii, ex Typograph. Cominiana, 1720, 8.
Plag. 14 cum dimidia.

VAlerium Flaccum ſine Commentariis & Annotationibus recuſum

cuſum vides Patavii, quo habitu datus jam eſt ibidem Cornelius Nepos, & mox dabuntur Salluſtius ex recenſione Joſephi Waſſe ac Tit. Lucretius ad optimorum exemplarium fidem recenſitus; niſi quod his accedunt variæ lectiones notatu digniores & præterea alia aliis. Quod inſtitutum etſi illis, qui in commentariis tantum & mole collectaneorum ſtupent, non omnino placebit; erunt tamen, quorum gratiam ſit initurum. Et hi erunt fere, qui ſcriptores hujus generis propter ipſos, non propter alia legunt; & majori quemque cura evolventes ex illis ipſis tantas copias ſibi comparant, quæ ad intellectum omnibus modis facere poſſint. Nam vix dici poteſt, quantum ſocordia quorundam nutriatur & arrogantia augeatur, qui, præſidio aliorum diligentiæ, diligentiam remittunt & Commentariis confiſi nihil ipſi magnopere diſcunt, aut adducto altius ſupercilio de ſcripto ſapiunt, nec modum aut modeſtiam habent usque dum intelligendo faciant, ut nihil intelligatur. Pervulgata jam ſunt omnia, & nemo eſt, cui non dictus ſit Hylas: & tamen libido quidlibet figendi ac refigendi non minus noſtrum ſæculum, quam alia tempora vexat. Igitur bene conſtitutis obrogatur, de aliorum induſtria derogatur, aut, quod pejus eſt, non rogant amplius ſed dictatoria quadam poteſtate omnia bona antiquant. Qui inepti mores ſi ultra valebunt, næ diſcendi cupidi per ſalebras viam faciant & tamen nec volam nec veſtigium ejus, quod quærunt, inveniant. Eam ob cauſam non minus de maxima parte eruditorum merentur, qui Autores vel ſine notis ex emendatiſſimis libris recudunt, quam de paucioribus, qui copioſas illis addunt adnotationes, in quibus ſemper quædam leguntur, quas nemo neſcivit. Et hic *Valerius Flaccus*, nitide ex Burmanniana Editione deſcriptus, ſi non omne, tamen plurium feret punctum. Habes enim hic, præter Judicia Doctorum de Flacco, Syllabum etiam Editionum vetuſtiorum, in quibus etiam Jo. Baptiſtæ Pii A. 1519, de cujus inveniendæ difficultate Heinſius & Burmannus conqueſti ſunt, quamque Patavii apud Vulpios inveniri hic indicatur: & præterea Florentina quædam, in qua Signaturæ, quas vocant, non infra, ſed ad exteriorem ultimæ lineæ marginem appoſitæ ſunt. Ad hoc Argumenta Ægidii Maſerii ſingulis libris præſcripta ſunt, quæ Heinſiana

Heinſiana deſiderat. Accedit denique Index Verborum & Phraſium aliquot inſigniorum, quæ in Valerio occurrunt, qui parum abeſt quin Gloſſarii Valeriani vices ſuſtinere poſſet. Et optandum ſane foret, ut non multum quidem latiores, latiores tamen iſti indices in hujus generis editionibus fierent, qui ſimul cum verbis rarioribus conſtructiones etiam ſingulariores Autorum explanarent. Sic uſibus eorum, quibus proprie deſtinatæ ſunt, multo eſſent magis accommodatæ. Amplius etiam, ſi, ſervato chartæ nitore & elegantia litterarum, latitudine marginum ex utraque paginarum parte & litteris aliquanto maioribus gauderent. Quæ tamen ita ponimus, ut eatenus tantum conſilia Cl. Editorum mutent, quatenus honeſtis eorum rationibus non ſunt aliena.

JAC. BURCKHARD, ILLUSTR. GYMN. Hildburgh. P. P. de Linguæ Latinæ, quibus in Germania per XVII Sæcula amplius uſa ea eſt, Fatis novi plane, quibus priores illuſtrantur partim, partim ſupplentur, Commentarii. Adjecti ſunt Indices copioſiſſimi, qui & prioris Partis memorabilia ſimul exhibent.

Wolfenbutteli, apud Viduam G. Freytagii, 1721, 8. Alph. 1 plag. 20.

FAvore Eruditorum, quo priorem horum Commentariorum Partem, a nobis A. 1713 M. Aug. p. 352 ſſ. recenſitam, exceperunt, permotum ſeſe fatetur Cl. Autor ad argumentum hoc uberius paullo illuſtrandum. Multo autem magis gratulabuntur induſtriæ Cl. Autoris, ubi nunc intelligunt monitis quibusdam bene obtemperatum, dubia confirmata, & argumentum utile pariter ac jucundum amplius illuſtratum eſſe. Cum vero varietate rerum opus ejus ſeſe maxime commendet, ex iis potius quasdam decerpamus, quam formam operis proponendo præfixum Capitum Elenchum exſcribamus. Capite itaque I locum Taciti de mor. Germ. c. 19, *Litterarum ſecreta viri pariter ac*

ſeminæ apud Germanos ignorant, iterum, ut priori Parte, interpretari aggreditur,& enumeratis variis doctorum opinationibus vix tandem apparet, quibus ipſemet accedat. Illis tamen aliam addere potuiſſet, Tacitum narrare, Germanos ad id temporis *litteras ſecretas* h. e. rerum *ſuarum* memoriam litteris conſcriptam non habuiſſe. Nam *litteras* hiſtoriam ſignificare abunde conſtat. Cap. III p. 41 meminit iterum *Ruſticæ* Romanorum *Linguæ*, quæ barbarismis & ſolœcismis erat contaminata, in quam homiliæ, Synodi Turonenſis III decreto ſub Carolo M. habitæ, erant transferendæ. Inde p. 61 *Kloſtrale* ſive *Culinarium* Latinum derivat, Monachorum primo clauſtris proprium, quibus etiam vocabulorum barbarorum ortum adſcribit. Pag. 92, ubi de corrupta per Scholaſticos L. L. agit, advocat in partes ſuas V. Cl. Michaelem Maittaire in Annalibus Typograph. eumque Anglum facit, cum Gallus ſit natione. Verum hunc errorem ipſe poſtea emendavit. Pag. 95 adſertum ſuum, quod figmentum ſit, S. Hieronymum in ſomnio egregie eſſe dedolatum eo, quod Ciceronianus fuerit, ut defendat, Moſellanum etiam & Cl. Heumannum citat, qui tamen ſua quisque patiuntur judicia. Vaniſſimus profecto hominum fuerit Hieronymus, qui fraudulenter talia de ſemet ipſe prodiderit, &, quod caput rei eſt, aliquoties iteraverit, dum & in ſumma ſenectute ſcripſit: *Miſer ego Hieronymus, fatuorum ſapientum imitator*, *antequam* ſancta verbera *luerem*. Quæ ſi conſideraſſent, & *ſomnium* fuiſſe diligentius perpendiſſent Viri illi ingenioſi aliique qui libenter applaudunt ingenio ſuo, non ita facile in alteram partem præcipites iviſſent, aut de veritate Somnii detraxiſſent. Pag. 111 corruptam Germanorum linguam, quæ *Rothweiliſch* dici conſuevit, occaſione *Rothweilenſis judicii* & Edicti Imperatorii de Germanica lingua in judiciis adhibenda ortam eſſe, ex quorundam opinione memorat. Pag. 119 adfert Epitaphium *Henrici Abyngdonii* a Th. Moro conſcriptum, Latinum ſatis genium præ ſe ferens: ſed ut oſtenderet corruptum ejus temporis ſaporem, addidit aliud p. 120 ſatis inſulſum, eidem autori propterea confectum, ut a popularibus ſuis laudem in verſibus componendis referret. Verum quod toto hoc Capite adeo laborat ad barbara reddenda mediæ

ætatis tempora, inde procul dubio exiſtit, quod Latinitate omnem elegantiam metiatur. Alii vero cautius res atque verba diſtinguunt, quibus facile barbaries linguæ eorum Sæculorum vel minimo apparatu demonſtratur. Cap. IV p. 130 inventum artis Typographicæ *Moguntiæ* urbi vindicat. Ibidem p. 142 multa diſſerit de modis *in plurali* alterum alloquendi, de *Tuiſſare* ſeu *Tibiſſare*, & quam ægre hoc Æneas Sylvius Germanos docere potuerit. Pag. 217 Fridericum Sapientem Saxoniæ Electorem late laudatum memorat in Wittebergenſi Academia ſingularem *Terentii Profeſſorem* conſtituiſſe. Quod non fuit inſolens, ut videri poſſet. Olim enim docendi munera certis libris erant adſtricta, ut *Ariſtoteli*, *Celſo*, *Quinctiliano*, aliis. De primo Germanorum Poeta, qui *Conradus Celtes* fertur, non contemnenda ſunt quæ pag. 299 & circa leguntur. Pag. 433 de Autoribus Epiſtolarum obſcurorum virorum diſſerit, & *Jo. Crotum Rubeanum* (cujus verum nomen fuit *Jo. Jæger, Dornheimio-Thuringus*) ex indicio Viri Cl. Jo. Chriſtophori Olearii in eis agnoſcit. Cap. V inter viros, quibus reſtitutum Latinæ linguæ decus multum debuerit, numeravit etiam *Mutianum*, ex cujus Epiſtola ad *Herebordum Margaritum* ſcripta p. 478 nota (l) docet, quam ignotum humanitatis hoſtibus fuerit ἔτυμον τȣ̃ *Baccularii*, quem *Baccalaureum* vocaverint a *baccis lauri*, cum a *bacillis*, honoris cujusdam inſignibus, ortum ſit nomen. Pag. 459 inſeruit Epiſtolam graviſſimam & compoſitam Comitis *Hermanni de Nuennar*, ad Carolum V nomine Studioſorum Germaniæ ſcriptam, cujus Veneres ſatis oſtendunt, quantus Heros & Princeps bonarum litterarum ille fuerit: ut adeo non injuria Doctiſſimus Burckhardus ſibi ſumſerit peculiari ſcripto Vitam ejus illuſtrare, quod promiſit pag. 479. Hujus autem gradus plures hoc libro nominantur & meritis laudibus ornantur, quorum alibi partim, partim hic primum memorando extolluntur, ut ſimul ingenii quædam ſpecimina hic legere liceat. Ita ſane pretium ſcripto conciliatur, cujus alioquin Autor nimio linguæ Latinæ amore abreptus multa cenſet, vel aliis cenſentibus tacite adſentire videtur, de quibus ſententiam forte mutaret, ſi de Logica aut aliis diſciplinis ſcribere adgrederetur. Nam quod *Grammatica*

matica tantum tribuitur, ut ſolida Theologia & reliquarum diſciplinarum ratio inde pendere judicetur, id aliquatenus de Latina, aliquatenus de aliis linguis, de nullis plane verum eſt; inprimis ſi communi notione accipiamus Grammaticam, quæ quam parum ad ſolidam Exegeſin, cum omnino poſſet, faciat, diu eſt, quod in confeſſo fuit. Deinde inter fata L. L. per Germaniam haud immerito & hoc numerari poſſet, quod hominum, qui ſibi ultra plebem ſapere videntur, ſcriptura anxium quid & non nativum redoleat: multos etiam dari, qui loco & argumento dicta neſciant adæquare, ut potius, ubi diſſerere debent, inter Oratorum ſubſellia declamare videantur.

ADAMI HENRICI LACKMANNI, HOLſati, Miſcellanea litteraria. Accedit Mantiſſæ loco, ex editione Lugdunenſi Batav. THOMÆ ERPENII V.C. de peregrinatione Gallica utiliter inſtituenda Tractatus, item brevis admodum totius Galliæ deſcriptio, & JUSTI LIPSII V.C. Epiſtola de peregrinatione Italica.

Hamburgi, ap. viduam Benj. Schilleri & Jo. Chriſtoph. Kisnerum, 1721, 8. Pl. 10.

DEcem capita complectuntur hæc Miſcellanea, quorum primum clarorum Hamburgenſium in rem ſacram & litterariam merita exponit. Memorantur hic Theologi, cum qui circa reſtauratam religionem, & Scripturæ libros explicandos, aut curatius edendos in genere ſunt verſati, tum polemici & oratores ſacri; dein Jureconſulti, Medici, Critici & linguarum peri-
p. 11 ti, Literatores, Philoſophi, Hiſtorici, & reliqui. Ubi Andreæ Staphorſtii ſit mentio, deliteſcere adhuc referuntur quædam ejus adnotationes in diverſa V. T. loca, nonnullæque in Scherzeri
12 ſqq. Syſtema Theologiæ. Occaſione Eſdræ Edzardi exhibentur Epiſtolæ Kenckelii, Selnecceri, Chytraei, Sim. Pauli, ad Jacobum Glavæum, Theologum Bremenſem, ex cujus familia origi-

originem traxit Edzardus, de negotio Formulæ Concordiæ ſcriptæ. Conjecturas in difficiliores Jobi cap. XX locos, ſub *R. Mare Scoti* tiulo editas, docemur autorem habere Jo. Joach. Mullerum J. U. D. *R. Mare Scoti* ſcilicet per anagramma eſt *Otmarſche*, locus in quo hortus D. *Mulleri* conſpicitur. Jo. Wowerius ab Athei, impoſtoris docti & Apoſtatæ nota vindicatur. M. Nicolai Staphorſtii Hiſtoria Hamb. Eccleſiaſtica expectanda dilineatur. Lambecii etiam quædam Epiſtolæ ad Bartholdum Mollerum, Conſulem Hamburgenſem, exhibentur, vernacula lingua ſcriptæ, ex quibus res ejus domeſticæ, veraque ad caſtra Pontificiorum transgrediendi occaſio luculenter perſpicitur. Capite II duo Ruſſorum Imperatores diſſimiles, Petrus ſcilicet jam Imperator, rerum Mathematicarum inſignis æſtimator, cum eo ex anteceſſoribus ſuis contenditur, cui cum a Chriſtiano rege Daniæ pro impetranda Livoniæ pace mitteretur *αὐτόματον* cœli argenteum, reſpondit, illum de cœlo ſtulte eſſe ſollicitum, quum de terra armis inter ipſos certaretur. Qua occaſione laudatur Petrus Ramus & alii, Germanos a ſterilitatis ingenii objectione vindicantes. Capite III de volumine inedito epiſtolarum, ad D. Matth. Hoe ab Hoeneg a viris celeberrimis ſcriptarum, Hamburgi aſſervato, & ſi quis ſumtus ferat, evulgando, agitur, Cap. IV ad ea, quæ Cl. Heumannus de inſcriptione Apocalypſeos, & titulo Theologi, Joanni ex ignorantia tributo, in his Actis Tom. VI Supplem. p. 170 ſeqq. commentatus eſt, dubia quædam proponuntur. Exiſtimaverat ſcilicet Cl. Heumannus, autorem inſcriptionis alium Joannem, qui Theologi cognomine inſignitus fuerit, cum Joanne Apoſtolo confudiſſe. Rationes ejus fuerant, 1 quod Euſebius & Hieronymus de appellatione Theologi, Joanni tributa, nihil prodiderint, unde eam prorſus ignoraſſe cenſendi ſint. Adverſum quæ excipit Noſter, 1) argumentum a ſilentio non facile probare, 2) etiamſi cognomen Theologi communiter Joanni tributum non ſit, potuiſſe tamen illud ab autore inſcriptionis privato auſu illi tribui, 3) neque dari poſſe alium Joannem, cui cognomen Theologi peculiariter tributum fuiſſe legatur: illum enim Joannem, ad quem digitum intendat Cl. Heumannus,

p. 22 · 29 · 35 · 38

 pres-

presbyterum tantnm dici. Altera Heumanni ratio eſt, quod in epiſtolarum ſuarum inſcriptionibus Joannes dicatur Apoſtolus, non Theologus. Reſpondet Noſter, diverſos eſſe poſſe autores inſcriptionum, neque neceſſe eſſe, ut omnes, qui de Joanne verbe fecerunt, eodem eum cognomine exornaverint. Dein ipſum Joannem in poſterioribus duabus epiſtolis presbyterum ſe dicere, exiu vero colligi non poſſe, autorem harum epiſtolarum fuiſſe Joannem illum presbyterum. Unde nec illud ſequi, diverſos eſſe Joannem Apoſtolum & Joannem Theologum, quia in epiſtolis Apoſtoli, in Apocalypſi Theologi nomine gaudeat. Tertia Heumanni ratio eſt, quod inſcriptio Apocalypſeos a Græcis profecta ſit, Græcos autem apocalypſin Joanni Apoſtolo abjudicare, inde non poſſe per Joannem Theologum intelligi Apoſtolum. Excipit autem Noſter, 1) non omnes Græcos ita ſenſiſſe, ſed plures Joanni Apoſtolo apocalypſin tribuiſſe, 2) multo minus exploratum eſſe, utrum autor inſcriptionis ita ſtatuerit. Capite V habentur emendationes nonnullæ & vindiciæ quorundam Taciti & Silii Italici locorum, cum obſervationibus anonymi criticis ad vitam Horatii apud Suetonium. Cap. VI defenditur Hobbeſius ab iis, qui litem ipſi intentant, quaſi in Leviath. cap. 46 p. 316, edit. Amſtel. 1668, originem hæreſium Ariſtotelicæ Philoſophiæ unice tribuat, quum ille de hæreſibus ex philoſophia NB. *Græca*, potiſſimumque Ariſtotelica ortis diſſerat. Cap. VII oſtenditur, Morhofium veram colloquii Bodiniani inſcriptionem non ignoraſſe, etiamſi illud T. I L. I c. 8 §. 7 tantum inſcribat: de ſublimibus & admirandis rerum arcanis. Cap. VIII notatur Jo. Buxtorffius, quod Pilatum manuum lotione ceremoniam aliquam Judaicam imitatum fuiſſe contendat, in *Catalectis Philol. Theol. Obſ. 29*, quum Ovidius non ipſam lotionem, ſed ejus tantum abuſum improbet, pagani autem prudentiores ritum ipſum non reſpuant. Cap. IX denuo prodit conſilium Autoris de edendis tum Lucæ Loſſii, tum doctorum Virorum ad illum Epiſtolis, doctrinam & hiſtoriam Sec. XVI illuſtrantibus. Impreſſum illud quidem iam antea fuerat, hic tamen ſuaſu Bibliopolæ inſertum eſt, roganturque viri docti, ſi quas Loſſii Epiſtolas ſecum habeant, ut illarum copiam doctiſſimo

mo Autori facere benevole velint. Speciminis loco exhibetur excerptum e quadam Lucæ Bacmeiſteri ad Loſſium epiſtola de placido Caroli V in meritum J. C. obitu, quod obſervationibus & vindiciis quibusdam Noſter ſtipavit. Capite tandem X error quidam jocularis corrigitur, ubi verba Camerarii in vita Melanchthonis p. 44: *Unus vagabatur paſſim, cujus nomen Germanicum habet ciconiæ ſignificationem*, Vir quidam doctiſſimus de Bernhardo Knipperdolling intellexerat, quæ tamen de Nicolao Storchio rectius accipi Noſter docet.

JOHANNIS DE BUCHWALD SPECIMEN Medico-Practico-Botanicum.

Hafniæ, literis Johannis Georgii Hoepffneri, 1721, 8 maj. Alphab. 1 $\frac{1}{2}$

CLariſſimus Autor, in Botanicis olim a Simone Pauli & Olao Borrichio, Profeſſoribus, & Petro Kyllingio, Botanico Regio, inſtructus, ſtudium hoc in Germania, Belgio, Gallia & Italia ſumma excoluit induſtria; doluit tamen inſimul, in tanta Vegetabilium copia non pauca eſſe, de quorum effectu nihil certi etiamnum experientia duce conſtet. Manum igitur ipſe operi admovit, & ubi a probatis Medicis commendata invenit, factis crebrioribus experimentis cognoſcere ſtuduit, quantum eorum efficaciæ fidendum, ut a poſteriori aliqualem Apodixin nanciſci valeret, qua a priori in ſcientia hac deſtituimur. Ex quo igitur Botanicam publice docere juſſus, hortoque Medico præfectus fuit, munere ſuo haud indignam ſe facturum rem exiſtimavit, ſi, quæ collegit & obſervavit, in præſentem congereret librum, a Balthaſare Johanne de Buchwald, Med. Doct. in Germanicum translatum idioma. Plantas igitur domeſticas atque inquilinas juxta ordinem Alphabeticum hic ſiſtit, ita ut in una folii pagina nomen Latinum, Danicum, Germanicum & Gallicum uniuscujuscumque Vegetabilis inſinuet, addito loco natali, & tempore, quo florem fert, relictoque ſpatio vacuo, cui ipſæ plantæ exſiccatæ agglutinentur (quod in exemplis publice proſtantibus novo exemplo factum eſſe mirati ſumus) e regione vero, ſeu in altera pagina vires, uſum & præparata ejusdem ad-

 umbret.

umbret. Quo labore id effeciſſe ſe putat, ut quivis ſtudii Botanici Cultor intelligat, 1) quæ plantæ uſu quodam Medico ſe commendent, 2) contra quos morbos ſint adhibendæ, 3) ut hæc vegetabilia Medica ab aliis diſtinguat, 4) noſcat, quæ præparata in officinis proſtent, & 5) ut verum eſſe diſcat, inſipidas plantas nullam virtutem per deſtillationem, magnam vero per decoctionem & infuſionem ſuppeditare.

ACTA MEDICORUM BEROLINENSIUM, in Incrementum artis & ſcientiarum collecta & digeſta. Volumen VII & VIII.

Berolini, apud Godofredum Gedickium, 1720 & 1721, 8. Plag. 12 cum Figur. æn. Tab. 1.

IN Voluminis VII Sectione I caſus memorabiles, qui per æſtatem anni 1719 ad Fontem ſoterium Freyenwaldenſem obtigerunt, commemorantur; in II, III & IV Sectiones Anatomicæ corporum variis morbis in noſocomiis militaribus & Fridericiano ut & extra illa defunctorum deſcribuntur; in V Sectiones maniacorum; in VI Sectio Anatomica publica ſuſpenſi communicantur; & in VII neceſſaria notanda circa editiones Beutheri Chymici adduntur. Ex fontis Freyenwaldenſis uſu ſalutarem dicto anno experti ſunt effectum, qui paralyſi, atonia univerſali ex ſuppreſſa febre & mercurii uſu, tremoribus artuum ex argenti vivi tractatione, arthritide cum aridura, vel nodoſa, vel tophoſa, iſchiadico malo, varicibus cum doloribus ſpaſmodicis pedis, rheumatiſmis ex menſium ceſſatione, podagra, calculo, articulorum morbis & contractura ex febrium metaſtaſibus, ophthalmia, glaucomate, ulceribus antiquis laborarunt. In noſocomiis militaribus hydropici, aſcitici, aſthmatico-phthiſicorum quinque, morbo chronico diu laborantis, in quo propriæ membranæ lienis portio in parte gibba cartilaginoſa fuit, hernioſi poſt operationem feliciter peractam pulmonum inflammatione mortui, atrophico-hectici, ſubitanea morte extinctorum duorum cadavera fuerunt aperta. In noſocomio Fridericiano febre

bre lenta demortuorum duorum, atrophicorum duorum, phthiſici, febre continua extincti, aſthmatici ſcrophuloſi; extra noſocomium vero infantis febre continua cum infarctu pectoris defuncti, peripneumonici, hæmoptici, & in partu difficili demortuæ corpora cultro Anatomico fuerunt ſubjecta. In maniacorum cadaveribus inter alia anœmia notabilis fuit obſervata; in uno enim ſubjecto vena cava admodum inflata adeoque ampla fuit, ut binos digitos commode recipere potuerit, & ab auricula cordis uſque ad ſuam in iliis divaricationem aperta nil niſi flatum & parum ſanguinis continebat, in arteriis paulo plus ſanguinis notabatur. In altero vaſa ſanguinea majora, præſertim arteria magna, ita erant vacua, ac ſi aqua fuiſſent eluta; pari modo etiam vena cava & portæ vix ſcrupulum ſanguinis continebant, quanquam per omnem tractum fuerint diſſecta; vaſa tamen gaſtro-epiplocia & meſaraica ſanguine turgebant. In cadavere hominis ſuſpenſi ſequentia fuerunt notata: duplicatura omenti infra æque ac ſupra diviſa, ventriculus & colon in tam arctum ſpatium conſtricta, ut tenuis inteſtini faciem repræſentaverint; veſica fellea quaſi bifurcata, & in tantam molem extenſa, ut limbum hepatis transſcenderit, cum omento firmiter connexa; arteria ſiniſtra emulgens duplicata; vena ſpermatica ſiniſtra in exortu bifida; cor tribus arteriis coronariis cinctum; muſculi palmaris & plantaris deficiebant, nerveæ autem expanſiones aderant. Quod denique editiones Beutheri Chymici attinet, prodiit Hamburgi Anno 1718, cura Johannis Chriſtophori Sprögelii, Med. Doct. & Acad. Natur. Cur. Collegæ, libellus ſub titulo: Davidis Beutheri Univerſale & Particularia de Transmutatione metallorum ignobilium in nobiliorem auri & argenti naturam. Quoniam autem hæc editio, æque ac quævis aliæ, nævis & defectibus laborat, monent Medici Berolinenſes, ut, ſi quis MSta Beutheriana poſſideat, eademq; cum jam editis conferre, & demum, ut completius edantur, curare non gravetur, ſuum, quod poſſident, apoſpaſma Beutherianorum lubentes volentesque ſe tradituros, polliciti. Notandum inſimul, quod in hoc Volumine Foliorum caryophyllatæ ad ulcera antiqua virtus mundificans admodum commendetur; urticam minorem p. 45 52

urentem in gravi infantis ophthalmia plus urendo vel rubefaci-
p. 58 endo præſtitiſſe, quam veſicatoriorum uſum, perhibetur; ad corruptionem exulcerati eryſipelatis unguenti aurei efficacia deprædicatur, modo rite fuerit præparatum, ſumendo ſcilicet ceræ, potius viridis, lib. ſem. terebinthinæ, reſinæ pini genuinæ, non picis, ana unc. duas, maſtiches elect. thuris, ana drachm. duas, croci pulveriſ. drachm. ſem. olei hypericonis, q. ſ.

In Voluminis VIII Sectione I, II & III abortus ſeptimeſtris monſtroſus ſine cerebro & cranio natus, ac per undecim horas vivens, deſcribitur & depingitur; in IV & V Depoſitiones legales; in VI Sectiones extrajudiciales communicantur; in VII inquiſitio Anatomica in ſedem albæ, & quidem lacteæ, Cataractæ, qua canis per annum laboraverat, ſuppeditatur; in IIX Obſervationes nonnullæ Anatomico - Pathologicæ notabiles exhibentur, & in IX ſeries longævorum, qui per annum 1719 in ditionibus Boruſſo - Brandenburgicis annum ætatis 90 & plures impleverunt, texitur. In abortu ſeptimeſtri cranium quoad oſſa frontis, bregmatis, & occipitis deerat, ſupra baſin cranii membrana rubicunda & ſanguine ſuffuſa erat expanſa, qua decuſſatim diſſecta nihil in anteriore baſeos cranii parte, ubi alias bina cerebri hemiſphæria cubare ſolent, comparebat, quam membrana venoſis tractibus turgida, ſanguine quaſi ſuffuſa, in occipitio vero medulla ſpinalis ſtatim in conſpectum veniebat, inter quam & os ſphœnoides bifidum bina cerebroſa hemiſphæriola cum interjacente conariolo ſtrata fuerunt, quæ reclinata uni quartæ ſegmenti cutanei in crucem facti parti adhærebant. Ex medulla ſpinali plerorumque nervorum vulgarium propagines utrinque emergebant, ſoli optici cum proceſſibus mammillaribus deſiderabantur. Ceterum duo nervi exiles utrinque ad latera oſſis ſphœnoidis ab hac medulla ſuper anteriorem cranii baſin procedebant ad oculos, pluraque filamenta nervea in prædicta ſanguine ſuffuſa membrana obſervabantur, quæ ſuas circa criſtam galli habebant inſertiones. Fœtus hic nihilominus per undecim horas omnia vitæ habuit indicia, oculos & artus movit, reſpiravit, quiritavit, mammas autem ob debilitatem non ſuxit, hinc ſacro

baptiſmo

baptiſmatis fonte fuit initiatus. Qua occaſione aliorum fœtuum ſine cerebro & calvaria natorum, tam vitalium, quam non vitalium, ab aliis Autoribus recenſitorum, conſpectum exhibent, certasque ſubjungunt Poſitiones Medici Berolinenſes, quibus evictum dant, maximum ad vitam menyngum eſſe neceſſitatem, inſimulque quem uſum cerebrum ejusque ventriculi ac calvaria præſtent, explicant. Depoſitiones Medico-Legales reſpiciunt vulnus per thoracem, diaphragma, & abdominis viſcera tranſiens; vulnus ſclopetarium per mediam pulmonum ſubſtantiam; vulnera hepatis, & folliculi fellis, per ſe & abſolute lethalia; infanticidium ob funiculum umbilicalem non deligatum; fœminam variis ictibus circa caput per ſe & obſolute lethalibus trucidatam, & virum phthiſi, non verberibus mortuum. In cadaveribus binis theatro Anatomico illatis ſequentia fuerunt obſervata. In uno quidem ſiniſter teſticulus intra proceſſum peritonæi latens; arteriæ ſpermaticæ e regione emulgentium vaſorum ortæ; renum ſuperficies inæqualis inque multos lobulos, inſtar recens natorum, diſcerpta. In altero vero ſubjecto, muſculus pyramidalis ſiniſter deficiens; dexter ureter duplex, cujus alter meatus cœcus, nec ex ipſo rene procedebat, utrisque circa introitum in veſicam in unum canalem coaleſcentibus; ſinus ureterum extra renes protuberantes. Secta pariter fuit infanticida, eo tempore. quo menſium fluxum patiebatur, decollata, cujus uteri parietes interiores ſanguine conſpurcati, grumoſoque cruore erant obducti. Sectus fuit repentina morte defunctus, cui ob congeſtionem ſanguinis ſtagnatoriam circa pectus ac inſolitam pinguedinis intra præcordia collectionem reſpiratio fuit turbata, cui acceſſerat hydrops pericardii. Tacemus Sectiones aſthmatico-peripneumonici, atrophico-hectici, pueri ab infantia valetudinarii. In ſedem ſuffuſionis, qua canis laboraverat, inquirentes Medici Berolinenſes, nec humorem aqueum vitiatum, nec pelliculam quandam, ſub cryſtallini vero tunica propria humorem lacti ſimilem offenderunt, quo effuſo lens cryſtallina opaca & ſublutei coloris in conſpectum venit, Obſervationes rariores, quæ adduntur, concernunt mortem inopinatam ex uteri prægrandi mole; aliam ex ruptura vaſis ſanguinei intra pericardium; malum

lum hyſterico-hypochondriacum ſolis clyſteribus curatum, & abſceſſum cum inteſtino communicantem.

NOVA LITTERARIA.

EX quo tum *Nova Litteraria* vernacula, tum Latina, ſeorſim in forma octava ſingulis menſibus aut ſeptimanis procudimus, (illa autem ab A. 1715, hæc ab A. 1718 in hunc diem continuata ſunt, horumque Annorum Hiſtoriam Litterariam complectuntur prope univerſam) nihil eorum, quæ moliuntur Eruditi, annuntiavimus in his Actis, ne crambem bis coctam apponeremus, omne, quod nobis præſtitutum eſt, ſpatium librorum editorum recenſionibus aut obſervationibus tribuentes. Etſi vero & in poſterum hunc morem ſervare nobis conſtitutum ſit, cum defectus ille in Actis noſtris, *Latinis* imprimis *Novis Litterariis*, quibus ea quæ ad nos ex omni Europa perſcribuntur atque in aliis Diariis haud commemorata ſunt, complectimur, abunde penſetur; non poſſumus tamen, quin hoc loco vel tribus verbis memoremus, Belgas hoc tempore duo vaſta admodum ac ſplendida Opera moliri.

Nimirum Amſtelædami nuper apud Fratres Wetſtenios prodiit *Proſpectus Editionis accuratiſſimæ monumentorum Eccleſiaſticorum & Hiſtoricorum, ſive* Henrici Caniſii *Lectiones antiquæ, quarum ſex Tomi, cum Volumine ſingulari inſignium Auctorum, tam Græcorum quam Latinorum, quod ex variis MSS. & Bibliothecis arceſſitum in lucem prodire juſſit* Petrus Stewartius, *ſecundum ſeriem ſæculorum digeſti, & in unum corpus redacti, nitidiſſimis caracteribus editi, conficient quatuor Volumina in folio. Præfationes hiſtoricas, animadverſiones Criticas & notas in ſingulos Autores adjiciet* Jacobus Baſnage. Huic operi qui ſubſcribent (admittentur autem usque ad Calendas Novembris hujus anni) non niſi 26 florenos, ſcilicet decem ante ſubſcriptionis terminum, reliquos opere abſoluto, numerabunt. Sed quæ huc ſpectant omnia luculentius expoſuimus in *Novis Litterariis* Latinis hujus Anni Menſe Junio editis p. 87 ſeq.

Lugduni Bat. Petrus van der Aa *Theſaurum Antiquitatum & Hiſtoriarum Italiæ Grævianum*, ſex hactenus Voluminibus, vel Tomis III conſtantem, triginta duobus novis Voluminibus augere conſtituit, quibus rariſſimos Hiſtoriæ Venetæ, Florentinæ, Neapolitanæ, Siculæ &c. ſcriptores, & in his vel nunc primum prodeuntes, vel ex Italico ſermone in Latinum translatôs, complectetur. Conſtabunt hæc Volumina 330 florenis, quibus addent quinquaginta, qui jam editos ſimul deſiderant. Ceterum conſpectum operis dedimus in Supplemento ad *Novorum Litterariorum* Lat. Anni 1721 Semeſtre 1 197 ſſ.

* * *

N. VIII.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Auguſti Anno MDCCXXI.

SCRIPTORES RERUM AUSTRIACARUM veteres ac genuini, quotquot ex Auſtriæ vicinarumque Provinciarum Bibliothecis ac Tabulariis aut primum in lucem vindicari, aut ex MSS. Codicibus auctiores & emendatiores edi potuerunt. Tomus I, quo potiſſimum veteres ac ſinceri Scriptores continentur, qui res a prima gentis Auſtriacæ origine usque ad Seculum XIV in Republica ac Eccleſia præclare ac ſancte geſtas, narrationes etiam genealogicas veterum Auſtriæ Marchionum ac Ducum ſtirpis Babenbergenſis complectuntur &c. Edidit & neceſſariis notis, obſervationibus & animadverſionibus illuſtravit R. D. P. HIERONYMUS PEZ, Auſtriacus Ipſenſis, antiquiſſimi & exemti Monaſterii Mellicenſis Ord. S. Benedicti in Auſtria inferiore Profeſſus.

Lipſiæ, ſumtibus Joh. Frid. Gleditſchii B. Filii, 1721, fol. Alph. 9½.

FUerunt in Galliis recentiori potiſſimum ætate cum alii Viri illuſtres & doctiſſimi, tum in primis e familia Benedictina Dacherii, Mabillonii, Martenii, qui pretioſiſſima illa medii ævi monumentorum λείψανα herculeo labore eruendo, ab interitu vindicando, in unum colligendo, illuſtrando, & in publicam lucem proferendo bene de majoribus, bene de poſteris meruerunt. At enim vero Germani noſtri, uti reliquis gen-

tibus in hoc ſtudio laudabiliter præiverunt, ita ſucceſſu etiam temporis ſtrenue elaborarunt, ut ne reliquis haberentur minores, &, quod ad Benedictinorum in has litteras merita attinet, ne hac laude inferior videatur patria, cum æterno ſui ordinis decore efficiunt Benedictini duo Auſtriaci, iidemque fratres doctiſſimi R. R. P. P. Pezii, Bernardus & Hieronymus, qui ampliſſimam ſpem de ſe concitatam, copioſe & abundantur explent, ille Anecdotorum Theſauro noviſſimo, hic ſcriptorum Auſtriacorum Tomo, nuper admodum publicato. Par eſt celeberri-
Diſſert. procem §. 4 morum Fratrum in hæc ſtudium & amor, niſi quod ille Bernardus, Hieronymo fatente, non modo ſui operis ſuſcepti, ſed hujus etiam, quod manibus verſamus, fratri commendati laudem ferat, qui, licet primo initio, elegantioribus litteris hactenus innutritus, has epulas faſtidiret, & non ſine dolore aliquo attingeret, eam tamen nunc ſe dulcedinem, eam cum fructu conjunctam voluptatem ex iis percipere, ait, ut dici non poſſit.
7 Ordo in primo Tomo eſt talis, ut res veterum Laureacenſium & Patavienſium Præſulum, ad quos etiam in Norico Ripenſi ſum-
8 ma ſacrorum cura pertinuit, præmittantur, variæ ſanctorum
9 beatorumque virorum vitæ & Acta ſuccedant, his chronica, narrationes, tum hiſtoricæ, tum genealogicæ, necrologia, fragmenta hiſtorica jungantur, præmiſſis cuilibet monumento obſervationibus longe doctiſſimis. Diplomata, chartas, epiſtolas ſervat celeberrimus Autor ſingulari volumini, ſub *Auſtriæ Diplomaticæ* titulo, poſt tres ſcriptorum Tomos, edendo; privata
13 commentariola, ſchedas, collectanea tradet *Sodali cuidam Mellicenſi, qui poſt veterem Auſtriacorum hiſtoriam genuinis & legitimis monumentis aſſertam & vindicatm, rudes hos ac incomtos Scriptores bonis cum Muſis in gratiam redire coget, efficietque pro ea, qua valet ingenii præſtantia uſuque ſcribendi, ut perenni quadam eleganterque decurrente oratione perſcriptos gentis Annales tandem videamus.*

Sed propius ſpectanda ſunt ea, quæ in hoc primo Scriptorum Auſtriacorum Tomo a Reverendo Pezio exhibentur. Poſtquam nempe doctiſſimus Vir Auguſtiſſimam Sacratiſſimi Cæſaris Majeſtatem, cui merito hoc opus ſuum dicavit, comta & laudes

des cum Principis maximi, tum ſplendidiſſimorum Majorum explicante præfatione veneratus eſt, de ſuo etiam inſtituto in diſſertatione proœmiali, ita, uti jam a nobis dictum eſt, diſſeruit; in aliis quinque ſequentibus, I *de varia pro ratione temporum Auſtriæ nomenclatura*, II *de veteribus Auſtriæ inquilinis*, III *de iis, qui Chriſtianam religionem primum in has oras importarunt, aut importatam ſtudioſius propagarunt*, IV *quo ære Chriſtianæ anno Leopoldus I cognomento Illuſtris, veterum Auſtriæ Marchionum & Ducum ſtirpis Babenbergenſis Pater & Autor, Auſtriæ Principatum adierit: tum a quo Romanorum Imperatore eundem conſecutus fuerit? ubi & de Adalberto ſeu Alberto, Comite Babenbergenſi, juſſu Ludovici III Imperatoris decollato.* V *quod Leopoldi V Auſtriæ Marchionis vulgo Pulchri, ejusque Fratris Alberti, cognomento Levis, flagitium inceſtum, quo ſcilicet alter alterius conjugem per vim polluerit, mera puta ſit fabula, ab imperitiſſimo Seculi XIV homine conficta*, graviter atque luculenter exponit, atque demonſtrat. Dabimus aliquod ex his diſſertationibus doctrinæ excellentis ſpecimen, quale poſt ipſum opus recenſitum locus patietur.

Sunt autem in illud congeſta vetera Monumenta ſane multa: I *Autoris incerti breve Chronicon Laureacenſium & Patavienſium Archiepiſcoporum & Epiſcoporum*, ex codice membranaceo manu Sæculi XIV exarato Monaſterii Zwethalenſis ord. Ciſtercienſis. Autor ſæculo XIII ſuperior haud fuit, cum ordinem Prædicatorum anno demum 1216 cœpiſſe ſcribat. p. 1.
Sint hoc Catone contenti harum litterarum cupidi, cum tres alii ſcriptores ab hoc operis Tomo omnino abſint, *Anonymus Annalium Pataavienſium* ad annum usque 1255 deductorum Autor, quem Hundius ad manus habuit, & Gewoldus pollicitus eſt, *Bernardus Noricus*, qui *Catalogum Laureacenſium & Pataavienſium Antiſtitum* conſcripſit, apud Cremiſanenſes ſuperſtitem, *Nicolaum Schreitweinum*, qui & ipſe *Catalogum Laureacenſium & Pataavienſium Pontificum* contexuit, in Cæſarea Bibliotheca exſtantem. Ille per tot Auſtriæ Bavariæque Bibliothecas quæſitus, omni diligentia adhibita, inveniri non potuit; hi bono Pezio negati ſunt, II *Anonymi vetuſtiſſimi Verſus de* 7

 ordine

ordine comprovincialium Pontificum, ubi & de primis epiſco-
pis Patavienſibus, ex codice S. Emmerammi apud Ratiſponen-
p. 10 ſes & editione Ioannis Mabillonii. III *Indiculus pervetuſtus*
eorundem Patavienſium Antiſtitum a Wivilone usque ad Conra-
dum S. Leopoldi Marchionis Auſtriæ filium ex codice MS. Mo-
11 naſterii S. Crucis in Auſtria infer. ord. Ciſtercienſis. IV *Alius*
Indiculus itidem antiquus eorundem Epiſcoporum Patavienſium
a Wivilone usque ad Bernardum perductus, ex codice MS.
13 Monaſterii Gottwicenſis ord. S. Benedicti. V *Alius recentior*
Catalogus ſæpe dictorum Laureacenſium & Patavienſium Pon-
tificum a Wivilone usque ad Erneſtum, ex Cod. MS. Monaſt.
19 Tegernſeenſis Ord. S. Benedicti. VI *Vita S. Maximiliani Lau-*
reacenſis Archiepiſcopi & Martyris, autore anonymo, Canonico
forte Patavienſi Seculi XIII, ex codicibus MSS. variis in primis
35 Mariæcellenſi Sæculi XV. VII *Vita S. Floriani Principis of-*
ficii & Martyris, Autore Anonymo perantiquo, utpote quem
Rev. Pezius Rhabano Mauro, qui ſeculum IX illuſtravit, anti-
quiorem exiſtimat, ex codice MS. Emmerammenſi octingen-
38 torum annorum. VIII *Alia vita S. Floriani, ab Anonymo quo-*
dam, ut videtur, Canonico San-Florianenſi compoſita, ex
Cod. MS. chartaceo Mellicenſi, auctior ſane editione Henſche-
52 niana. IX *Vita eiusdem S. Floriani Martyris ab incerto au-*
tore, ſeculo fere duodecimo, metrice ſcripta ex Cod. MS. Ca-
62 noniæ San-Florianenſis Ord. Can. Reg. S. Auguſtini. X. *Vita*
S. Severini Monachi & Noricorum Apoſtoli, autore Eugipio ejus
diſcipulo, ex codice MS Mellicenſi Seculi XIII, Surii, Welſe-
94 ri & Bollandi editionibus curatius. XI *Vita S. Colomanni Mar-*
tyris, autore, ut creditur, Erchenfrido Abbate Mellicenſi, ex co-
dicibus Mellicenſibus, antea etiam a Lambecio, Schrambio &
109 Noſtro quoque, notis hiſtorico criticis adiectis, edita. XII
Vita B. Gothalmi Peregrini, autore Bernardo Dapifero Abbate
Mellicenſi, ex codice autographo & III aliis apographis Mel-
111 licenſibus, edita prius ex Cæſareo a P. Lambecio. XIII *Vita B.*
Altmanni Epiſcopi Patavienſis, Autore Anonymo Cænobita Gott-
wicenſi Seculi XIII, ex Codicibus Mellicenſi Sec. XV & Cam-
134 pililienſi Seculi XIII. XIV *Alia vita B. Altmanni Epiſcopi*

Pata-

Patavienſis, *autore Ruperto Abbate Gottwicenſi* Seculo XII, ex
MS. Codice Campililienſi Ord. Ciſtercienſ. cum alio codice
MS. inclyti Cœnobii B. M. V. Scotorum Viennæ ord. S. Bene-
dicti collato. XV *Chronicon Monaſterii Mellicenſis ab Anno* 162
primo æræ Chriſtianæ ad Annum ejusdem M D L I V, ab Ano-
nymo vel Abbate vel Cœnobita ejusdem loci Anno Chriſti
M C X X I I I ſcribi cœptum & deinceps ab aliis coæta-
neis anonymis Mellicenſibus ad finem perductum. XVI 287
Breve Chronicon Auſtriacum ſtemma resque geſtas vete-
rum Auſtriæ Marchionum & Ducum ſtirpis Babenbergicæ a
Leopoldo I cognomento Illuſtri usque ad Leopoldum VI Vir-
tuoſum dictum complectens, autore, ut Noſtro videtur, *Con-
rado de Wizenberg* hujus nominis I Abbate Mellicenſi, ex vetuſtis
membranis Mellicenſibus integrum magis, quam id Schram-
bius ſub nomine: *Literarum de genealogia Principum Auſtriæ*
ediderat. XVII *Hiſtoria fundationis Monaſterii Mellicenſis*, 293
autore Anonymo ejusdem Cœnobii, ex ſex Cod. Mellicenſibus,
majori fide, quam quæ in Lambeciana editione obſervatur.
XIIX. *Necrologium Mellicenſe vetus* Seculo XII in membranis
ſcribi cœptum. XIX *Inſcriptio veteris lapidis ſepulcralis*, 311
quo antiquorum Auſtriæ Marchionum & Marchioniſſarum oſ-
ſa in Monaſterio Mellicenſi condita quondam tegebantur,
additis utrorumque epitaphiis. XX *Chronicon Salisburgenſe* 314
a primo æræ Chriſtianæ anno ad MCCCXCIII, a Caniſiano
longe diverſum, Canonicis primum Salisburgenſibus, inde
Cœnobitis San-Petrenſibus Autoribus, ex Codice autographo
Abbatiæ S. Petri Salisburgenſis, Ord. S. Benedicti. XXI *Chro-* 433
nicon Clauſtro-Neoburgenſe (Cloſter-Neuburg) ab anno æræ
Chriſtianæ CCXIIX ad annum ejusdem MCCCXLIIX, iis
conſulto reſectis, quæ ante annum Chriſti 988 in eo referuntur,
nec ad Hiſtoriam Auſtriacam quidquam accommodatum con-
tinent, a Canonicis Clauſtro-Neoburgenſibus Ord. Can. Reg.
S. Auguſtini vergente Seculo XII condi cœptum, ex codice,
ut videtur, autographo Bibliothecæ Epiſcopalis Vindobonenſis.
XXII *Excerpta ex pervetuſto Necrologio Clauſtro-Neoburgenſi.* 491
XXIII *Vita B. Hartmanni*, ex Præpoſito Clauſtro-Neobur- 495

genſi Ord. Can. Reg. S. Auguſtini Epiſcopi Brixienſis, autore
Anonymo Canonico Clauſtro-Neoburgenſi fere æquali, ex Co-
dice Præpoſituræ Tirnſteinenſis nunc primum vulgata. XXIV
517 *Chronicon Zwetlenſe vetuſtius* ab anno Chriſti MLXXV ad an-
num MCLXXIX, autoribus duobus Anonymis Cœnobitis
Zwetlenſibus Ord. Ciſterc. ex Codice autographo ejuſdem Cœ-
nobii, accedit *Fragmentum Hiſtoricum de Fundatoribus Mo-*
524 *naſterii Zwetlenſis* ex Codice ejuſdem Cœnobii. XXV *Chro-*
nicon Zwetlenſe recentius a Chriſto nato usque ad annum
MCCCXCIX, autore Anonymo Zwetlenſi, ex Codice, ut vide-
tur, autographo Zwetlenſi; accedunt *Additamenta hiſtorica*
ad annum MCCCLVII, ex *Necrologio Zwetlenſi* excerpta.
547 XXVI *Autoris incerti Chronicon Auſtriacum* ab anno primo æræ
Chriſti ad annum ejuſdem MCLXXXIX Seculo XIII conſcri-
ptum, ex Codice Zwetlenſi ejuſdem ætatis, & ut videtur, au-
thentico, neglectis tamen iis, quæ ex Hermanno Contracto
567 fere deſumta annum Chriſti 1012 præcedunt. XXVII *Nar-*
ratio hiſtorica de electione Lotharii Ducis Saxoniæ in Impera-
torem Romanorum Moguntiæ anno Chriſti MCXXV, autore
Anonymo æquali, ex Codice Gottwicenſi, quam a Celeberr.
Eccardo in Quaternione ſuo notis illuſtratam editam eſſe, ali-
572 bi monuimus. XXVIII *Narratio Genealogica Poſterorum S.*
Leopoldi Auſtriæ Marchionis, autore Anonymo, ex veteribus
577 membranis Mellicenſibus. XXIX *Franciſci Patavi Oratio de*
S. Leopoldo Auſtriæ Marchione, qua ille in Senatu Eccleſiaſtico
A. 1484 contendit, Leopoldum Pium in Sanctorum nume-
rum ſolenni ritu eſſe referendum, ex MSto Mellicenſi, Surio
674 & Polzmanno. XXX *Bulla Innocentii VIII P. R. de Canoni-*
zatione S. Leopoldi Auſtriæ Marchionis, ex Codice Mellicenſi
682 & Polzmanno. XXXI *Autoris incerti breve Chronicon Au-*
ſtriacum, res a Veteribus Auſtriæ Marchionibus & Ducibus
ſtirpis Babenbergenſis geſtas usque ad Rudolphum I Impera-
torem complectens, ex Codice Monaſterii S. Petri Salisbur-
686 genſi. XXXII *Bernardi Norici*, ut Cremiſanenſes exiſtimant,
Chronicon Auſtriacum ab origine gentis usque ad annum Chri-
ſti MCCCVIII perductum, ex Codice autographo Cremiſa-
nenſi.

nenſi. XXXIII *Necrologium Monaſterii B. M V. vulgo ad Sco-* p. 695
tos Viennæ Auſtriæ, ex Ioanne Raſchio. XXXIV *Paltrami ſeu* 703
Vatzonis Conſulis Viennenſis Chronicon Auſtriacum ad A. 1301,
inde a *Nicolao Viſchel Cœnobita San-Crucenſi* usque ad MCCCX
continuatum, ab *Anonymo* demum ad A. MCCCCLV produ-
ctum, ex Codice MS. Clauſtro-Neoburgenſi chartaceo. XXXV
Hiſtoria Inventionis SS. Reliquiarum duorum Anonymorum 739
ad D. Hippolyti in Auſtria, auctore Anonymo Canonico Re-
gulari S. Hippolytano, ex Codice membranaceo Cœnobii Al-
tenburgenſis Ord. S. Benedicti in Auſtria inferiore auctius, quam
a Bollandinis Sociis edita, & emendatius. XXXVI *Anonymi Le-* 751
obienſis (Leobium, *Leuben*, oppidum Styriæ Superioris) *Chroni-*
con VI Libris comprehenſum, a Chriſto nato usque ad annum
MCCCXLIII, accedit brevis continuatio ab anno MCCCXLV
ad annum MCCCXLVII, ex Codice Clauſtro-Neoburgenſi.
Seculi XV. XXXVII *Anonymi Cœnobitæ Zwetlenſis Chronicon* 971
ab anno DCCCCXXVIII ad MCCCLXXXVI, ex chartaceo
codice MSto Clauſtro-Neoburgenſi. XXXVIII *Anonymi nar-* 1000
ratio de Prœlio Fridericum Pulcrum inter & Ludovicum Ba-
varum habito A. MCCCXXII, cui Autor interfuiſſe videtur,
ſermone Germanico, ex Codice Clauſtro-Neoburgenſi. XXXIX
Tabulæ Clauſtro-Neoburgenſes de primis Auſtriæ Marchionibus
& Ducibus Stirpis Babenbergenſis, eorumque Conjugibus & Li-
beris, autore Ladislao Suntbaimio, operam quoque conferen-
te Jacobo Præpoſito Clauſtro-Neoburgenſi, ex editione Baſileenſi
MCCCCXCI. XL *Matthæi* cujusdam vel *Gregorii Hageni* 1043
Chronicon Auſtriæ Germanicum a condito mundo ad Annum
Chriſti MCCCXCVIII perductum, ex Codice Tirnſteinenſi,
detractis nempe iis, quæ fabuloſe ante annum Chriſti 1056
tradita leguntur. XLI *Appendix ad iſtud Chronicon* ab A 1365
ad A. 1493, e Codice Dominicanorum Viennenſium eruta.
XLII *Viti Arnpeckii e Presbytero ſeculari Cœnobii Ebersbur-*
genſis Ord. S. Benedicti in Bavaria prioris Chronicon Auſtria-
cum a fabuloſis noſtræ gentis primordiis usque ad tempora Fri-
derici Imperatoris vulgo III productum, nunc primum ex Co-
dice, ut videtur, autographo in lucem datum. Hæc ita con- 1296
geſta,

geſta, deſcripta, collata, recenſita erant, cum Rev. Pezins,
Sodali R. P. D. Benedicto Bonnethi comite, Waldhuſium,
Canoniam Ord. S. Auguſtini in Auſtria inferiore nondum vi-
ſam, veterum librorum indagandorum cauſa, excurreret, &,
en! *Bernardus Noricus de Laureacenſibus & Patavienſibus*
Pontificibus, a Sodalibus Cremiſanenſibus tam pervicaciter ne-
gatus, in Codice chartaceo trecentorum amplius annorum No-
ſtro in primo fere aditu ſeſe offert, quem adeo in fine hujus
Tomi additum, L. B. indicamus. Rev. autem Pezium hoc ve-
luti omine accepto, inter varia, quæ ipſi in opere tam laudabi-
li obvenient, dura atque moleſta, nunquam non bene ſperare
jubemus.

Ad Diſſertationes doctiſſimi Pezii toti operi præfixas re-
vertimur, unum alterumve delibaturi, dicturique, plura for-
te, quam alias ſolemus, pauciora certe, quam animus fert,
harum deliciarum (ut vides B. L. & veniam dabis) cupidiſſi-
§. 1 mus. *De varia pro ratione temporum Auſtriæ nomenclatura* diſ-
ſertatione agitur ſecunda. Auſtria alia eſt ſuperior ad utrum-
que Danubii litus verſus occidentem ſita, alia inferior ad eadem
litora verſus orientem; utraque adeo eſt vel Cisdanubiana, ab
Auſtro nempe venienti, vel Transdanubiana. Hæc probe te-
2 nenda ſunt. Cisdanubiana ab Oeni Danubiique confluentibus
ad Cetium usque montem (den Kahlenberg) a Veteribus *No-*
ricum appellata eſt. Clariſſime Ptolemæus: *Noricum termi-*
nos habet ab occaſu Enum fluvium, a ſeptentrione Danubii par-
tem, quæ eſt ab Eno usque ad Cetium montem, ab ortu Solis
3 *ipſum montem Cetium &c.* Crevit inde Noricum, quo factum,
ut in Mediterraneum & Ripenſe tribueretur. Extra dubium
eſt, Auſtriam Cisdanubianam potiſſimum ad *Ripenſe* pertinu-
4 iſſe. Auſtria citerior ultra Cetium montem, ad Leytham flu-
5 vium usque, eodem Ptolemæo autore, ad *Pannoniam ſuperio-*
rem pertinuit. Auſtria Transdanubiana ſeu ulterior magnæ
Germaniæ portio fuit, & veluti frons, quod Tacitus ait,
6 Marcomannorum & Qvadorum regio. In eadem conſedere
Seculo V Rugii, unde *Rugilandiæ* nomen, quo cum exercitu
perveniſſe Odoacrum, regemque Rugiorum Teletheum ma-

gna

gna clade affeciſſe, narrat Paulus Diaconus. Seculo VI Hun- §. 7 ſeqq.
ni & Avares rerum potiti ſunt in Pannonia, nec intra montem
Cetium ſe continuerunt; Aneſus duorum regnorum, Germa-
nici puta & Hunnici, limes dicitur ab Eginhardo in Annalibus;
unde Auſtriæ citeriori iſta ætate *Hunniæ* & *Avariæ* nomen. De
Hunnia teſtantur breves Francorum Annales, antiquiſſimus
Codex apud Aventinum, Epiſtola Eugenii II; de Avaria diplo-
mata apud Hundium & Bernardum Fratrem. Auſtria inferi- 14
or *Pannoniæ* etiam nomen eſt ſortita. Ita in diplomate Em-
meramenſi apud Fratrem, & in Eginhardo. Seculo X, XI,
XII Auſtria omnis *orientalis plaga & Marka ſive Marcha*, ut 16
in Diplomatibus Ottonis III apud Hundium; & in alia ejusdem
Imperatoris charta, & Henrici III Literis *Oſtirrichi* & *Oſterrichi*
appellata eſt, *Orientalis* etiam *provincia* & *Marchia* ſive *Mar-
cha orientalis*, in Præceptis puta Henrici II, a Bertholdo Conſtan-
tienſi *Orientale Regnum*, ab Ottone Friſingenſi, *orientalis
Teutonicorum Marchia*, immo *oriens*. Ita enim Henricus I 20
Dux Auſtriæ in Diplomate San-Petrinenſi; *In nomine ſanctæ &
individuæ Trinitatis: Ego Henricus Dux Orientis* &c. & in alia
charta traditionem Monaſterio Admontenſi factam continen-
te: *Anſelmus Miniſterialis Heinrici Ducis de Oriente vendi-
dit & delegavit ipſe & uxor ejus & filii ejus locum curtis apud
Chremeſe* (Crembs) *in oriente* &c. Accedit autoritas Annalium
Fuldenſium: *Imperator per Wajowariam ad orientem profici-
ſcitur, veniensque prope flumen Tullinam, in monte Comiano collo-
quium habuit*, & Martyrologii Benedicto-Burani: *Item S. Ko-
lomanni Martyris, qui in oriente paſſus eſt*, quem in Auſtria in-
terfectum, ibidemque coli ſatis conſtat. *Bavariæ* etiam *Orien-* 21
talis nomen tulit, quod Bavarici fere juris eſſet, antequam in
peculiaris Provinciæ formam, Comitibus & Marchionibus
propriis datis, redigeretur. Noviſſimum nomen eſt *Auſtria*,
quod cum a ſitu regionis manifeſtam originem trahat, non ab
Auſtro, qui medium Solem amat, ſed a Germanica voce Oſten,
ante Seculum XI tamen non auditum eſt. Primum nempe in
Tabulis Erneſti Marchionis, qui ab A. MLVI ad A. MLXXV
regioni præfuit, & Literis fundationis Monaſterii S. Nicolai ex-

tra muros urbis Pataviensis a B. Altmanno Anno MLXXIV datis occurrit.

Diſſ. II in fine. Nominibus veteribus commodum jungerentur Veteres Auſtriæ Inquilini, ſed hæ diſſertationes ita ſunt bonæ frugis pleniſſimæ, ut omnium epitomen conficere non liceat. Neque tamen injucundum erit, ſaltim Iconem gentis Auſtriacæ, ab Auſtriaco homine profectam ex illa *ſecunda Diſſertatione* hic legiſſe, iis, quibus multa eſt cum Auſtriæ civibus conſuetudo, arbitrio de veritate relicto. *Auſtriaci tam ad belli, quam ad pacis artes egregie facti ſunt, aptiores tamen ad poſteriores ob mitius & lenius ingenium, quo a reliquis Germaniæ populis præcipue differunt. Hinc brevior eorum & minus pertinax ira, & amplior metus ab hoſte, etiam quem ſæpiſſime vicerunt, ac denique clementiores victoriæ. Divinam religionem ſtudioſe curant, a ſuperſtitione tamen remotiores. In luxum faciles bonorum malorumve exempla celerius ſectantur, vix ſuo, nedum alieno damno ſatis cauti. Principes ſuos patrum loco ſemper habuerunt, clementiori imperio adſueti. Splendidis conviviis ac ædium magnificentia, copioſoque apparatu mirifice delectantur, eoque in genere totis patrimoniis de primo loco nonnunquam decertant. Multi prodigalitati, quam liberalitati ſunt propiores. Candor animi maximus, faciles amicitiæ ac minor taciturnitas. Ingenium pleriſque Auſtriacis majus eſt, quam in eo percolendo contentio, quæ, ſi acceſſerit, ceteris Germanis literas & celerius, & penitius adſequuntur. Foris amplius valent, quam domi, ubi indulgentius habentur. In conſiliis primo plerumque congreſſu res maximas definiunt, non perinde fortes & conſtantes in iis, quæ probarunt, exſequendis. Vino, quod nobile & generoſum patria profert, num plures ſibi morbos concilient, an curent Auſtriaci, dubium eſt. Hoſpites, ſed pauciorum dierum, curate habent ac colunt. Urbes Tuſculanis beatiores plerique putant. Gravioribus laboribus ferendis impares, civilibus artibus acrius inſtant, licet exterorum artificia ſuis omnes præferant ac demirentur. Nemo, quod ſibi ſemel propoſuit, ſe conſecuturum facile deſperat. Vix quisquam vehementiſſime amat, & pauci vel ampliſſimam fortunam probant, ſi ſerviendum ſit. Falluntur ſapi-*

ſæpius, quam fallunt, nec a vitio apud eos procul abeſt, qui tectior apparet, Ad riſum proni triſtium & acerborum facile obliviſcuntur. Dum ſumma rerum ſalva ſit, minora non gravate negligunt.

In Diſſertatione V quæritur, num *Leopoldus I* idem veteribus *Liupaldus*, *Liutpaldus*, *Leopaldus*, *Liupoldus*, *Luipoldus*, *& Leupoldus*, cognomento *Illuſtris*, e nobiliſſimorum Comitum Babenbergenſium ſtirpe deſcenderit? Res omnis nititur teſtimonio Ottonis Friſingenſis Epiſcopi, S. Leopoldi Auſtriæ Marchionis filii: *Ex hujus Alberti ſanguine Albertus, qui poſtmodum Marchiam orientalem, id eſt, Pannoniam ſuperiorem Ungaris ereptam, Romano Imperio adjecit, originem duxiſſe traditur*, & confecta eſt, ſi quidem, ut bene monet Noſter, Ottonem traditio non fefellerit. Ille *Albertus*, quem Annales Auſtriaci ob Hunnos ſæpius fuſos, *Victorioſum* appellant, *Henrici*, quem per injuriam *Rebellis* nomine inſigniverunt, Filius, Avum habuit noſtrum Luitpaldum. Sed an Luitpaldus patrem habuit illum Adalbertum? Sane nomen Patris ignoratur. An itaque ille Adalbertus? Variæ hic fabulæ & errores, in quibus confutandis Noſter hic deſudat. Idem tamen Noſtro veriſimillimum videtur, hoc argumento: Albertus Victorioſus *originem ſuam duxit ex ſanguine* Alberti ultimi Babenbergenſium; autor eſt Otto; ſed non ut a Patre, Patrem enim habuit Henricum Rebellem; nec ut ab Avo, Avus enim fuit Leopoldus Illuſtris, ergo ut a Proavo, quo ipſo conficitur, Albertum fuiſſe Leopoldi Patrem. Videant rei hiſtoricæ peritiores, num hæc neceſſaria conſequentia nitantur. Jam ad triſtia fata Alberti digreditur Pezius, & ea Hattonis perfidiæ tribuit. Nova quæſtio oritur, quo anno Marchionatum Auſtriæ adierit Leopoldus? Variæ iterum ſententiæ, in quas accurate inquirit Rev. Pezius. Dubius eſt Annus, ignoratur etiam Imperator, cujus beneficio id factum. Maxime tamen probabilis opinio eſt, quæ id contigiſſe ait Anno DCCCC XXXV, autore Chronographo Leobienſi, homine in indagandis rebus Auſtriacis induſtrio, anno Leopoldi fere XXX, juvenis ætate & viribus florentis, qualem præfectum infida illa provincia ſibi depoſcebat. Proxima

Differt. V §. 1 2 3 9 10 17 18

xima opinio eſt allegantium Annum DCCCCXXVIII, quæ etiam fide Anonymi Zwetlenſis nititur. Omnium autem conſenſus eſt, intra annos DCCCCXXV & DCCCCXXXV Marchionatum iniiſſe Leopoldum, ex quo ſatis patet, deberi id Henrico I Aucupi, qui ab A. DCCCCXX ad A. DCCCCXXXVI rerum in Germania potitus eſt.

§.18 Lepida eſt Fabula, quam Conradus de Wizenberg, ab A. Chriſti 1177 ad An. 1203 Abbas Mellicenſis, in Brevi Chronico de primis Auſtriæ Marchionibus ad Leopoldum II ſcripto memoriæ prodidit. *Dum adhuc adoleſcens*, inquit Conradus de Leopoldo Illuſtri, *die quadam in venatione per avia ſecutus fuiſſet Imperatorem, ſolum ſcilicet ſolus, & ille feram percuſſurus arcum fortius attrahens comminuiſſet: Juvenis arcum ſuum, ut erat contentus, manui cunctantis promtiſſime inſeruit: Sicque Princeps percuſſa fera, ſuper alacritate adoleſcentis delectatus, ſub autoritate regia promiſit ei Terram, quam ſibi proxime vacare contingeret ipſique competeret, atque pro memoria & confirmatione promiſſi, quia nullus interfuit, dedit ei arcum contritum. Non multo poſt tempore mortuo Marchione Auſtriæ, cum multi procerum quisque pro ſe inſtarent Imperatori, prorumpere in medium juvenis cum atteſtatione fracti arcus, regalis promiſſionis petiit executionem. Cui Princeps, nihil moratus, induſtriam ſuam commemorans, auctoritate regia Marchiam traditam confirmavit.* Lepida, inquam, eſt fabula, cui omnem demere fidem nolim, neque tamen addere, cum Pezius noſter probe obſervet, fuiſſe eam Leopoldo virtutem, &, ſi Ottoni redas, etiam neceſſitudinem, ut, absque illa induſtria, quam in venatione Regi comes demonſtraſſe a Conrado dicitur, Rudigeri de Proclara nuper defuncti provincia merito ei delata ſit. Anni, in quibus Auſtriæ præfuit, nunc facile

19 invenire dantur LIX, ſi Leobienſem ſequaris, LXVI, ſi Zwetlenſi credas. Anno enim 994 *in civitate Wirtziburg*, teſte Chronographo Saxone, ubi Bernwardi Epiſcopi hoſpes militum

20 luſibus intererat, *cum ſagitta improviſe vulneratus obiit*. Eadem, & prolixius quidem Ditmarus, qui etiam Wirciburgi ſepultum affirmat, quod Mellicenſes ex lapide ſepulcrali negant.

gant. Uxor ei *Ribkart*, incertum, quo genere ſata. Filii, Hen- p. 21
ricus Auſtriæ Dux, & Poppo Trevirenſium Archiepiſcopus. 22
Ille poſteris audit Rebellis, manifeſto errore recentiorum, qui 23
Henricum Comitem & Marchionem *Franciæ orientalis*, Hezelonem appellatum cum Henrico Comite & Marchione *Orientalis plagæ* confuderunt. Sed diſcedendum tandem eſt ab opere, quod omnium laudem meretur. Nos Reverendo Pezio propitium Principem, faciles Bibliothecarum & Tabulariorum aditus, Sodales eruditione & diligentia haud impares, Auſtriæ vero Diplomaticæ, & Annalibus Auſtriacis fauſtos natales apprecamur.

ORIGINES SERENISSIMÆ AC POTENtiſſimæ Familiæ Habsburgo-Auſtriacæ ex Monumentis veteribus, Scriptoribus Coætaneis, Diplomatibus, Chartisque nunc primum continua ſerie ab origine prima ad Rudolphum Imperatorem usque demonſtratæ, & S. Cæſareæ ac Catholicæ Majeſtati devotiſſime oblatæ a JOHANNE GEORGIO ECCARDO.

Lipſiæ, ſumtibus Joh. Frid. Gleditſchii B. Filii, 1721, fol.
Alph. 1 plag. 16 Fig. æn. 2.

Bene ac laudabiliter celeberrimus Eccardus inſtituit, in origines gentis auguſtiſſimæ Habſpurgo-Auſtriacæ inquirere, cum, quod infinita prope fabularum, errorum, opinionum monſtra, quæ homines in his ſtudiis leviter verſatos ad prima initia pervenire non ſinebant, talem, qualis omnium aſſenſu eſt Noſter, Vindicem, Virum omnis Antiquitatis Germanicæ ſcientiſſimum, poſtularent, tum, quod idem animo fingens formansque materiam tanta doctrina dignam, nobilem, excellentem, aliam magis excelſam voto ſaltim concipere non poterat, aut ſimilem huic, quam explicavit. Sane dudum intererat Reipublicæ, & ad gloriam nominis Germanici pertinebat, illuſtraſſe ortum tot Auguſtorum, & in tanta rei hiſtoricæ luce expoſuiſſe, quibus majoribus ſatus ſit Princeps divinitus terris

datus, Cæſar idem & Catholicus Rex, bello maximus, pace etiam major, hoſtium terror, ſuorum amicorumque amor & delitium, cujus virtutes nullo vitiorum confinio læduntur; quam provinciam cum occupaverit non modo Noſter, ſed etiam ornaverit, non noſtras, ſed publicas omnino laudes promeruit. Sunt autem in hoc Volumine Originum Libri II, Monumentorum eo pertinentium Codex, docta Cl. Schminckii Diſſertatio de Athico Duce, & totius operis præfatio, qua Abbatis de Campis ineptiæ Auberianis inſipientiores pro merito excipiuntur, de quibus omnibus nobis nonnihil dicendum eſt.

Procem. Hieronymus Vignerius cum ante annos fere ſeptuaginta in origine Familiarum Alſaticarum, Lotharingicæ, Auſtriacæ, Badenſis & aliarum multarum detegenda verſaretur, concinnavit ſtemma ſacratiſſimæ gentis, quod appellat *Archinoaldinum*, ita quidem ut *Ricimerum* Patricium, *S. Gertrudis* maritum, communem ſatorem faciat, & ex *Ega* Filio, Majore domus Dagoberti I *Archinoaldum* Nepotem, Majorem domus ſub Clodoveo II, huic vero ex *Leudeſio* Filio, Majore etiam domus, Filium *Athicum* ſive *Athalricum* Habſpurgiorum Satorem tribuat. Sunt varia, quæ in hac Genealogia ſpongiam merentur ex Noſtri ſententia, illud vero inprimis quod non ſatis conſtet *Leudeſio* Majori domus fuiſſe poſteros. Scilicet Athici Alemanniæ Ducis Patrem *Leudericum* cum *Leudeſio* Majore domus confuderunt veteres nonnulli, Fragmentum Alberto Argentinenſi præfixum, Kônigshovii Chronicon Latinum, vita S. Odiliæ a Mabillonio poſtremum edita, Chronicon Novientenſe Martenii, & hos ſecuti Vignerius, Bruſchius, Bucelinus, Chifletius, Blondellus, facili errore ob affinitatem nominis, ſed eo magis, præeunte ſummo Viro Joh. Mabillonio, nunc abjiciendo, quod aliunde conſtat, *Athicum*, quem *Leudeſii*, mortuo demum Childerico, Majoris domus Filium faciunt illi, regnante Childerico habuiſſe filium *Adalbertum* tam provectæ ætatis, ut Monaſterium S. Stephani intra muros veteris Argentorati condiderit, eidemque filiam ſuam *Atalam* præfecerit. Athiconi itaque Habſpurgiorum ſatori Pater eſt *Liutherius* vel *Leutharius* Alemannorum Dux, &, ſi conjecturas ab

(margin: L. I c. I — beside "Filium *Athicum*"; c. 2 — beside "*Leudeſio* Majori")

ὁμονο-

ὁμονομίᾳ ductas non reſpuas Avus, *Liutfredus* ſeu *Leudefridus*, qui A. 588 in Childeberti R. offenſam incidit, Proavus *Leutharius* Alemanniæ Dux, Bucelini in Italia Narſete occiſi Frater; reliqui majores ignorantur.

Ethiconi uxor fuit *Berſuinda*, ſoror Sigrandæ, matris S. C. 3
Leodegarii; liberi, *Ethico*, *Adalbertus*, *ἀνώνυμος*, *S. Odilia* Ab- 4
batiſſa Hohenburgenſis, *Hugo*. De *Adalberti* Alemanniæ Ducis
poſteris diſſerit Noſter accurate & prolixe, nos nunc Habſpur- 5 ſqq.
gicas origines in Ethiconis progenie proſequemur. *Ethiconi* 7
II Duci Alemanniæ Filii fuere *Albericus* Comes & *Ethico* Epi-
ſcopus Argentinenſis. Fragmentum Vitæ S. Odiliæ: *Ejus Filii
Epiſcopus Argentinenſis æquivocus & Albericus Comes.* Nepos
ex Alberico *Eberhardus I* Comes. Idem Fragmentum: *Inter
quos Eberhardus Alberici Comitis Filius*, *qui licet Leone & Ur-
ſo ferocior aliquando in ſervos Dei ſævierit &c.* Pronepos fe-
re ignoratur; ut enim Eberhardo illi jungamus Adelindem
uxorem, quod fecere Vignerius & Chifletius, temporum ratio
vetat, octoginta fere annis inter illorum Eberhardorum ætates
intercedentibus. Tacentibus Annalibus opem ab ingenio petit
Eccardus. Fuit eo tempore illuſtris Comes *Bego*, *Alpaidi* Ludo-
vici Pii filiæ matrimonio junctus; huic filii *Letardus*, (Lutar-
dus, puta, ſive Leutharius) & *Eberhardus* nomina genti Ale-
mannicæ familiaria, quin ipſe ille *Bejo* eſt *Albericus*, ex quo
Berico, *Berigo*, & extruſo *R*, *Bego* nomen factum eſt. De filiis
Begonis Frodoardus: *Quod cœnobium poſtea per precariam ipſius
Alpaidis vel filiorum ejus Letardi & Ebrardi ad partem & poſ-
ſeſſionem Remenſis devenit Eccleſiæ.* Eberhardi II Filius dubio
procul eſt *Eberhardus III*, *Comes bellipotens de Alſatiæ Partibus*,
teſte Autore vitæ S. Deicoli, Adelindis Maritus, Waldradæ &
conſanguinitate & amicitia junctus. Eberhardo III filius fuit no- 9
mine *Hugo I Adelheidis* Ludovici III Franciæ Regis uxoris, &
Wulfhardi Abbatis Flaviniacenſis & Archicancellarii in Francia
frater, uti hæc ex diplomate quodam Caroli Simplicis, & Hu-
gonis Flaviniacenſis Chronico colliguntur. Hugoni I liberi III
Eberhardus, *Hugo II*, *Guntramnus*, cognomine dives: ita enim
Autor vitæ S. Deicoli. Ex his Guntramnus eſt Habſpurgio-
rum

rum progenitor, cujus poſteri originum Libro II exponuntur.

L. II C. 1 Guntramnus, Hugonis I & Hildegardis Filius, eſt ille *Guntramnus Dives*, quem Acta Murenſia memorant, eo etiam potiſſimum argumento, quod Novientenſis Monaſterii ab Ethicone I Alemanniæ Duce reſtaurati & dotati Advocatiam geſſerit.
2 Ex hujus liberis eminet *Lancelinus* Comes de Altenburg. Guntramni divitis filius, quem ſibi *liberi homines* in loco, quem a *ſubterraneis muris antiquitus conſtructis*, *Murum* appellabant, optarunt defenſorem. Ille vero annuit, & *tam diu*, inquiunt Acta Murenſia, *in hoc illis præfuit, quousque totum in ſuam poteſtatem tam juſte, quam injuſte contraxit*. Lancelino filius fuit *Radeboto*. Acta Murenſia: *Heredes venerunt hucusque ad locum, quod dicitur Marpach, ibidemque juſſu Radebotonis filii ipſius Lancelini, ab iſtius loci hominibus cum injuria repulſi redierunt*. Radebotoni uxor fuit *Ita* Friderici Lotharingiæ Ducis & Beatricis Filia, quæ illam injuriam *liberis hominibus & heredibus* factam condito Monaſterio Murenſi expiavit, & decora Capetingorum, Ottonum etiam Saxonum & Carolingorum in Habſpurgicam gentem derivavit. Fuit enim *Beatrix*, mater Itæ, ſoror Hugonis Capeti, Filia Hugonis Magni & Hedwigis, avo adeo materno Henrico Aucupe, Proavia vero Hatui Ottonis illuſtris conjuge ſata, quæ ipſa Ludovicum Pium Avum maternum ciebat. Frater Radebotonis fuit *Wernerus* Epiſcopus Argentinenſis, Monaſterii Murenſis in patrimonio ſuo, ex ſententia nempe
3 *Itæ* Affinis, conditor, filii vero *Otto*, *Albertus*, *Wernharius*, *qui ſibi*, fratribus puta mortuis, *tunc penitus locum vindicavit*, ut loquuntur Acta ſæpius memorata, *immatura autem morte præventus III Idus Novembris vitæ finem ſortitus eſt an. MXCVI Do-*
4 *minicæ Incarnationis*, *filiusque ejus* Otto *in Advocatum pro eo*
5 *conſtitutus eſt*. Otto *genuit* Wernherum & Adelheiden *de Hu-*
6 *neburg*. Wernherus *vero* Adelbertum, cui obtigit Uxor *Ita*, veteres Welphos & Billinganos, Reges etiam Hungariæ & Norwegiæ vetuſtos Habſpurgicis jungens. Ita enim Genealogia Murenſis: *Albertus per Itam Comitiſſam de Pfullendorff filiam ſororis Ducis Welph genuit Rudolphum, & Comitiſſam de Lingen.*

gen. Idem ille *Albertus* eſt *Rudolphi* Imperatoris *Proavus*, *Rudolphus* Avus, Pater vero *Albertus*. Charta Wettinenſis Rudolphi Habſpurgici, Alſatiæ Landgravii, poſtea Romanorum Imperatoris, a Guillimanno publicata: *Tam nos, quam bonæ recordationis progenitores noſtri, Comites videlicet Albertus, mihi Landgravio Pater, nobis tribus fratribus Patruus, Rudolphus Avus, Albertus Proavus* &c. qua omnis illa de Perleoniis & Aniciis, Majoribus Auſtriacis, fabula, magno etiam Lambecio adamata, prorſus deletur, qua Petrus III Perleonius, Adelberti Pater, Rudolphi Imperatoris Avus fingitur, commento futili, & eo minus ferendo, quod illæ origines Perleoniæ, ſi verum amamus, tandem in Judæos Apellas deſinant. Habſpurgii ſunt, Alemanni ſunt Auſtriaci, quorum auguſtiſſimum Genus in Principe, quo majorem prior ætas non vidit, CAROLO VI, Imperatore Pio, Felici, Auguſto, ſuperſtes, ut multa & maſcula ſobole firmare velit divina bonitas, omnes boni precantur.

Origines ſequuntur Probationes ſive Monumentorum Codex, quorum fide illæ nituntur. Continentur autem præter Fragmenta nonnulla, Legis Alemannorum, Vitæ S. Odiliæ vetuſtiſſimum, Codicis pergameni manuſcripti, qui Hiſtoria de Corpore Domini inſcribitur, a Schiltero ad Königshovium editum, Vitæ S. Deicoli; Vita S. Odiliæ ex Mabillonio, Genealogia S. Odiliæ, ex Chronico Königshovii Latino, Beslii Vera Origo Hugonis Regis Italiæ contra Gaſparum Scioppium, Wiberti Archidiaconi Vita B Leonis IX Papæ, Origines Murenſis Monaſterii, additis Diplomatibus longe plurimis Honaugienſibus, & Murbacenſibus ex Mabillonio, Vezeliacenſibus, Pultarienſibus, Grandivallenſibus ex Dacherio, Tullenſibus ex Benedicto Tullenſi, variis ex Guillimanno, Coccio, Vignerio, Baluzio, Ughello, Cointio, Petro Maria Campo, Joanne a Boſco, Meibomio, Chriſtophoro Hartmanno, Cruſio.

Occupat extremum *Jo. Hermanni Schminckii, Hiſtoriarum & Eloquentiæ apud Marpurgenſes Prof. Publ. Diſſertatio Hiſtorico-Genealogica, in qua diſquiritur: Num Adalricus ſive Athicus Dux Alſatiæ Leudeſii Majoris Domus fuerit filius?* quam

Celeb. Eccardus, opere licet ſuo fere abſoluto oblatam ſibi, cum mire cum iis, quæ ipſe in originibus diſputavit, conſentiat, di-
§. 1 gnam exiſtimavit, quam in fine adjiceret. Scilicet cum decantatum illud Stemma Archinoaldinum etiam Cl. Tolnero in Hiſtoria Genealogica Sereniſſimorum Haſſiæ Landgraviorum valde placuerit, quos per Lotharingiæ & Brabantiæ Duces inde prognatos eſſe multis demonſtrare aggreditur, operæ pretium viſum fuit Cl. Schminckio penitius in iſtas origines inquirere,
2 quod ita effecit, ut primum de Erchinoaldo & Leudeſio Majoribus Domus, quæ poterant, dixerit, deinde Anonymi Urſtiſiani narrationem, omnis illius fabulæ fontem, excuſſerit, ſuas demum de Majoribus Athici conjecturas, quas vocat, in me-
3 dium attulerit. Erchinoaldus dubio procul fuit Neuſtrius, cum palatium habuerit vici Peronenſis; & in Rothomagenſi agro
4 prædia. Pater illi fuit non Erchinoaldus Burgundiæ Patricius, ut vult Clar. Tolnerus, ſed forte Erchinoaldus ſub Dagoberto
5 Major Domus. Ipſe anno tertio Chlodovæi II, Ægane mortuo,
6 dignitatem Majoris Domus in Neuſtria obtinuit. Mortuus anno 656, quod Noſter contra Bollandum, Blondellum, Spenerum,
12 Henſchenium, Tolnerum docte evincit. Erchinoaldo ſucceſſit Ebroinus, qui cum ſua poteſtate abuteretur, & mortuo Chlotario Rege Theodoricum, optimatibus non conſultis, Regem conſtitueret, omnium odium in ſe concitavit. Coeunt Franci, & Rege illo vitio creato in Dionyſiacum, Ebroino Majore Domus in Luxovienſe Monaſterium detruſis, Childericum Regem Auſtraſiæ, Neuſtriæ etiam & Burgundiæ Regem dicunt An. 670, qui vero civibus & proceribus gravis A. 673 a Bodilone inter-
13 ficitur. Wulfoaldus Major Domus ex Neuſtria inſida in Auſtraſiam fugit. Neuſtraſii Leudeſium Majorem Domus, mox Theodoricum e Monaſterio eductum Regem conſtituunt an. 673, quod ubi audivit Ebroinus, in ſpem Majoratus recuperandi adductus e monaſterio aufugit, & ſtructis Leudeſio inſidiis A.
13 674 eum perfide obtruncavit. An itaque hujus Leudeſii filius
16 fuit Athicus? Ita vult Anonymus Urſtiſianus. Sed idoneus veri
17 autor non eſt, de rebus Seculi VII Scriptor Seculi XIII, variorum præterea errorum reus. Ait enim, Dagobertum Monarcham

Fran-

Franciæ univerſæ factum an. 631, quod an. 628 accidiſſe certo certius novimus. Idem confundit Erchinoaldum primum & ſecundum, Majorem domus ſub Dagoberto cum Majore domus ſub Chlodovæo II. Nec Dagobertum I & II ſatis diſcernit. Narrat, Chlotharium conſtituiſſe Ebroinum Majorem domus, §. 18
quod a Francis optimatibus factum eſt: Ebroinum a Childerico Monaſterio incluſum eſſe, quod a Proceribus Neuſtriæ factum, Childerico nondum rerum Neuſtraſiarum domino: Leudeſium Ebroino ſtatim ſuffectum, quod ante Childerici mortem factum non eſt: Leudeſium Germanis vocari Leuthericum, quod uti probari poterat, ita diverſos eos fuiſſe viros, ipſe in ſequentibus affirmat: Leudeſium jam Majorem domus duxiſſe uxorem & genuiſſe Athicum, cum patre ſuo ſuperſtite & Childerico II regnante matrimonium inierit: Adalrici uxorem fuiſſe Berſuindam, ſororem Bilihildis, conjugis Childerici II & neptem ex ſorore S. Leodegarii, cum Cl. Schminckius docte oſtendat, illam Bilihildem Sigeberti Auſtraſiæ Regis fuiſſe filiam, quem Childerici II fuiſſe patruum, vel ut illius ævi homines loquebantur, avunculum, ſatis conſtat. Eſt itaque *Athicus* non *Leudeſii* Filius ſed *Leutharii* ſive *Liutherici* Alemannorum Ducis, viri in Auſtraſia maximi nominis, cujus Ducatum Childericus filio conceſſit, quam ſententiam, a Schminckio ſub conjecturæ nomine viris doctis commendatam, admodum firmat doctiſſimi Eccardi aſſenſus. 25

Præfatio ſupereſt totius operis, de qua, cum ſingulare argumentum contineat, dicturi eramus uberius, niſi vereremur, ne patriæ amore longius abrepti aliis videremus in his nimii. Commendanda tamen eſt iis, quibus nominis Germanici gloria curæ cordique eſt, quam Vir illuſtris *Abbas de Campis*, qui ab aliquo tempore motis optimo diligentiſſimoque Viro P. Danieli controverſiis exteris etiam innotuit, nuper impugnare cœpit, affirmans: *Imperium Romanum Occidentale non ſolum a Chlodovæi tempore usque ad Carolum M. penes Reges Francorum fuiſſe; ſed etiam poſt eum dignitatem Imperialem Monarchiæ Franciæ inſolubili vinculo ad noſtra usque tempora connexam manere, Regesque adeo Franciæ ſe ideo nunquam non Impera-*

peratores vocaſſe. Suave ſomnium eſt, quod uti ea tempeſtate, cum Ludovicus M. Orbis Imperium affectaret, Abbatem de Campis facile ludificare potuit, ita miramur merito, illud inter publicas Galliæ calamitates proferri, quibus florentiſſimum Regnum prorſus atteri magis dolemus, quam ut Imperiali ſplendori, qui per tot ſecula in noſtris Auguſtis continuatus eſt, admodum metuamus. Interea & in eo ſuam patriæ pietatem probavit Celeb. Eccardus, quod inſolentem illam opinionem carioſis, fictis, nutantibus tibicinibus ſuffultam levi brachio proſtraverit.

M. Johann Erhard Kappens Sammlung einiger zum Päbſtlichen Ablaß gehörigen Schrifften.

h. e.

M. JOANNIS ERHARDI KAPPII NONnullorum Scriptorum cum ad Indulgentias Pontificias generatim, tum ad motas initio Seculi XVI inter D. Martinum Lutherum & Joannem Tetzelium controverſias pertinentium Collectio, prolegomenis ſuis & notis inſtructa.

Lipſiæ, impenſis Joannis Chriſtiani Martini, 1721, 8. Alph. 1 plag. 18.

FIdem, quam Cl. Autor in alia Schedarum ad Indulgentiarum hiſtoriam pertinentium Collectione, ſuperiori anno in Actis noſtris menſe Novembri laudata, dederat, futurum, ut rariſſimum Scriptum, Inſtructionem puta Subcommiſſariorum Alberti Moguntini, juncta alia rerum non ubivis obviarum farragine, proxime in publicum ederet, nova hac collectione nuper luci publicæ expoſita abunde liberavit. Affert autem, poſtquam nonnulla de ejusmodi collectionum utilitate, ſatis, ut opinatur, cum autoritate Lutheri, Chemnitii & Hottingerorum, tum exemplo Virorum celeberrimorum, Seckendorfii,

Tenzelii, Hardtii, Lœſcheri aſſerta, præfatus eſt, I Literas III p. 7
Clementis VI P. R. ad Joannem & Joannam Franciæ Reges,
quod Rex & Regina poſſunt in locis interdictis ſacra celebrare,
quod poſſunt eligere Confeſſorem, quod Confeſſor poteſt mutare
vota & juramenta eorum, ex Luca Dacherio. II Chriſtiani Bom- 28
howeri, Julii II P. R. Subcommiſſarii, Literas Indulgentiarum
pro tutela partium Livoniæ in ſubſidium Sanctæ cruciatæ con-
tra ferociſſimos Ruthenos, Hæreticos & Schiſmaticos, Tartaro-
rum infidelium auxilio fretos, A. 1508 conſcriptas, ex authen-
tico exemplo. III Joannis Tetzelii, Leonis X ad Germanorum 39
Provincias Commiſſarii, Literas Indulgentiarum, Guardiano
Minorum in nundinationis ſocietatem allecto, A. 1515 editas,
ex Lœſchero. IV Bartholomæi Farratini, Leonis X Commiſſa- 47
rii, Literas, Romæ 1515 18 Nov. datas, & a Jo. Schrœdero
Theologo Norico ante Seculum editas. V Franciſci Triponti- 71
ni J. V. D. Hoſpitalis S. Spiritus in Saxia de Urbe autoritate A-
poſtolica ad partes Alamanniæ Commiſſarii, literas confrater-
nitatis præfati Hoſpitalis, ex MSto. VI Alberti Archiepiſcopi 117
Moguntini & Magdeburgici, S. R. I. Electoris & Archi-Cancel-
larii, *Inſtructionem ſummariam pro Subcommiſſariis pœnitenti-*
ariis & confeſſoribus in executionem gratiæ pleniſſimarum in-
dulgentiarum; ac aliarum pleniſſimarum facultatum in favo-
rem Baſilicæ Principis Apoſtolorum de urbe, ex veteri exemplo
Bibliothecæ hujus urbis Senatoriæ. VII M. Lutheri Epiſtolam ad 292
Albertum Archiepiſcopum, ex Mayeri Eccleſia Papæa Luthe-
ranæ reformationis Patrona. VIII & IX Sermonem Lutheri de 317
Indulgentiis, cum Refutatione Joan. Tetzelii, ex exemplo vetu-
ſtiſſimo Bibliothecæ Lipſ. Paulinæ. X Martini Lutheri defenſio- 34
nem Sermonis ſui de Indulgentiis, ex Tomo I Altenburgenſi.
XI Martini Lutheri Epiſtolam ad Hieronymum Scultetum 390
gente Sileſium, Eccleſiæ Brandenburgenſis Epiſcopum, ex col-
lectione Epiſtolarum Lutheri per Aurifabrum. XII Leonis X. P. 413
R. Mandatum Thomæ de Vio Cajetano, Cardinali & ſuo ad
Maximilianum Imperatorem & Chriſtiernum Daniæ Regem
Legato, datum 1518 5 Maji, ex Odorico Raynaldo. XIII No- 457
vam decretalem Leonis X P. M. de Indulgentiis an. 1518 condi-

p. 489 tam, ex T. I Jenenſi & Wittebergenſi. XIV Leonis X ad Hel-
500 vetios de Indulgentiis Epiſtolam, ex Hottingero. XV Formulas
nonnullas ex Officiis Anglicanis ad indulgentiarum mercaturam
537 facientes, ex Burneto. XVI Septem Kalendaria, in quibus Ro-
manæ Eccleſiæ Indulgentiæ ſecundum menſium & dierum or-
dinem indicantur, ex Eliæ Ehingeri Hiſtoria Eccleſiaſtica Sec.
XV.

Neque vero ſolam collectionis laudem tulit Clar. Kappius:
præfatus etiam eſt iſtis Scriptis omnibus atque ſingulis, ita ut
uniuscujusque hiſtoriam ex monumentis fide dignis, qua licuit,
congeſſerit; tum quod pleraque Latino, quædam etiam An-
glico ſermone eſſent ſcripta, in uſum noſtrorum hominum,
qui bonarum literarum ſæpius expertes ea tamen quæ tum ge-
ſta ſunt, prorſus ignorare nolunt, Germanice vertit, notas de-
nique haud indoctas paſſim adjecit, in quibus præter ea, quæ
ad locorum obſcuriorum illuſtrationem faciunt, varios vario-
rum errores annotavit, & Lutheri inprimis memoriam ad-
38 verſus ſecus ſentientes defendit. Ita celeberrimi Hardtii de Te-
zelii munere atque autoritate ſententiam ex literis hujus Quæ-
44 ſtoris corrigendam eſſe monet. Ita Pœnitentiarium S. Petri Ro-
manum P. Baldaſſarum de pecuniis Fabricæ cauſa exactis mol-
65 lius loquentem redarguit. Ita peſſimæ formulæ ergo: *Si hac
vice non morieris, ſalva ſit tibi nihilominus iſta gratia, quando
alias fueris in articulo mortis*, Pontifices a Van Eſpenio excu-
311 ſari non patitur. Ita Lutherum contra Maimburgium, ambitionis
& iracundæ declamationis maculam affricare ei cupientem, tu-
408 etur. Ita Georgium Joſephum Eggium calumniarum in Luthe-
498 rum effuſarum merito reum agit. Ita J. Henricum Hottingerum
circa diem editæ Decretalis Leoninæ bis erraſſe demonſtrat.
Sane uti prudentioribus, qui norunt, quam neceſſaria ſit no-
ſtro ævo harum controverſiarum omnium etiam antiquiſſima-
rum repetita prælectio, hæc longe gratiſſima fore confidi-
mus, maxime cum allata ſint Viris aliis doctiſſimis nondum
obſervata, ita Clar. Collegam rogamus, ut ſua in hoc ſtudio-
rum genere ſedulitate atque doctrina identidem publica com-
moda promoveat.

Voll.

Vollſtändige Reformations-Acta.

i. e.

COMPLETA ACTA ET DOCUMENTA Hiſtoriam Reformationis Evangelicæ illuſtrantia, edita a VALENTINO ERNESTO LOESCHERO, D. Conſiſtorii ſupr. Aſſeſſ. & Superint. Dresd.

Tomus I ad annum 1715.

Lipſiæ, apud Hæredes Groſſianos, 1720, 4.
Alph. 5 pl. 3

JUbila, quibus annis abhinc quatuor purior Eccleſia in hiſce regionibus tripudiavit, S. R. Editori occaſionem dederunt, ut ſingulis anni iſtius ſæcularis diebus dominicis præcipua fidei emendatæ momenta hiſtorica auditoribus ſuis e ſuggeſtu ſacro explicaret. Cum igitur præter ipſius ſpem & opinionem rariſſima & antiqua ſatis res haſce illuſtrantia monimenta quotidie ad illum allata fuiſſent, e re Eccleſiæ eſſe judicavit, ut paulo luculentius omnia hæc enarrarentur, ſuis ubique confirmata & ſuffulta teſtimoniis fide & autoritate digniſſimis. Primum hoc Volumen Potentiſſimo Danorum Regi, quem *Evangelici* Regis nomine aliorum, qui Chriſtianiſſimi, Catholici, Apoſtolici & Fidei Defenſores audiunt, exemplo ductus compellavit, ſacratum dicatumve, 38 capita complectitur, quibus ea, quæ negotium iſtud vel præceſſerunt, vel in eadem re usque ad anni 1517 finem peracta ſunt, recenſentur.

Quatuor priora capita originem & incrementa Papatus usque ad Sec. XVI ſiſtunt, ubi in primis controverſia illa admodum illuſtris, quæ inter Martinum Pollichium, Mellerſtadium a patria vulgo dictum, & Conradum Wimpinam a. 1504 ſumma cum animorum contentione agitari cœpit, exponitur. Cap. I-IV
Ille enim cum humanitatis ſtudia, Poeticæ nomine tunc nota, & Philologiam nimis extolleret, eandemque majorem Philoſophia præſtare Theologiæ uſum contendens, S. Scripturæ dignitatem infringere videretur: ſententiam ejus Scripto, quod

Apo-

Apologeticum Theologiæ dicebat, C. Wimpina oppugnabat, Polichium fidei errorum in haud paucis incuſans; ex quo tempore varia ab utraque diſſentientium parte ſcripta eriſtica prodierunt, donec lis hæc poſt aliquot tandem annorum decurſus, in-
Cap. V certum, quo victore, fuerit compoſita. Cap. V purgandæ eo tempore fidei & doctrinæ neceſſitatem demonſtrat, quum corruptiſſimi ubique mores, ſuperſtitio, diſciplinæ eccleſiaſticæ neglectus, effrena Clericorum avare & ſuperbe imperitandi libido, & flagitia maxime deteſtanda caput ſuum ubique, & Romæ inprimis, extulerint, quæ mala omnia in quatuor Claſſes, Theologicam, Politicam, Oeconomicam & Academicam ab Autore dividuntur. Quæ Eccleſiæ conditio adeo per-
VI dita & ruinæ proxima erat, ut omnium conſilia, C. VI enarrata, per multos Seculorum decurſus penitus irrita fuerint, licet jam Sec. VIII poſt Bonifacium Chrodegandus ſive Grodegangus, Germanus, primus forte huic morbo epidemico medelam afferre ſtuduerit, dum Canonicos in Diœceſi Metenſi, cui Epiſcopus præerat, ad officium ſuum redire coegit. Quem conſequebatur ſub ejusdem Seculi finem Carolus M. qui Alcuini aliorumque auxilio omnes alios in negotio hoc feliciter peragendo ſuperavit. Idem quoque conati ſunt Ludovicus Pius & Carolus Calvus, Imperatores; Sec. XI Monachi Cluniacenſes in Gallia & Ciſtercienſes, interque hos inprimis Bernhardus Clarævallenſis; Sec. XIV Durandus, Epiſcopus Mendenſis, qui concilium ſibi expoſcebat, quod Eccleſiam ad Dei Legem & Evangelium emendaret, conqueſtus ſimul, Eccleſiam Romanam a regia veritatis via nimium quantum receſſiſſe, conjugium Clericis ademptum, Monachisque juſto plus otii eſſe indultum; Carolus IV item & Wenceslaus, Imperatores; donec Sec. XV concilium Conſtantienſe & Baſileenſe, eo fine convocata, cor-
VII rigere omnia & emendare, ſed fruſtra, anniterentur. Auſpicatiſſimum igitur, quod Lutherum expectabat, negotium præſagiebant veluti multorum vaticinia, ſomnia aliaque omina, imo & variorum ſatyræ, quarum & nonnullæ ex rariſſimis Pasquillo-
VIII rum Tomis hic adducuntur. C. VIII ea, quæ huic operi viam quaſi ſternere & hominum animos præparare poterant, comme-

memorat, quorſum pertinent Academiarum origo & incrementa, literarum & inprimis linguarum ſtudium revocatum, ars typographica, ingeniorum excellentium ad ſumma quævis natorum copia, turbæ per L. Vallam, Capnionem, Eraſmum, aliosque excitatæ, & multa alia. C. IX miſerrima Eccleſiæ facies vivis coloribus depingitur, quo fine denſiſſimam teſtium veritatis Evangelicæ ſub Papatu nubem Celeb. Autor adducit, qui omnes uno ore confeſſi ſunt, imminere maximam quandam Eccleſiæ mutationem. Hinc tandem C. X Lutheri vita usque ad A. 1517 ſiſtitur, in quo heroe omnes boni admirati ſunt naturæ ingeniique dotes, videlicet memoriæ tenacitatem, aciem judicii, vocis ſuavitatem, cultumque totius corporis eximium; tum animi virtutes, candorem non fucatum, in adverſis animi magnitudinem, moderationem, αὐτάρκειαν & gnavum in laboribus ſubeundis ſtudium, neque minus raram eo tempore doctrinam, dicendi facultatem promtiſſimam, in diſputando ἀκρίβειαν; tum denique dona cœlitus expectanda, quæ Theologi & adminiſtrantia & ſanctificantia dicunt, quorum illa ex B. Viri pro ſervanda doctrinæ puritate fervore, in explicandis ſacris literis dexteritate, in miſeris erigendis & ſolatio confirmandis peritia eluceſcunt; hæc vero ex fidei vere heroicæ fortitudine, piëtate germana, in precando ardore aliisque virtutibus, quibus rariſſimo exemplo ornatus erat. C. XI Scriptorum, quæ Lutherus ante reformationem edidit, recenſio pertexitur prolixiſſima, in quo labore feliciter expediendo haud parum excellentiſſimum Autorem adjuvit ſermonum & lectionum B. Lutheri nondum editarum exemplum, quod A. 1516, 1517, 1518 ſcriptum fuit; integri quoque 19 Sermones ſacri A. 1517 a Luthero dicti, aliaque ejusdem ſcripta iſtius anni inſerta hic leguntur. C. XII omnium, qui tunc ſummas imperii ſingularum Europæ regionum tenebant, nomina, ætas, animique propenſiones indicantur. C. XIII pleroſque iſtius anni eruditos, inque iis Theologos, præcipue in variis Germaniæ Academiis docentes, eodem modo depingit Autor. C. XIV varios Monachorum ordines, qui tunc florebant, enumerat, quos inter eruditionis modeſtiæque laude potiſſimum eminebant Augu-

C. IX. X. XI. XII. XIII. XIV.

ſtiniani; ſed iſto ſaltim ævo, cum iidem reliquis nunc fere deteriores eo ſuperſtitionis proceſſerint, ut cingulum D. Monicæ, Auguſtini matris, e corio nigro confectum divino cultu proſequantur, hac inter alias precandi formula utentes: *O reverendiſſimum cingulum Sanctiſſimæ Matris Dei, accinge lumbos noſtros veritate, juſtitia, animique lenitate, effice nos vitæ æternæ & beatæ hæredes - - conſerva hæreditatem tuam, populum tuum in vera fide - - Sis quæſo nobis munimentum, portus*
Cap. XV. *& ancora ſalutis, redde nos vitæ æternæ participes.* C. XV controverſiam Lutheri de viribus hominis ſine gratia & de li-
XVI. bera ejusdem voluntate exponit. C XVI Lutheri Dresdæ ha-
XVII. bitum Sermonem ſacrum, & quæ ibi ſuerint ab eo geſta, C. XVII viſitationem ordinis Auguſtinianorum, quam B. Lutherus Stau-
XVIII. pitii vice defuncturus in ſe ſuſcepit, & C. XVIII gratiam divinam univerſam numis venalem reddendi negotium commemorat, ubi inter alia literæ, quæ an. 1457 Chriſtianis contra Turcas arma ſuſcepturis ſalutem divinam afferebant, ex auto-
XIX. grapho primum leguntur. C. XIX fragmentum Summariæ Inſtructionis Johannis Tezelii pro Sacerdotibus ex V. C. Herm. von der Hardt Hiſtoria literaria reformationis P. IV p. 14 & ſqq. cum Editoris noſtri emendationibus, & aliud Germanica lingua conſcriptum ejusdem argumenti opuſculum ex Hottingero ſi-
XX. ſtuntur. C. XX de zelo Lutheri contra hanc indulgentiarum
XXI. quæſtorum nequitiam agit. C. XXI Theſes ejusdem contra mercatum Tetzelianum repetit, & Friderici III Electoris Sax. ſomnium exponit, nec non viſionem, quæ ipſi Filioque ejus Principi & Fratri Vinariæ nocte, quæ Feſtum nativitatis præcedit, A. 1517 obtigit, & a Phil. Melanchthone hiſce verbis narratur:
p. 461. *Eo anno, quo primum menſe Novembri editæ ſunt Reverendi Viri D. Lutheri propoſitiones de Indulgentiis, cum ex templo Vinariæ in natali Chriſti duo Fratres, & Filius, Dux Joh. Fridericus, una poſt mediam noctem, ut magna in utroque erat reverentia erga res divinas, egrediuntur cum frequenti comitatu, vident ſupra arcem, cœlo ſereno, fulgentem crucem purpuream, ſatis magnam & perſpicue expreſſa figura, ibi cum diu ſtarent attoniti ſpectatores fratres, colloqui de religione cœperunt, &*

eo

co ſigno portendi futura certamina de doctrina, & domus Saxonicæ pericula, vaticinati ſunt. C. XXII Lutheri Sermonem de indulgentiis,& C. XXIII ejusdem literas in ſe continet, quibus Epiſcopos, Moguntinum & Brandenburgenſem, de auxilio in ardua hac re ſibi ferendo ſubmiſſa mentis pietate rogat, quibus precibus ut locum daret Hieronymus Scultetus, Epiſcopus Brandenburgenſis, Abbatem in Marchia Leninenſem Wittebergam ad colloquium cum B. Luthero ineundum miſit, quo parum aberat, quin efficeretur, ut Lutherus acquieſceret, niſi ejus hoſtes calumniis ſuis animum & calcar eidem reddidiſſent. Tetzelius enim ſcripto quodam Germanico, C. XXV, & duabus diſputationibus Autore & Præſide C. Wimpina Francofurti ad Oderam propoſitis, & C. XXVI recenſitis, Lutherum aggrediebatur, quibus tamen hic aliud quoddam ſcriptum, C. XXVII exhibitum, opponebat. C. XVIII Lutheri Theſes pro Bibliis de gratia divina ejusque operationibus ſiſtit. C. XXIX Concilii Lateranenſis A. 1512 cœpti finem, qui in annum 1517 incidit, ejusdemque leges deteſtabiles, quibus Pontificem Rom. plus quam divino obſequio colendum decreverat, exponit, perditiſſimosque Leonis X mores recenſet. C. XXX præcipua narrationis de controverſia Joan. Reuchlini cum Colonienſibus de Judæorum ſcriptis momenta exhibet, quibus annectitur hiſtoria controverſiæ, quæ Chriſtophoro Marcello, Archiepiſcopo Corcyrano, eodem tempore cum Paride de Craſſis, Clerico Romano, interceſſit. Ille enim cum Venetiis librum de ceremoniis Eccleſiaſticis imprimi curaſſet, quo Eccleſiæ Romanæ fraudes admodum candide detexerat; hic adeo excanduerat, ut librum hunc comburendum eſſe judicaret, ne homines deſipere dediſcerent, eaque de cauſa inter alia ad Pontificem ita ſcripſerat: *Novit jam pridem tua Sanctitas, omnem Rom. Pontificum autoritatem, omnem majeſtatem pendere ex animis opinionibusque Principum & Prælatorum, quod ſi ſacrorum arcana pandantur, & ſacræ publicentur ceremoniæ, illico futurum eſt, ut omnis opinio minuatur, & Pontificia autoritas elangueſcat.* C. XXXI Provocationem Theologorum Pariſienſium ad concilium univerſale pro defendendo Gallicanæ Eccleſiæ jure offi-

Cap. XXII. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. p. 552. XXXI.

cia Eccleſiaſtica, ſi quæ vacuefacta fuerint, per liberam electio-
Cap.XXXII. nem reſarciendi ſuppeditat. C. XXXII controverſiam inter Eraſmum Roterod. & Jacobum Fabrum Stapulenſem agitatam refert, quorum poſterior Epiſtolam ad Hebræos Hebraice conſcriptam eſſe, negante id Eraſmo, affirmabat, qua lite uter-
XXXIII. que immane quantum exacerbati ſunt. Cap. XXXIII primum
XXXIV. Lutheri ſermonem de pœnitentia; C. XXXIV ejusdem pri-
XXXV. mam Decalogi explicationem cum annotationibus; C. XXXV duos ſermones contra Indulgentias primum A.1517 typis exſcri-
XXXVI. ptos; C.XXXVI varias conciones ſacras Lutheri 1516 & 1517
XXXVII. habitas & Latine conſcriptas; C. XXXVII epiſtolas ejusdem ab
XXXIIX. an. 1507 usque ad an. 1517 exaratas, & tandem C. XXXVIII Catalogum librorum Theologicorum an. 1517 luci publicæ typis expoſitorum, in ſe continent.

Et hæc eſt breviſſima præſtantiſſimi hujus operis, cui appendicis loco quinque conciones inter ſolennia Evangelicæ Eccleſiæ jubila a S. R. *Læſchero* habitæ ſubnexæ ſunt, recenſio. Deus vitam, otium viresque Viro optimo concedat, precamur, quo egregios hosce labores feliciter abſolvendo merita, quibus Eccleſiam noſtram orbemque literatum jamdudum ſibi devinxit, augere poſſit quam diutiſſime.

ACTA ET SCRIPTA PUBLICA ECCLEſiæ Wirtembergicæ, tum quæ cuſa dudum fuere, tum quæ nunc demum prodeunt. Recenſuit CHRISTOPH. MATTHÆUS PFAFFIUS, Theologus Tubing.

Tubingæ, ſumtibus Jo. Georgii Cottæ, 1720, 4.
Alph. 3 pl. 3.

OOpportune hanc Collectionem jungimus antecedenti, cum S. R. Editor non minori publico inſerviendi veterumque monumentorum, quæ ad repurgatæ per Lutherum religionis Hiſtoriam ſpectant, conſervandorum ardore flagret. Sed paucis rem abſolvemus, excerptis e documentis, magnam partem antehac editis, omnino prætermiſſis. Poſtquam ſcilicet Celeb.

Celeb. Pfaffius A. 1719 librum commentarium *de actis ſcriptisque publicis Eccleſiæ Wirtembergenſis*, a Quatuorviris eruditis pro roſtris Academicis ſtrenue defenſum, prodromi loco præmiſiſſet, nunc ipſa illa Acta atque Scripta in lucem edere cœpit, plura Tomo ſequenti ſuperadditurus. Continentur vero hic ſequentia: 1 Mandatum Wirtembergicum ab adminiſtratione Auſtriaca contra Lutherum primum editum. 2 Zwinglii Epiſtola ad Alberum, quæ liti Sacramentariæ initium dedit, tum & Lutheri & Melanchthonis Epiſtolæ ad Reutlingenſes & Alberum, Alberi item ſcriptum de S. Cœna & Brentii Epiſtola ad Reutlingenſes, quæ e tabulario Reutlingenſi deprompta ſunt. 3 Oecolampadii liber de S. Cœna. 4 Syngramma Suevicum eidem a Jo. Brentio oppoſitum. 5 Brentii Epiſtolæ variæ ad Bucerum de S. Cœna, ad Schradinum de colloquio Marpurgenſi, (quæ pariter e tabulis Reutlingenſibus prodita,) ad Jo. Marpachium item, aliæque, Joannem a Laſco ſpectantes, ejusdemque conſilium Germanicum ad Georgium Margr. Brandenb. 6 Colloquium Tubingenſe inter C. Schwenckfeldium aliosque habitum; cujus quidem colloquii Acta ex Epiſtolis ſacramentariis in Bibliotheca publica Academiæ Argentinenſis augeri Tomo II hujus collectionis poſſe, non diffitetur S. R. Editor. 7 Acta Theologorum Wirtembergenſium in Concilio Tridentino, quæ olim *Huldrychus Encauſtrius*, vero nomine *Jo Brentius* ediderat. 8 Confeſſio Wirtembergica A. 1551, & 9 alia de omnipræſentia reali euchariſtiæ, A. 1560 edita. 10 Acta Wirtembergicorum in Colloquio Poſſiaceno, e tabulario Conſiſtorii Stuttgardiani nunc primum publici juris facta, quæ tamen pleniora prodibunt in Tomo II hujus collectionis. 11 Formula conſenſus inter Zanchium & Marpachium, Theologos Argentoratenſes, a Jac. Andreæ A. 1563 confecta. 12 Brentii Apologia (Ehrenrettung) adverſus Gallum & Stolzium, nunc primum S. R. Abbatis Laureacenſis Chriſtoph. Zelleri beneficio edita. 13 Formula concordiæ inter Saxonicas & Suevicas Eccleſias, quæ, habita Wolffenbuttelæ anno 1570 Synodo, juſſu imprimis Julii D. Brunſu. ad tollendas Lutheranorum lites a Mart. Chemnitio conſcripta, & ibidem

ſequenti anno vulgata, hic vero ex exemplo manuſcripto, quod Julius ad Wirtembergicos Theologos miſerat, quodque in tabulis Conſiſtorii Stuttgardiani exſtat, una cum Julii Ducis & Chemnitii literis huc ſpectantibus, deſcripta. Superſedemus iis enarrandis, quæ Tomo II complecti conſtituit S. R. Editor; illud tamen prætermittere non poſſumus, eundem Actis his prolixum admodum ſubjunxiſſe Catalogum Actorum publicorum Eccleſiæ Germanicæ tum veteris tum recentioris, quibus Concilia omnia, Imperatorum German. Capitularia & edicta Eccleſ. Pontificum Rom. Bullas Epiſtolasque Eccleſiæ Germ. res juraque ſpectantes, Concordata, Aviſamenta, & Gravamina nationis Germanicæ, Acta Reformationis, ſciſſam in tres partes Eccleſiam Germ. concernentia, quæ in Comitiis Imperii concluſa, quæque in Conventibus colloquiisque diſceptata enataque fuere, Confœderationes item & Pacificationes religioſas, inde a primis initiis ad noſtra usque tempora, ex inſtrumentis authenticis, quoad fieri poterit, & fontibus promere, paſſimque illuſtrare & Diſſertatione præliminari inſtruere conſtituit; in quibus communicandis Celeb. Theologi Jo. Andreæ Schmidii & JCti nobiliſſimi Zach. Conradi ab Uffenbach pronam voluntatem laudat, nec minus aliorum, a quibus ſe adjuvari poſſe ſperat, opem implorat. Nos uti inſtitutum magnopere probamus, neminemque Noſtro ad ſuſcipiendum tantum opus aptiorem exiſtimamus, ita ſerio precamur, ut Typographos nanciſcatur Cel. Pfaffius, ſumtibus, quos non exiguos futuros arbitramur, ferendis parem.

JO. GEORGII ECCARDI EPISTOLA DE Numis quibusdam ſub regimine Theoderici Oſtrogothorum Regis in honorem Imperatorum Zenonis & Anaſtaſii cuſis, ad Maxime Reverendum D. ANSELMUM BANDURUM, Monach. Benedict. & Magni Etruriæ Ducis Bibliothecæ Præfectum.

Hanc

Hanoveræ, 1720, 4, plag. 2 cum tabula æn.

QVi egregio R. P. Banduri de Numiſmatibus opere excitatus binas jam obſervationes, unam de numis *Attilæ* Hunnorum Regis, de ſignificatione literarum CONOB. alteram, ſuperiore anno Actis noſtris, & quidem illam Menſ. Majo p. 214, hanc vero Supplement. Tom. VII Sect. VI p. 171 inſertas, communicavit Celeb. *Eccardus*, is eodem anno inſignem illum numorum Theſaurum hac ad Reverend. ejus Autorem exarata Epiſtola ſupplere aggreſſus eſt. Exhibet autem in illa numum aureum omnibus adhuc ignotum, ex ſplendido Reverendiſſ. Abbatis Luccenſis *Gerhardi* numophylacio ejusdem, quam hic repetimus, magnitudinis. Literas inſcriptionis in antica parte barbaras omnino ſic exponit: DN. ZVENO PE. AVG. *Dominus Zeno Perpetuus Auguſtus*. Confirmata hac ſua ſententia ex ſingularum literarum ductibus, adſtipulatur Banduro, qui contra Cangium probatum dedit, titulum *Perpetui Auguſti* etiam ante tempora Leonis Majoris uſurpatum fuiſſe. Sed qui fit, ut *Zeno* hic *Zueno* dicatur & barbari characteres ex Græcis & Latinis corrupti adhibiti fuerint? Hoc ipſum indicio eſt Eccardo, ut numum formatum & cuſum eſſe putet manu artificis barbari, & juſſu etiam Principis, qui neque Græcus neque Latinus fuit. Confirmat eum in hac opinione effigies Zenonis in numo expreſſa. Hæc quidem Galea in capite criſtata efficta eſt ad eum modum, quo in aliis Zenonis numis conſpicitur, ſed vultus differt. In illis enim Zeno imberbis & facie ad elegantiam compoſita apparet. Hic vero barbatus & facie deformi fere exhibetur. Sed fortaſſe Græci Principem elegantiorem, quam erat, exhibuerunt, barbari vero eum magis genuine expreſſerunt; Zonara enim teſte Leo Senior capiti Leonis nepotis diadema impoſuit, quod Zenonem, patrem Leonis, hominem deformi corpore & facie, animo autem turpiore ac deteriore nequaquam imperio idoneum exiſtimaret. Siniſtra manu clypeum tenet, in quo præter confuſos quosdam linearum ductus, nihil obſervare poteſt. In aliis vero numis in Oriente cuſis in clypeo eques comparet, Dextra manu in iisdem

Tab. V. Fig. 1.

iiſdem ſpiculum gerit Imperator humero dextro inclinatum. Sed hic, quantum quidem cernere poteſt Eccardus, dextra elevatum gerit baculum gemmatum, Conſulum alias inſigne, pectus autem lorica munitum eſt. In poſtica numi parte Victoria comparet crucem dextra præferens, cum hac inſcriptione barbara quidem ſed tamen clara: VICTORIVA AVGGGOR: quod idem eſt ac *Victoria trium Auguſtorum*, qui erant *Zeno*, materque ejus *Verina* & uxor *Ariadna*. Neque enim tria CCC aut GGG in numis ſimilibus fortuito ita poſita eſſe, cum Pagio exiſtimat, neque ob characteres barbaros veroſimile eſt Noſtro, hunc numum Conſtantinopoli cuſum fuiſſe, ubi elegantiores multo numorum typi effingebantur. CONOB. ergo in ima poſticæ parte comparens hic non *Conſtantinopoli* ſed *Conio* ſ. *Iconio* Auguſti *obſignatam* monetam deſignare arbitratur. At vero quisnam eſt ille Princeps Barbarus, qui ſub Zenone in primis inclaruit? *Theodericus Oſtrogothorum Rex.* Hic Amalus gente erat, juvenis Conſtantinopoli ſub Leone Imp. obſes egerat, populusque Gothorum inter Romanæ originis gentem Græcosque medius tunc habitabat, unde non mirum in numo allato Latinas Græcasque literas miſtas inveniri. Anno Chriſti 475 Theodemir cum filio Theoderico Illyricum invaſit & tandem Zenonis Imp. juſſu ei regio in Pautalia Thraciæ provincia aſſignata eſt. Nec diu poſt Theodemirus rebus humanis valedixit Theodorico filio regni ſui hærede deſignato. Is deinde Zenoni, quando a Baſiliſco tyranno Imperio depulſus erat, gratiam beneficii reddidit, ut Ennodius in Panegyrico dicat, *profugo* Zenoni per *Theodericum ſceptra reddita fuiſſe de ſalute dubitanti.* Idem affirmant Anonymus Valeſii, & Marcellinus in Chronico ſub anno 483. In Faſtis quoque anno 484 ubique *Theodericus Conſul* Orientalis annotatur, quod iterum teſtimonio Anonymi Valeſiani & Jornandis in libello de rebus Geticis confirmat. Atque hoc tempore, quo Theodericus, pro Romanis militans, præmia operæ navatæ accepit, ab ejus monetariis *Victoriam Auguſtorum* in hoc numo, Zenonis imaginem referente, expreſſam veriſimile putat Eccardus. Et quoniam Gothi Conſularem dignitatem pro ſummo decore haberent, nec majorem

Fig. 6.

TAB.



Fi



rem

Digitized by Google

rem noſſent; ideo & ipſius Zenonis dextræ baculum conſularem loco lanceæ, quam in aliis numis geſtat, indidiſſe opinatur. Theodericus tandem, permiſſu Zenonis anno Chriſti 489 Italiam ingreſſus eſt, & victo Odoacro a ſuis *Rex Gothorum & Romanorum* declaratus ſuit anno 493, non expectata Anaſtaſii Imp. qui interim Zenoni ſucceſſerat, juſſione. Sed comiter tamen Anaſtaſii majeſtatem coluit Rex Theodericus & in numis ejus imaginem reverentiæ ergo exhibuit. Atque ab his Theoderici monetariis fabricatum eſſe exiſtimat numulum aureum, qui etiam in Reverendiſſ. Abbatis Luccenſis gaza exſtat, & caput diademate redimitum exhibet cum inſcriptione: DN. ANASTASIVS PRFAVC, quam *Dominus noſter Anaſtaſius perpetuus felix Auguſtus* exponendam eſſe cenſet. Poſtica ejus pars oſtendit victoriam gradientem & ſertum laureaceum dextra oſtentantem cum verbis circumpoſitis: VICTORIA ACISTORUM, ubi notat Au jamdum per *a* enuntiatum, uti Itali adhuc in multis vocibus & *U* ut *i* obſcurum eo more, quem Franco-Galli retinent, elatum fuiſſe. Sub Victoriæ figura expreſſum eſt notum illud COMOB, quod primum corrupte pro CONOB poſitum eſſe exiſtimavit, ſed cum hic M paulo majus ceteris literis effictum ſit, hoc non ſine cauſa factum & *Monetam* denotare credit, ut COMOB hoc *Monetam iconio* Auguſti *obſignatam* deſignet. Sed eundem numulum alius loci monetarius barbarus multo magis barbare expreſſit, & Capiti Imperatoris circumſcripſit: ƆHVLIVΛTƧΛLVƧ PΓΛVC ſive DN. ANATSAIUS PR AUC. hoc eſt: *Dominus noſter Anatſaius perpetuus Auguſtus*. Hic notabile eſſe dicit N & hic & in poſtica ſcribi И quam figuram Ruſſi a Gothis accepere. Illi etiam eodem modo adhuc *naſb* formant, quem morem ſæculo X jam obtinuiſſe, teſtatur Cochlear argenteum, marginibus deauratis & in extremitate manubrii margarita magni pretii ornatum, quod Helenæ primæ Ruſſorum Principis Chriſtianæ fuit, atque, ut ex inſcriptione ſuſpicatur & ex eo quod una cum ipſa Novogradiæ tumulatum fuerit, ei ad Euchariſtiam percipiendam inſerviit. Ruſſus quidam cum ſepulchrum Helenæ Novogradiæ aperiretur, illud invenit & ſancte coluit. Tandem

TAB. V. Fig. 2.

Fig. 3.

dem in manus Nobilis Germani & in exercitu Ruſſico antehac Generalis, ut vocant, Majoris pervenit, cujus beneficio idem vidit, & delineandum curavit Eccardus, nos vero poſt illum denuo exhibemus. Verba in circumferentia cochlearis ſcripta ſunt: *Wo ima Otza i Sina i Swetago Ducha*, *Amin*, h. e. *In nomine Patris & Filii & Sancti Spiritus*, *Amen.* Transverſim vero *Elena*, Principis ſcilicet, quæ hoc cochleari uſu eſt, nomen legitur, quod Ruſſi *Jelena* efferunt. Sed redeundum eſt cum Eccardo ad numulum in quo ANATSAIVS ex *Anaſtaſius* corruptum eſt. In poſtica circa Victoriam legitur: **ICTIΛIΛ ICYƧTOHVΛI**, quod eſt loco Victoriæ Auguſtorum, & infra *Conob* ſcriptum eſt CO И O Ↄ. Poſſidet hunc numulum, qui etiam aureus eſt, M. R. P. Callenbergius S. J. Monaſterii, uterque autem & Gerhardi & Callenbergii barbariem illorum temporum, pronunciationem corruptam, orthographiam deperditam & ipſos pene literarum ductus in publicis monumentis ignoratos ob oculos ponunt. Elegantior tamen numorum Theoderici Regis forma eſt facta, ubi is Italiam, occiſo Odoacro, pacaverat. Et habentur apud Begerum & Bandurum numi ejus cum INVICTA ROMA, nec non cum Anaſtaſii & Iuſtini imaginibus & monogrammatibus, quæ ex ſententia Noſtri exprimunt clare: DOMINVS NOSTER THEODERICVS RAVENNA. Quod etiam indicio eſt, omnes hujusmodi numos *Ravennæ*, quam Regiam ſuam ſtatim a victo Odoacro elegit, reliquos vero ante ingreſſum ejus in Italiam aut in officinis Pannoniæ, Mœſiæ, Illyrici vel Thraciæ cuſos fuiſſe. Unicum quidem adjecit, quod ad Monogramma in Begeri Theſauro obvium ſpectat, ſed quum illud ab inſtituto noſtro Eccardi ſupplementum Bandurianum huc transferendi ſit alienum, ſicco jam pede id prætermimus.

TAB. V. Fig. 4.

GEORGII CHRISTIANI GEBAUERI DE Caldæ & Caldi apud Veteres potu Liber ſingularis.

Lipſiæ, apud Jacobum Schuſter, 1721, 8.
Plag. 7 fig. æn. 2.

Cla-

CLariſſimus Gebauerus, qui cum jurisprudentia ſolidiore elegantiores literas, & in his antiquitatis quoque ſtudium ſuaviſſimo nexu dudum conjunxit, & hujus rei ſuperiore anno aliquod fecit eruditis indicium Exercitatione in Marmor Iſiacum ad Cl. *Olivæ* de eodem libellum, Actis noſtris Menſe Aug. p. 395 inſerta, novo hoc eoque ſingulari de Caldæ & Caldi apud Veteres potu libro ſingularem ſuum in has literas amorem uberius declaravit, & ſimul inſigne doctrinæ ſuæ antiquariæ documentum cum orbe literario communicavit.

Octo Capitibus totam tractationem abſolvit doctiſſimus Autor, & poſtquam Cap. I nonnulla de aqua generatim præ- p. 1-7.
fatus erat, Cap. II de Calda Veterum diſputare aggrediens *Calidam* & *Caldam*, voces ita nude uſurpatas, omiſſo per ellipſin *aquæ* nomine, ab eo quod *caleant*, traxiſſe nomen, & utrumque Latine dici oſtendit. Mox ipſam rem aggreditur, & poſt- 8.
quam monuit, *Lipſio* in Electis primam Caldæ aſſertæ deberi 11.
gloriam, deinde *Freinshemium* cum *Mercuriali* & *Caſtalione*, illo in variarum Lectionum opere, hoc in obſervationum Decade, Caldæ inimicis, in ſua de Calidæ potu diſſertatiuncula pugnaſſe, ſibi vero cum illis etiam & in primis cum *Andrea Bac-* 12.
cio, acerrimo Caldæ adverſario, rem fore; in Caldæ ætatem inquirit, & cum ea non ita manifeſte colligi poſſe videatur, bi- 13-22.
biſſe tamen Veteres Caldam, bibiſſe dulcibus infectam, bibiſſe etiam puram, bibiſſe ſanitatis cauſa, bibiſſe etiam ad delicias, locis autorum luculentiſſimis magna copia & ordine allatis adſtruit; mox ad pugnam ſe accingit, Caldamque, ut promiſerat, a *Mercuriali*, *Caſtalione* & *Baccio* impugnatam vindicare ſtudet Cap. III. Hic uniuscujusque argumenta & loca non ſolum 23-34.
in aciem producit, & ad ea docte admodum reſpondet, ſed & 35.
Lipſium ab injuria Baccii defendit, adjuncta virorum doctiſſimorum corona, qui Lipſio hac in re acceſſerunt. Hinc Cl. Au- 36-37.
tor lectores ſuos in Thermopolium ipſum deducit Cap. IV, in quo Thermopolium ἀπὸ τȢ θερμȢ καὶ πωλεῖν dictum (La- 39.
tine tabernam Caldariam) deſcribit, quod fuerit locus publicus, amplus, fornicatus, luce diurna illuſtratus, aquæ caldæ parandæ vendendæque inſtructus. In eo Calda, aut pura, aut infecta

p. 40. defruto, melle, & aliis dulcibus, odoratisque calicibus bibebatur, urceolis etiam miniſtratoriis excepta, domum ad diluenda aut temperanda vina deferebatur, tanta quidem copia, ut in re clariſſima ratio brevi adeo tempore eandem parandi ſemper viſa fuerit obſcuriſſima. Hic iterum cum Baccio eſt pugna, qui uti, obſervatis *Vitruvii* & *Senecæ* locis, viam ſtravit aliis, ita ipſam penitus ignoravit, Thermopolio ſuo ex ſententia Noſtri admodum inconcinne conſtructo. Errores Baccii hi fere ſunt: in miliariis conſtructos fuiſſe dracones, vaſa tubæ inſtar ære tenui ſæpe eundem ignem ambientia; cum ipſa miliaria ita a forma externa appellata ſunt dracones: miliaria dicta fuiſſe omnia vaſa, cum caldario id nominis proprium ſit: vaſa eum

41. perperam ſibi invicem imponere, cum in hypocauſto ponenda fuiſſent, illo enim modo igne ſurſum tendente, omnium vaſorum munia tandem confundi, ut alia incommoda taceamus, quæ pro ſua ἀκριβείᾳ elicit Autor, monitus hoc Baccii caſu, ut *Vitruvii* & *Senecæ* veſtigiis preſſius inſiſteret. Ille autem Lib V

42. c. 10 *Abena*, inquit, *ſupra hypocauſtum tria ſunt componenda, ita collocanda, ut ex tepidario in calidarium, quantum calidæ exierit, influat, de frigidario in tepidario ad eundem modum.* Hic autem in Naturalibus Quæſtionibus Lib. III c. 24 *Facere*, ait, *ſolemus, dracones & miliaria, & complures alias formas, in quibus ære tenui fiſtulas ſtruimus per declive circumdatas; ut ſæpe eundem ignem ambiens aqua per tantum fluat ſpatii, quantum calori efficiendo ſat eſt. Frigida itaque intrat, effluit calida.*

TAB. V. Fig. 5. Iam vero in Thermopolio mente fingendum vel in figura huc translata inſpiciendum eſt ſubſtructum aliquod, quod hypocauſtum appellat, (intus enim ignem alit) latericium, forma quadrata ex partibus tribus, altitudine inter ſe diverſis, conſtans, ita ut graduum ſpeciem referant, quas toros doctiſſimo Autori vocare placet. Horum tororum altisſimus & ſolidus plane junctus eſt parieti, ex quo emiſſarium publicum applicato epiſtomio prominet, clauſum interea, usque dum vaſa collocata

p. 43. erunt. Siſtit ergo illorum primum *Frigidarium* aheneum ingens, apertum, tribus oſtiis inſtructum, quorum duo ab utroque latere ſub ipſo margine collocata, ex aquæductu nimia copia emiſſam

emiſſam aquam in alia ingentia vaſa ænea humi ab utroque latere repoſta exonerant, tertium in fundo fere locatum frigidam per canaliculum in alterum vas dimittit. Alter autem torus priore depreſſior eidemque contiguus, magnam partem concavus, alterum exhibet vas *Tepidarium*, ubique clauſum, niſi quod duobus orificiis & epiſtomiis ſit inſtructum. Per orificium alterum, in quod canaliculus, qui inter frigidarium tepidariumque eſt medius, deſinit, ingreditur frigida, per alterum vero egreditur tepida, epiſtomia ab utroque latere iis inſerviunt, qui tepida opus habent. Ultimus & reliquis minor torus *miliario* ornatus eſt, ſeu aheno *Caldario*, junctus ſecundo, cavus quam maxime, utpote in quo mulciber regnat, non tantum impoſitum vas fervens, verum & proximum vas medio toro impoſitum, vapore in cavitatem illius tori immiſſo, tepidum reddens. Vas illud Caldarium, quod vulgo miliarium, ſæpius draconem, aliis quoque nominibus pro diverſitate formarum Antiqui vocarunt, ex Cl. Autoris ſententia æneum fuit, plane clauſum, niſi quod in inferiore regione magno orificio & quidem per foramen hypocauſti in hoc ipſum, medium nempe focum, pateat, ut hac ratione ignis ſubjectus ipſum miliarium ingrediatur, & viſcera quaſi torreat, per quæ intelligit fiſtulam ære tenui, e tepidario prodeuntem, miliario in ſuperiore parte inſertam, & per omne illud vas, inſtar lineæ ſpiralis, aut anguis perpetuis gyris contortuplicati per declive diſperſam, per quam tepida intrat, igne vero per tantum ſpatii eandem ambiente calida effluit. His eleganti loco *Athenæi* ex Lib. III c. 20 Dipnoſ. depromto illuſtratis, memorat doctiſſimus Autor, non heri demum aut nudius tertius hanc Thermopolii Romani ſtructuram ſibi ſubnatam eſſe, ne quis *Pauli Alexandri Maffei* ſe ſcrinia compilaſſe putet, qui in Collectione Statuarum antiquarum & modernarum (*Raccolta di ſtatue antiche e moderne*) Romæ 1704 in fol. edita picturam veterem ex Thermis Titi ornamenti cauſſa inſeruit, & in ea vaſa tria, frigidarium, tepidarium, caldarium in hypocauſto ex ingenio exemplo non optimo antiquæ imagini addita, attamen eodem fere quo dudum, pretioſiſſimo libro nondum inſpecto, fecerat Cl. Gebauerus, collocavit. Gratulatur ſibi merito

p. 44.
45.

doctiſſimus Autor, illuſtri Viro idem de illis Vitruvii & Senecæ locis, quod ſibi, viſum, neque omnino improbat, modum
p. 46. parandi fontes calidos thermis quoque illatum eſſe, quanquam omnino fatendum ſit, & hunc doctiſſimum antiquarium, quod ad miliaria attinet, Baccii errorem erraſſe, nec quid Senecæ
47. dracones voluerint, ſatis intellexiſſe.

Deſcripto itaque & denuo exſtructo Thermopolio Roma-
48. no, ad Caldariæ antiquitatis reſidua progreditur Autor Cap. V, inter quæ primum *Gemmam Sardam* ex Muſeo Cel. *Rinkii* Prof. Altorf. æri inſculptam exhibet, quam nos hic quoque repetiimus. Eſt illa antiqui operis, oblonga, annularis & ſigillaris
TAB. V. eo certe modo inciſa, quam majorem longe, accurate tamen &
Fig. 6. naturalis magnitudinis orbe addito communicavit. Siſtit illa ho-
p. 50. minem in columella ſedentem, in cujus ſiniſtra calix, ante pedes machina thermopotica, dubio procul ænea, portatilis apparet, e foco cylindraceo, infima nempe parte, media, miliario minore & ſuprema tepidario conſtructa, ita ut tepidarium, operculo nodato ornatum, aquam ope fiſtulæ ære tenui, ſpiralis, variis gyris & ambagibus per Caldarium ahenum diſpergat, ſubjectus
51. focus, aut igne iſtam fiſtulam lambente, aut aqua perpetuo in miliario clauſa ferveſacta in fiſtula conferueſaciat.

Exhibet deinde præter gemmam jam deſcriptam in figuris æneis etiam *tria vaſa fictilia* Moguntiæ eruta, nunc autem in Muſeo Rinkiano obvia, coloris, ſi externam ſuperficiem ſpectes,
52. ſubflavi, ſin internam, ſubfuſci aut nigricantis. Vas majus concavum maxime duplici crepidine *Cotylam* Græco vocabulo appellat, reliqui duo gemelli ſunt fratres pocula, anguſtiore fundo
53. quam ſummitate, ſuis etiam crepidinibus, quibus inſiſtunt, ornata, quæ ad *Cymbiorum* genera pertinent. Confirmat hæc ex Athenæi loco, & genuinam horum vaſorum antiquitatem & uſum
54. 55. thermopoticum multis rationibus corroborat.

Cap. VI, de reliquo inſtrumento Thermopotico inſcriptum legis Julii Pauli § 18 D. de inſtructo vel inſtrumento legato lu-
58-63. culenter explicat. Docet ibi, quid ſint *Caccabus, Patinæ, Pulmentaria, ahenum, urcei & urceoli*, atque allato egregio Julii Pollu-
64. cis loco de reliqua ſupellectile Thermopotica, *Ollarum Rhodiarum*

rum meminit, de quibus Athenæus Lib. VI c. 3 commentatus p. 65.
eſt, cujus etiam loci ingenioſam & eruditam explicationem No- 66.
ſter ſuppeditat, poſtea ſervorum Caldariorum mentionem facit, 68.
Paulumque, Ulpianum & Papinianum conciliat.

Sed ſatis de Calda. Nunc de caldo etiam nonnihil ex Cap.
VII dicendum erit. Miſcuerunt veteres vinum vino, fortius pu- 73.
ta meliore, quod χαλίκρατον appellarunt, miſcuerunt aqua, cum
marina tum fontana, ſed egelida, an etiam fervente & calda? ita 74.
eſt; & vinum ita miſſum eſt caldum, de quo Noſtro hic ſermo eſt.
Hujus meminerunt Dio Caſſius, Philo, Plinius, Athenæus, Mar- 75.
tialis, Clemens Alexandrinus, Ariſtænetus, Apulejus, Lucianus, 76.
quorum locis in medium allatis, denuo cum Baccio in arenam
deſcendit, & mox de vero ſenſu Plautinorum ſalium in Curcu- 77.
lione Act. II Sc. 3, in Milite Glorioſo Act. III Sc. 2 & in Tri- 80.
nummo Act. IV Sc. 3, mox de Martialis Epigrammate 113, mox 81.
de Apuleji loco Lib. II, mox de Galeni Aph. XXXIX Sect. 5, 82.
contra eum diſputat, non oblitus etiam ἁγίας ζέσεως Græcorum. 83.
Tandem Cap. VIII in originem Calidi potus inquiſivit doctiſſi- 84.
mus Autor, & mantiſſæ loco nonnulla ex noviſſimis Cel. Rinkii 88.
litteris de inventione vaſorum ſupra memoratorum adjecit, argumentum libri & ſingulorum capitum repetiit, atque indice autorum allegatorum, illuſtratorum & emendatorum elegantiſſimo huic opuſculo coronidem impoſuit.

Quanquam autem vel ex iis, quæ a nobis delibata ſunt, patere arbitremur, doctiſſimum & diligentiſſimum Collegam noſtrum Caldam Antiquorum non primis, quod ajunt, labris deguſtaſſe, ſed illam magna cum cura ex Oceano ſcriptorum Græcorum & Latinorum ſelectam omnium optime reſtituiſſe, non poſſumus tamen non hic ſuperaddere, Clarisſimum *Gebauerum* etiam aliis Autorum locis haud infelicem operam attu-
liſſe, uti ex iis videre eſt, quæ ad *Quintiliani*, vel potius Auguſti 9.
locum de vocibus Calida & Calda, ad *Lampridium* de luxuria 17.
Antonini Eliogabali, ad *Martialis* Epigramma in Apophoretis 31.
105, ad *Plinii* verba in Hiſt. Natur. Lib. XIX Sect. 19 animad- 87.
verſa fuerunt. Quæ omnia uti ſine dubio ad palatum lectorum has delicias amantium ſunt futura; ita nulli dubitamus, quin iidem

dem alia Cl. Autoris, quæ illum moliri novimus, majoris molis opera & lucubrationes, eo majore cum cupiditate nobiſcum ſint exſpectaturi.

OBSERVATIO DE NOVO DUCTU SALIVALI Glandulæ Lingualis, facta ab ABRAHAMO VATERO, Phil. & Med. Doct. Anat. & Botan. Prof. Publ. Subſtituto Vitemb. & Natur. Curioſ. Collega.

AD linguæ radicem foramen aliquando hiare, primus vidit Johannes Baptiſta Morgagni, uti monuimus in Actis his Anno 1708 menſe Januario pag 30, Adverſaria ejusdem Anatomica prima recenſentes, canalemque iſtum ad os usque hyoidis proſecutus, pro excretorio magnæ partis glandularum ibi ſitarum eum agnovit; iſtiusque mentionem facit Laurentius Heiſterus in Compendio Anatomico, cœcumque foramen appellat. Virorum igitur horum in re Anatomica famigeratiſſimorum ductum ſecutus Clariſſimus Vaterus, in animum induxit, data occaſione in hanc rem ulterius inquirere, eoque conſilio non tantum variorum brutorum, ſed etiam humanas linguas, quas in liquore conſervaverat, examini iterum iterumque ſubjecit, aſt fruſtraneus in eo fuit omnis labor; prout fatetur in Programmate, ſuperiori anno Vitembergæ edito. In brutorum quippe linguis nil omnino de eo comparuit, in humanis quidem quibusdam aſſervatis adfuit, ſed anguſtum, contractum, & impenetrabile. Oblata quidem occaſione ſecandi corpora demortua, aliquoties linguas humanas exſectas perluſtravit, plurimaque experimenta fecit, ſed non æquali ſucceſſu. Interdum enim in his vix veſtigium hujus foraminis adfuit, ſubinde quidem viſui ſe obtulit idem, ſed in fundo anguſtiſſimum, aditum flatus, ſtili, imo ſetæ porcinæ nullatenus admittens, a papilla e centro porrecta plane occluſum. Aliquando foramen illud, quod nec flatum, nec ſtilum tenuiſſimum admittebat, verſus poſteriora aperuit, flatuque tubulo immiſſo, marginem ejus perquiſivit, in quo anguſtiſſimum oſtiolum deprehendit; per quod nihilo ſecius mediante inflatione non tantum, ſed etiam injectione materiæ

teriæ ceraceæ, tota poſterior linguæ & epiglottidis exterior ſuperſicies intumuit, & anfractus cellulasque varias exhibuit. Alio tempore, quo idem foramen occluſum deprehendit, mediante flatu detexit orificium exiliſſimum, non in medio linguæ, ſed a latere verſus laryngem, in loco pollicis latitudine a dicto foramine remoto, per quod eandem glanduloſam linguæ & epiglottidis ſuperficiem cera replevit. Tandem cum puellam novem menſium demortuam cultro ſubjiceret, injectione aquæ in foramen hoc ſæpius tentata, ſucceſſive elevata fuit glanduloſa expanſio ampliſſima, majorem linguæ fauciumque partem involvens. Ab aqua enim injecta tota poſterior linguæ pars ac ſuperficies externa epiglottidis circa glottidem usque intra œſophagum ad duorum fere digitorum latitudinem valde intumuit. A latere præterea linguæ, & ſub eadem, diſtenta fuit glandula inſignis ad frenum usque expanſa, quæ cellulas & lobos innumeros exhibuit. Hanc itaque glandulam, aut, ſi mavis, glanduloſam expanſiônem ad ſalivales refert Clariſſ. Vaterus, quam ex dicto Programmate hic delineatam cum B. L. communicamus.

Explicatio Figurarum.

TAB. V. Fig. 7.

Figura 7.

A. B. C. D. Lingua puellæ novem menſium, a parte anteriori & ſuperiori repræſentata.

a. Foramen in ſuperiori & poſteriori linguæ ſuperficie hians, quod eſt orificium novi ductus ſalivalis.

b. Glottis.

c. Epiglottis, in cujus exteriori ſuperficie glandula, ſuper eandem expanſa, repleta, ita ut ejus facies plane mutata ſit, & tumida appareat.

d. Aſpera arteria cum œſophago verſus ſuperiora reclinata, ita ut glanduloſa expanſio in conſpectum prodeat.

e. Oeſophagus.

f. Glanduloſa expanſio in ſuperficie ſuperiori & poſteriori linguæ & e latere ejusdem, nec non ſuper epiglottidem, glottidem & œſophagum.

g. Oeſophagus circa laryngem apertus, ut glanduloſa expanſio in eo videri queat.

h. Glandula thyroidea e latere gulæ prominens.

TAB. V. Fig. 8.

Figura 8.

A. B. C. D. Lingua eodem ſitu inverſa, & ab inferiori & poſteriori parte viſa.

a. Aſpera arteria cum œſophago ad ſuperiora ducta.

b. Glandula thyroidea.

c. Tenuis productio glandulæ thyroideæ verſus os hyoidis amandata.

d. Os hyoidis abſconditum.

e. Glandula nova ſalivalis a latere linguæ & ſub eadem, usque ad frenum expanſa & aqua injecta turgida.

f. Frenum linguæ.

THE NEWTONIAN SYSTEM OF SUN, PLANETS AND COMETS &c.

h. e.

SYSTEMA SOLARE NEWTONIANUM tam Planetarum quam Cometarum, cui ſubjecta eſt pars ſcholii generalis principiorum Iſ. Nevvtoni editionis ſecundæ, in Anglicum ſermonem tranſlata.

Londini, ap. Joh. Senex, ad inſigne Globi in ambulacro Salisburienſi, fol.

Tab. æn. pl. unica.

CEleberrimus Hallejus in Aſtronomiæ Cometicæ Synopſi edita n. 297 Transact. Angl. Newtoni, ut ipſe ait, veſtigia ſecutus, eam methodum, qua docet ille exemplo Cometæ anni 1680 Cometarum orbitas geometrice conſtruere, calculo Arithmetico accommodarat, & Tabulam exhibuerat XXIV Cometarum, inde ab anno 1337 ad 1698 variis temporibus obſervatorum.

vatorum. Hujus, ibidem ait, numeri vim habent omnia, quæ de motu Cometarum hactenus obſervata ſunt, accuratiſſime repræſentandi. Clariſſimus igitur Whiſtonus ejus rei periculum facturus, jam ante aliquot annos æri incidi curavit Syſtema Planetarium in Charta majore, præter Planetarum orbitas, Perihelia, Aphelia, Nodos, eo ſitu, quem ultimo Decembris St. V. A. 1720 ſingula habitura erant, exhibens orbitas Cometarum Parabolicas numero XXI, quales ſunt in propriis planis ſpectatæ, & ſine reductione ad Eclipticam. Cometis enim annorum 1532 & 1661, item 1531, 1607, 1682, unicam aſſignat orbitam, Halleji conjecturam ſecutus, qui loco citato innuit, pro iiſdem fortaſſe habendos eſſe, quamvis in ipſa Tabula obſervationibus preſſe inſiſtens, Perihelia ipſis tribuat non plane eadem. Eodem modo Cometam anni 1456, qui in Tabula Hallejana ſeorſim non extat, eodem duce Hallejo pro eodem habet cum illis annorum 1531, 1607, 1682. Singulis orbitis adſcribi fecit Whiſtonus tempus quando apparuerunt, tempus periodicum, ubi datur, & proinde quando iterum ſint apparituri, interdum etiam gradum maximæ incaleſcentiæ, in periheliis nempe, cum caudæ longitudine. Sic ad Orbitam AA leguntur ſequentia: *Orbita Cometæ anni Domini 1680. In perihelio fuit 8 Dec,* (St. V.) *ipſo meridie* diſtantiam minimam *nactus 496000 mill.* (anglic.) *a centro Solis, quo tempore fere 2000 vicibus magis incaluit, quam calor eſt ferri candentis: caudam reverſus a perihelio habuit 80, 000, 000, milliar. Periodum complet annis 575: maximam a Sole diſtantiam habet circiter 11200, 000, 000, mill. Ratio maximæ diſtantiæ ad minimam eſt ut 20000 ad 1: adeoque lumen calorque maximus ad minimum erit in majore ratione quam 400 000 000 ad 1. Aſcendens Nodus eſt ♑ 2° 2′, Inclinatio 60° 56′, Directio eſt in conſequentia ſignorum.* Hoc modo Whiſtonus tum temporis adornavit Syſtema Cometarum. Quod dum deſcripſimus, eadem opera enarravimus ſingula, quæ in præſenti ſchemate ad minorem tantum modulum conſtructo ab eodem artifice, quo tum uſus Whiſtonus erat, exhibentur. Neque alia præterea diverſitas ulla eſt, præterquam quod Planetarum ſitum aſſumſerit alium, breviusque ſingula enunciarit, quæ ſcripſit ad orbi-

tas, multa etiam omiſerit, ut Nodos, Inclinationes Diſtantiasque Cometarum a Sole, nec non Perihelia & Aphelia quæ quidem ex ipſo Schemate cognoſcuntur. Planetarum Perihelia, Aphelia, Nodos ad extimum Eclipticæ circulum; periodi vero & diſtantia a Sole, Diametri & Maſſæ, cum denſitatibus; velocitates, illuminatio & incaleſcentia; porro periodi & diſtantiæ Satellitum & annuli Saturnini in quatuor extremis Chartæ angulis quaſi per totidem tabulas diſpoſitæ habentur. Utriusque Syſtematis

TAB. V. Fig. 9. ideam ſuppeditat ſpecimen in Figura 9 expreſſum. In hac circuli concentrici ſunt orbitæ Planetarum, lineæ vero parabolicæ Cometarum. Et quidem AA eſt orbita Cometæ anni 1680; BB Cometæ annorum 1531, 1607, 1682, 1456; CC Cometæ a. 1684; DD Cometæ 1698; EE Cometæ 1556.

DECISIONES SUMMI PROVOCATIONUM Senatus Electoralis Saxonici, e ſchedis Paternis collectæ & cum in ordinem redactæ, tum ex Jure uberius illuſtratæ, cura CHRISTOPHORI HEINRICI DE BERGER, *Anteceſſoris Wittebergenſis.*

Dresdæ & Lipſ. ſumpt. Joh. Chr. Zimmermanni, 1720, 4. Alph. 3.

PRæfatio huic operi præmiſſa monet, Conſ. Autorem ad hoc opus edendum fuiſſe commotum, quod multum interſit ſcire, quasnam ſententias ſupremus Provocationum Senatus in dijudicandis controverſiis ſequatur. Siſtit itaque hoc opus deciſiones 543; ſingulæ harum juncta habent decreta ſupremi Provocationum Senatus, ſingulis præmittuntur ſolidiora fundamenta ac rationes, nonnunquam etiam inſerta ſunt Reſcripta Regia, Collegiorumque Juridicorum Reſponſa. Haud abs re eſſe ducimus, ſubjicere nonnullarum deciſionum argumenta. Dec. 20 monetur, jus protimiſeos quod domini jurisdictionis ſibi vindicent, non poſſe proferri ad comeſtibilia cibariaque, quæ a ruſticis in urbes venum deportantur, quippe ingenuis hominibus

nibus liberam rerum ſuarum alienationem auferri, iniquum. Licet enim Dominus emphiteuſeos ac feudi jure protimiſeos gaudeat, huic tamen juri locum eſſe in ipſa re Emphyteuſeos ac Feudi jure conceſſa, minime vero in comeſtibilibus. Dec. 30 aſſeritur, jure Saxonico Electorali cenſum capitationis una cum ſteuris commerciorum invaluiſſe. Litem aliquando excitatam fuiſſe inter Senatum quendam oppidanum & Collegium pannificum. Pannifices quippe ſocios ac pueros ſuos immunes judicaſſe ab hujusmodi ſteuris. Senatus e contra ſupremus Provócationum eosdem, ſuffragante receſſu provinciali de anno 1646, ſteuris exſolvendis obnoxios feciſſe, dummodo annum 17 egreſſi eſſent. Dec. 76 indicatur, actionis negatoriæ illud eſſe præcipuum, ut onus probandi tranſeat in reum. Duas vulgo occurrere exceptiones: 1) cum reus poſſeſſione vel quaſi ſervitutis ſeſe tuetur, 2) quando actor in libello vitia ſpecifica poſſeſſionis vel quaſi allegavit, ut vim, dolum, &c. Sed primam reſpuere Collegia Electoralia Saxonica ideo, quia præſumtio libertatis naturalis fortior ſit præſumptione quæ ad poſſeſſionem ſuam refert originem. Dec. 120 decernitur, maritum Saxonem, quamvis in alia regione munere publico fungeretur, uxori ſuæ ſuccedere ſecundum jura Saxonica, modo animum revertendi eundem habuiſſe demonſtretur. Dec. 149 evincitur, præſcriptionem actionis perſonalis, quæ uxori adverſus maritum competit, mortuo marito demum currere, igitur mutuo uxoris cum marito contracto, tempus præſcriptionis non computari a tempore mutui contracti, ſed a die mortis mariti, cum uxor maritum propter reverentiam non interpellaſſe præſumatur, & mala fides etiam præſcriptioni inchoandæ vivo marito ſit impedimento. Dec. 250 monſtratur, Judicis & Actuarii munera in una eademque perſona non concurrere poſſe, unde conſequatur, Præfecti, Conſulis, Prætoris regiſtraturas vitio nullitatis laborare. Senatum tamen ſupremum olim has regiſtraturas toleraſſe in actibus voluntariæ jurisdictionis, quippe tunc judicem pro arbitro potius quam judice reputaſſe. Dec. 132 ſtatuitur, menſem in materia probationis 30 dierum ſpatio abſolvi, quæ doctrina applicari ſoleat ad juris coquendi & vendendi cerevi-

ſiam probandi fatale, duos enim menſes, quibus circumſcribatur hoc fatale, complecti 60 dies. Dec. 431 deciditur, non locum eſſe leuterationi contra duas ſententias conformes ſeſe immediate excipientes in foro Saxonico Electorali; ſecus eſſe, ſi non immediate ſed altera interveniente ſententia pronuncietur, ex quo conſequatur, leuterationi ſuum conſtare robur, quando tres latæ ſint ſententiæ & tertia primæ reſpondeat, eandemque confirmet, ſecundæ vero ſeu mediæ repugnet.

Kern der Geſchichte des hohen Chur- und Fürſtlichen Hauſes zu Sachſen ꝛc.

h. e.

D. ADAMI FRIDERICI GLAFEY NUCLEus Hiſtoriæ Electoralis Saxonicæ, documentis ac teſtimoniis fide dignis probatæ.

Francof. & Lipſiæ, apud Chriſtoph. Riegel, 1721, 8. Alph. 3 pl. 13 tabb. æn. 17.

ID imprimis operam dedit Conſ. Autor, ut prætermiſſis vel levi penicillo deumbratis lineæ Erneſtinæ rebus copioſius exponat Hiſtoriam Electoralem, nec tantum ſtylo utatur fluido & nativa quadam pulchritudine exſurgente, ſed & ſubinde documenta ac teſtes fide dignos producat, quos tamen in rebus vulgaribus afferre ſupervacaneum duxit. Tum illud quoque laudem meretur, quod in enarrandis factis ſelectum habuerit, & uſum ſemper præſentem reſpexerit, ut adeo juris publici Saxonici vices fere hic liber ſubire poſſit. Controverſa enim Archimareſchallatus, Vicariatus, Palatinatus & Directorii jura, una cum Confraternitatibus, Prætenſionibus, Expectantiis, & vigentibus adhuc cum gente Erneſtina litibus, ut & pacta domus, juraque territorialia inter Electorem & Duces gentis Albertinæ ac Epiſcopatus controverſa, nec non formam provinciarum electoralium internam, & modum in comitiis provincialibus procedendi accurate ſatis expoſuit. Ceterum in quatuor libros

libros opus diſtribuitur, quorum primus Marchionum, Ducum & Electorum vitam & fata recenſet, inſperſis ubique iis controverſiis, quæ ad præſentem Reipublicæ Saxonicæ faciem aliquod momentum afferunt. Singularia in eo ſunt, Marchionum Miſnenſium a Wittichindo Rege origo adſerta, de eodem Wittichindo variæ eruditæ quæſtiones, primo & ſecundo capite expoſitæ, de Landgraviatu Thuringiæ plenior tractatio cap. 5, Teſtamentum Alberti Ducis eruditis animadverſionibus illuſtratum c. 18, Friderici Sapientis Vicariatus ab erroribus vulgi liberatus c. 12, eruditus denique in Johannis Georgii I teſtamentum commentarius, & vita potentiſſimi Regis *Friderici Auguſti*, quem Deus Saxoniæ diutiſſime ſervet. Plura vero eaque notatu digniora in libro ſecundo, de prærogativis, prætenſionibus & titulis inſcripto, deprehenduntur. Plenior enim cap. 1 de Archimareſchallatu, cap. 2 de Vicariatu, c. 3 de Palatinatu, c. 4 de Directorio inter Evangelicos, c. 5 de Prætenſionibus, c. 6 de Titulis Electoralibus, cap. 9 de Collegiis Dresdenſibus, diætis provincialibus & ſtatu bellico, c. 10 de Commerciis & ſtapula Lipſienſi tractatio non ubivis obvia exhibet. In tertio vero libro, imo & quarto, in quibus ſtatus Eccleſiaſticus & Geographicus deſcribitur, non adeo multa immutata ſunt, ſed plura ex priori editione retenta. Monendum enim eſt, hunc librum jam ſeptem abhinc annis ſub titulo *Introductionis in hiſtoriam Saxoniæ* prodiiſſe, alio quidem Autore eoque Anonymo, in qua cum haud pauca immutaverit Noſter, quæ non improbante Aula nunc prodeunt, non dubitavit libro nomen ſuum præponere.

Trauriges Andencken, ſo wol der Feuersbrünſte überhaupt, als auch der vielen fatalen Feuersbrünſte in Sachſen.

i. e.

TRISTIS MEMORIA INCENDIORUM, tum in genere, tum ſpeciatim eorum, quæ in Saxonia hactenus frequenter exorta ſunt, Autore CAROLO GODOFREDO ENGELSCHALL, Conc. Aul. Reg. & El. Sax.

Dresdæ & Lipſiæ, apud J. Chriſtoph. Miethi Hæredes, 1721, 8. Alph. 1.

Fre-

FRequentiora illa, quæ hucusque Patriæ dulciſſimæ exitialem propemodum calamitatem intulerunt, incendia occaſionem præbuerunt S. R. Autori Scriptum hocce elegantiſſimum componendi, quod, ubi præfaminis loco de egregio ignis uſu & neceſſitate quædam attulit, in duas diſpeſcuit partes, quarum prima de incendiis exponit generatim, altera vero ſigillatim de iis agit, quæ paucorum annorum decurſu Saxoniæ urbes, oppida vicosque dimidiam fere partem in cineres favillasque redegerunt. Itaque Cap. I P. I illorum incendiorum ob oculos ponit cauſas; C. II de incendiorum commentatur effectis; Cap. III vero de præſagiis agit, quæ vel divina, vel naturalia ſtatuuntur, nec omnia præſagia Phyſica plane eſſe neganda, aut negligenda prudenter contendit; Cap. IV ſiſtit remedia, quibus vel metuenda caveri avertique poſſint incendia, vel jam coorta utiliter reprimi & ſedari, qua occaſione variorum inventa ingenioſa, ſalutares item Magiſtratuum ordinationes dilaudantur & commendantur. Pars II duo complectitur capita; priori quidem recenſet Autor illa incendia, quæ aliquot abhinc annis Patriam afflixerunt; in poſteriori vero illos, qui in Saxonia hactenus, Oelsnitii imprimis & Reichenbaci, bonorum fecerunt jacturam, incendiis coortis, conſolatur & erigit. Videri equidem poterat, de rebus in vulgus notis tractationem hoc opuſculo eſſe inſtitutam; at enim ipſa quemlibet edocebit lectio, S. R. Autorem vulgares quoque res non ſolum pereleganti quadam & ſuaviſſima ratione propoſuiſſe, verum etiam obſervationibus ex omni doctrinarum genere petitis opuſculum ſuum locupletaſſe & exornaſſe. Ita p. 2 probat, homines in ſtatu quoque integritatis ignis uſu non plane caruiſſe. Pag. 4 & ſeq. de ignis religioſo cultu multa afferuntur in medium. Pag. 7 illorum firmatur conjectura, qui religioſum ignis cultum ab igne cœlitus in ſacrificia delapſo derivant. Pag. 14 ſeq. Aſtrologiæ vanitas prolixe commonſtratur. Pag. 19 de igneis nonnulla habentur pluviis. Pag. 28 obſervatur, Deum ſcortationis inprimis crimen incendiis punire ſolitum, quod fanorum gentilium exemplo confirmatur. De Bibliothecis, aliisque ad literatam rem ſpectantibus monumentis, quæ flammarum vi fuerint deleta, multa C. II P. I leguntur, ut alia taceamus ſubinde annotata.

* * * * * *
* * * *

N. IX.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Septembris Anno MDCCXXI.

A PHILOSOPHICAL ACCOUNT OF THE WORKS OF NATURE &c.

ſive

RECENSIO PHILOSOPHICA OPERUM naturæ, creatorumque mineralium, vegetabilium animaliumque, gradibus, quibus de vita quævis eorum participant, ob oculos ponendis inſerviens &c. Autore RICHARDO BRADLEY *R. Soc. Britannicæ Socio.*

Londini, apud W. Mears, 1721, 4 max.

Conſtat Alph. 1 pl. 5 & Tabb. æn. colore obductis 27.

Occaſionem ſuſcepti operis hujus Cl. Autor indicat in præfatione. Eam dedit ipſi Addiſonii exhortatio ad Societatem Regiam Anglicanam directa, qua ei commendabat, ut membris ſuis hiſtoriæ alicujus naturalis ex libris & obſervationibus conficiendæ compilationem demandaret, in qua animalium præcipue ortus, generatio, excluſio, educatio, politia, hoſtes, ſocietates, textura interiorum & exteriorum partium, præcipue vero earum quibus a ceteris diſtinguuntur, facultates demum & conformatio ad ſtatum ſuum conſervandum explicentur. Hoc enim ſibi dictum putans, ad componendum hunc tractatum ſe accinxit, in quo qualem non omnia quidem, quæ ad ipſam meteriam ſpectant, quam tractavit, ob ſubjecti amplitudinem & fere infinitatem complexus eſt, attamen potiora & cognitu digniora, & talia quidem quæ non fidei & relationi dubiæ aliorum, ſed propriæ aut oculatæ debebat, provocans etiam nomina-

 tim

tim ad Cimeliothecas vel collectiones curioſorum, inquibus originalia ipſa ſpectari poſſunt, tum eorum, quæ in diſcurſu meminit, tum quorum effigies in tabulis æneis expreſſit. Quæ quidem non ſolum ob artem, qua eleganter elaboratæ ſunt, commendabiles exiſtunt, ſed etiam quod additi colores rerum quarumvis naturales, ope aptæ illuminationis, picturæque adeo perfectæ rationem habent, & imprimis partes animalium diſcretivas exhibent. Ordinem vero eum tenuit, quem tanquam principalem ſcopum libri titulo ejusdem inſcripſit, ut eundo gradatim per ſingula, ab inferioribus ad ſuperiora procedens oſtendat, in quibus vitæ animæve ſucceſſive plus deprehendatur.

Orditur autem a terreſtribus usque & *Mineralibus*, quæ temporis ſpatio opus habere donec ad ſtatum perfectionis deveniant, adeoque generari, conſtat. Modum generationis talem concipit. Omnium terrarum, quantumvis variorum generum, ortum ex ſabuloſis particulis derivandum credit, quarum affectiones ſaltem varientur mixtura liquorum aqueorum, viſcoſorum & oleoſorum. Sabuli particulas, quantumlibet duras, alterationem a calore & frigore poſſe pati ex experientiis ſpeculorum cauſticorum conſtare, poſſe adeo intra poros ſuos recipere proxime adſitas liquorum partes, unde ſucceſſiva generatio terreſtrium corporum varii generis ex ſabulo non invite conſequitur. Ad teneriorum & facile ſeparabilium terrarum ortum concurrere particulas aquæ ſimplicis; ad paulo tenaciorum conſtitutionem requiri viſcoſas; ad duriorum & marmoreorum etiam corporum naturam facere oleoſas. Terrarum varia genera in ſpecimine aliquo exhibet enumeratio *ſtratorum* terræ in fodinis carbonum foſſilium Anglicanis occurrentium ad profunditatem 188 $\frac{1}{2}$ pedum depreſſis. De tempore, quo ad ſtatum perfectæ duritiei perveniunt lapides, ex mixtione illa liquorum cum ſabuloſis vel uliginoſis partibus, argumentum capi poſſe judicat ex illa relatione, quæ ante 4 fere annos Regiæ Soc. facta fuerat de bufone vivo in medio duri ſaxi reperto. Quem ſane ultra 100 annos vitam non potuiſſe intra hoc clauſtrum producere autumat. Huic foſſilium generi porro Ambram cum Gemmis ipſis annumerat.

Progreditur inde ad *Corallia*, jam manifeſto ad vegetabilium

lium numerum accenſenda, dein *Spongias*, *Fungos*, *Voletos* locat. Poſt hos ſequuntur *Junci*, *Echinomelocactus Indicus*, *Cereus Americanus*, *Euphorbium*, *Opuntia*, *Ficus*, in quibus quidem omnes ad generationem in reliquis vegetabilibus requiſitæ partes non occurrunt. Qua occaſione inſerit diſſertationem *Antonii de Juſſieu* de Analogia inter plantas & animalia, differentiaque ſexuum in illis. Ad quam ſtabiliendam conſiderat quidem hic loci ſaltem exteriores partes, attendere vero jubet ad *ſtamina* florum, *piſtillos*, *petalos*; & maſculos ex floribus definit, quorum ſtamina piſtillo vel ſtylo deſtituuntur vel quorum ſtyli embryonem ſeminalem non includunt, fœminas quarum piſtilli cinguntur non ſtaminibus, ſed petalis aliisve membranis; fœcundantur vero a pulvere & farina prolifica florum maſculorum vel in iisdem vel vicinis plantis ſuccreſcentium ope venti ad eos delatis. Androgynæ ipſi ſunt quorum ſtamina piſtillum ambiunt. Ex quo ſane ſequeretur, quod vult Autor, non ſemper ſupervacuum eſſe plantas diverſi generis invicem collocari.

Succedunt adeo plantæ & vegetabilia perfecta, quorum genera trina facit: *herbas* nempe, *frutices* & *arbores*. Jungit tractationem de *viſco* arboribus adnaſcente, & quem *ſuperplantæ* nomine indigitat; nec non de partibus arborum absque ſeminis ope vegetationis facultatem habentibus & inferius radices agere valentibus, ut ſunt folia citreorum, aurantiorum pomorum, aloës, ramorum deciſorum, qua occaſione de *Mumia* vegetativa, quam *Agricola* commendavit, & de uſu ſaponis in promovenda vegetatione quædam monet. Conſiderans deinde Autor modum, quo creſcunt, & magnitudinem, ad quam perveniunt tum arbores longæviores tum annuæ plantæ, v. g. cucurbitæ, notato harum admodum celeri incremento & ſenſibili augmento non improbabile credit microſcopii ope videri poſſe illum ipſum motum in partium accreſcentium formatione.

Inde convertit ſe ad corpora illa plantis ſimilia in eo, quod locali motu deſtituantur, ſed aliquid etiam de animali vita participantia, velut *oſtreas* &c. Eſtque in ea opinione, androgyna eſſe hæc animalia immobilia, ut de vegetabilibus quibusdam aſſe-

ruerat, interque ea quæ *Muſculi* (Germanice Muſcheln) dicuntur, ovipara eſſe, ovaque teſtarum ſuarum exterioribus agglutinare. A quibus tranſit ad teſtacea alia, ex. gr. *cancros*, de quorum generatione ſibi non conſtare fatetur. *Stellarum marinarum* motum fieri radios proximos quosque invicem propius admovendo, ora ſua in centris corporum habere easdem, notat. Addit de teſtaceis, quæ per anguigenam motionem partium carnoſarum localem motum exerunt, ut ſunt *Nautilus*, *purpura*, *murex*, *concha* &c.

Cum ad piſces accedit, primo tractat de iis, qui extra aquam degere non valent, aerem tanquam minus denſum non ferentia. De cibo eorum (quem aquam non eſſe ſolam judicat) ſtatis temporibus, quibus locos ſuos mutant, de generatione eorum, nidis, quos quidam eorum faciunt, quamvis breviter, tractat; in plerisque ignorantiam ſuam profeſſus, generalibus ſcilicet obſervationibus contentus, & alios potius commonens, quo attentionem ſuam dirigere conveniat. Repræſentat etiam piſcium quosdam, interque eos *ſirenem*, quæ ſermone Anglico *fœmina marina* dicitur, ſed ab humana forma adeo abludit, ut ratio nominis hujus indendi ſane non pateat. Auditus ſenſum piſcibus denegari non poſſe evincit. De gradu, quo vitæ ſunt participes, & longævitate eorum differens, *carpiones* & *anguillas* maxime longævas judicat, differentiamque hanc ſingularem inter illos & terreſtria animata eſſe, quod corde etiam exemto vivere adhuc pergant. Unde procedit ad conſiderationem *ſerpentium*, *Crocodilorum*, *ſtellionum* & *Chamæleontis*, propter affinitatem quam cum piſcibus habent reſpectu tenacitatis vitæ; quemadmodum ab his tranſit ad aves propter affinitatem, quam *lacertæ volatiles* Indiæ orientalis cum hiſce ſortitæ ſunt.

De iis vero avibus primo agit, quæ hiemis tempore quieſcunt vel in regiones remotas ſe recipiunt. Omnium vero in univerſum generationis modum ex ovario uno fieri, cum e contrario quadrupedia duplex habeant, obſervat, ornatumque eorum vel veſtitum, ſive plumas, colorem (& album quidem a defectu vel nutrimenti vel alio derivat) ingenium in conſtruendis nidis, & vocis humanæ imitationem paucis conſiderat.

Succe-

Succedunt quadrupedia, quorum celeritas inſigniter differt a voluctum celeritate, ſi quidem verum eſt, quod quidem Noſtro videtur poſſibile, quod quadrante horæ columbæ ad nuncios hinc inde portandos aſſuefactæ 20 mill. Anglicana abſolvere poſſint, cum e contrario conſtet, vel velociſſimum equum ultra 4 milliaria curſu perficere non poſſe, nec ipſum curſum longo tempore continuare. Sed pulchritudine etiam colorum in pennis ab avibus quadrupedum crines vinci obſervat. Occupatus circa animalia, quæ domantur, agit de uſibus, quos hominibus præſtare valent. Quorum cum quædam, ut *ſimiæ* & *cercopitheci*, ad humana quædam minoris momenti officia adſuefieri poſſint, judicat, quemadmodum differentia ſonorum, quos edunt, a diverſa conformatione organorum ſoni in animalibus provenit, ita differentiam capacitatis eorum & docilitatis ortum ducere ex diverſa conſtitutione partium, quæ ſuccum nutritium ad cerebrum eorum deferunt. De modo generationis cum agit, in genere excurrit iterum ad modum generationis plantarum, ſimilem generationi animalium, explicandum, nec tamen ſuum interponens judicium, ea quæ inter, D. *Geoffroy* & *Andry* acta de hac re ſunt, repræſentat. Ex quibus apparet, D. *Geoffroy*, pugnantem pro animalculis ſeminalibus, inter alia urgere id, quod liquor maſculi ſeminalis non poſſit ſtatui adeo ſpirituoſus vel volatilis, ut inde ſolum fœcundatio derivetur, cum compertum ſit, quoſdam piſces non copulari, ſed ovula ſolum a fœmellis teſtæ vel duro alicui corpori agglutinata, a maſculo ſubſequente liquore ſeminali perſpergi, quem quidem in aqua omnem volatilitatem amittere neceſſe ſit; & cum objectionibus aliorum reſpondet, provocat ad ea, quæ *Dodartus* in Acad. R. Sc. Pariſ. repræſentavit de incredibili multitudine ſeminum in plantis & infinita multitudine ſeminalium corporum minorum in his ipſis ſeminibus contenta.

Quo a quadrupedibus ad inſecta tranſire poſſit, interponit commode tractationem de animalibus ad inſectorum naturam ex parte accedentibus, *ranis, bufonibus* &c. In qua partes genitales fœminæ ranarum duplicatas, duplicem ſcilicet uterum, bina ovaria, oviductus &c. accuratius deſcribit, una cum modo, quo

maſculus cum fœmella congreditur, qui in eo conſiſtit, ut ille tergo fœmellæ per 40 dies inſidens prioribus pedibus arcte eam complexus ad excernenda ovula, quibus dein liquorem ſeminalem aſpergit, ſollicitet. Et hæc quidem ratio eſt ranarum ovipararum. Dantur vero & *ranæ viviparæ* a *Meriana* in Hiſtoria inſectorum Surinamicorum deſcriptæ, & incredibili multitudine parvorum ejusmodi fœtuum uterum repletum habentes.

Succedit tractatio de *cochleis*, *lumbricis*, *centipedibus* &c. Cochlearum generatio plane ſingularis: nam quælibet earum, quemadmodum & lumbrici, partes genitales utriusque ſexus habet, & priusquam coeant gyros in herba faciunt miros, tanquam captaturæ occaſionem, donec junctæ usque ad 12 horas in copula perdurent. Pulſum cordis in cochlea vix excluſa trium ſecundorum temporis, majoris vero 5 vel 7 ſecundorum microſcopii ope obſervaſſe ſibi viſus eſt Autor. *Aranearum* ad 140 ſpecies in ſola Anglia notaſſe dicitur Dundridge, quæ in 9 claſſes vel genera diſpeſci poſſunt. De *formicis* obſervatum, eas ſingulo mane ova ſua radiis ſolaribus exponere, veſpere in tepidiorem partem antrorum ſuorum iterum recondere. Comites his junguntur *papiliones*, *muſcæ*, *apes*, *ſcarabæi*, coloribus maximam partem pulcherrimis & vividis diſtincti, inſectum ex quo ruber color *Cochenille* dictus colligitur, *pediculus pulſatorius*, ſive mortis præſagum automatum, ut meticuloſæ plebi appellatur. Porro *locuſtæ*, & inſecta in aquis degentia, ut *ſcorpio aquaticus*, *cantharides &c.* & inſectum plane ſingulare, in *Tameſi* æſtatis tempore frequens, viviparum unico inſtructum oculo, unde nomen *monoculi* ipſi datum, *culices*, *ephemeron* inſectum, quod ultra 5 horas vitam non producit, poſtquam *chryſalidis* alicujus formam induit, etſi longiorem vitam idem agere ſub aqua, ſub qua diverſas formas & mutationes ſubeat, Noſler cenſet. Dum de *muſcis noctilucis* loquitur, inſinuat, *ignem fatuum* non videri ſibi aliud, quam agmen ejusmodi muſcarum catervatim hinc inde ſe moventium. Curioſiſſimum omnium inſectorum eſt *folium ambulans*, in Orientali India occurrens, & in *Ruyſchiana* & *Vincentiana* Cimeliotheca viſendum. Claudunt agmen inſecta minima in caſeis & liquoribus corruptis genita, una cum animalcu-

malculis in ſemine maſculino obſervandis ope microſcopiorum.

Finita adeo hac tractatione addit Autor caput ultimum, in quo uſum obſervationum præmiſſarum, & notanda quædam reſpectu climatum in cura plantarum exponit. Obſervationum prima digitum intendit in exactum ordinem in natura non minus ac Matheſi & numeris ſpectandum. Ordo hic ſe exerit in qualitatum ſive affectionum gradibus, ſine ullo hiatu invicem ſe excipientibus. In curatione plantarum exoticarum præcipue attendendum eſſe ad calorem, quo tempore veris in patrio ſuo ſolo eædem afficiantur, judicat. Eandem demum harmoniam naturæ, in productione & conſervatione quadrupedum obſervandam, etiam in homine deprehendi, ultimo loco animadvertit.

Auctarii loco Autor ſubjungit obſervata ſua de terris incultis, & de modo, quo eæ aptæ reddi poſſint ad ligna tignario operi idonea proferenda, exponit. Ubi quo modo ſabuloſum ſolum abietibus conſeri debeat, præcipue oſtendit. Ad culturam eorum pauperes cujusque loci adhiberi, attributa ipſis proprietate ſoli alias deſerti, ſed ea conditione ut curam conſitarum arborum gerant, optimum judicat. Pariter de vivariis pro piſcibus aſſervandis agit. Tandem enumerationem facit celebriorum hortorum, præcipue in Britannia: in qua brevibus annotat, quæ curioſa maxime & attentione digna ſint, luſtratque tam eos, qui delectationi, quam qui uſui vulgari & culinæ, ac ſtudio tandem Phyſico deſtinantur: producens adeo *Verſalienſes*, *Marlyenſem*, *Kenſingtonenſem*, *Hamptoncurtienſem* hortos. Inter hortos Phyſicos vero præfert omnibus *Amſtelodamenſem*, proximum ipſi facit hortum *regium Pariſinum*, ac poſt eum locat *Lugduno Batavenſem*. Nec laude ſua deſtitui hortos *Florentiæ* & *Piſæ*; inter Britannicos vero, qui publici ſint, vix tres memorandos cenſet, quorum unus *Chelſeæ*, alter *Oxonii*, tertius *Edenburgi* viſatur. E privatis æſtimatione dignos habet *Badmintonienſem Ducíſſæ de Beaufort*, *Hillindonienſem* probe *Uxbridge*, *Reynardſonii*, & alios paucos.

Inter figuras operi adjunctas comparent curioſiſſimæ figuræ *Echinomelocacti*, *Cerei Americani*, *piſcium* varii generis, *orbis*

orbis Echinati, *piſcis volantis*, *ſtellæ marinæ*, *Thornbak*, quem Latine *galeum* vel *ſpinacem* vocant quidam, *ſerpentum* varii generis ſquammis pulcre variegatis, *Chamæleontis*, *lacertæ volantis*, *ranæ viviparæ*, *Tarantulæ*, *Automati mortiſoni*, nec non variationum XVII, quas *ranæ ovulum* ſubit, donec embryo ad perfectam magnitudinem perveniat.

A COLLECTION OF SEVERAL PIECES OF MR. JOHN LOCKE &c.

hoc eſt,

COLLECTIO VARIARUM SCHEDARUM JOANNIS LOCKII, nunquam antea editarum, nec inter reliqua ipſius opera extantium, publicata ab Autore Vitæ Joannis Hales.

Londini, apud R. Franckelinum, 1720, 8 reg.
Alph. 1 plag. 4.

QUi has Schedas in lucem publicam protraxit, Vir Cl. des Maizeaux, in Dedicatione collectioni præmiſſa fatetur, in iis contineri nonnulla, quæ ſine Autoris nomine typis deſcripta ſed rariora facta ſunt.

Primo loco hic comparent Conſtitutiones fundamentales provinciæ *Carolinæ*, quam per diploma d. 24 Martii ſt. v. A. 1663 evulgatum nonnullis Angliæ Magnatibus in proprietatem conceſſit Carolus II, propterea quod Proprietarii in condendis legibus novæ Coloniæ opera *Lockii* uſi fuere, & ipſe *Lockius* Conſtitutiones iſtas MSC. tanquam ingenii ſui fœtum exhibuit amico, cujus favore easdem obtinuit Editor. Continetur in iis forma & regula regiminis in Provincia *Carolina*, atque adeo ex iisdem diſcere licet intelligentibus, quantum in prudentia politica & qua via profecerit *Lockius*: id quod facilius fieri poterat, ſiquidem *Lockius* adjectis notulis rationes ſingularum legum, quas habuit, expoſuiſſet. Quamvis enim in patria uſu recepta imitatus fuerit; conſtat tamen, imitationem a Philoſopho nunquam fieri ſine ratione,

Secun-

Secundum in hac collectione locum obtinet epiſtola Comitis de *Shaftsbury* ad amicum rure degentem, quam *Lockius* ipſo dirigente ac dictante conſcripſit. Prodiit ſæpius absque Autoris nomine; ſed cum rarior facta ſit, eam Editor recudi fecit inter *Lockiana* juxta duas editiones anni 1675. Argumentum eſt decretum Curiæ Superioris de præcavendis damnis, quæ ab hominibus ſtatui parum faventibus proficiſci poſſunt. Sancitum ſcilicet fuit, ut ad munus publicum obeundum non admittatur, niſi qui juramento ſe obſtrinxerit, quod injuſtum reputet arma contra Regem ſumere aut Commiſſarios ipſius, nec quicquam moliri velit contra ſtatum eccleſiaſticum atque civilem: id quod nonnulli ita interpretabantur, ac ſi aula potentiam arbitrariam introducere vellet.

Tertio loco ſequuntur Animadverſiones in *Norriſii* libros, quorum unus ſub titulo Reflexionum Curſoriarum in Tentamen de intellectu humano, Londini 1690 in 8, alter ſub titulo Rationis & Religionis, ibidem 1689 in 8 idiomate Anglico prodiit. In iis Autor aſſeruit cum *Malebranchio*, nos omnia videre in Deo: ſed *Lockius* hanc opinionem improbans calamum in eam ſtrinxit. Negat, modum, quo ideæ producuntur, a nobis comprehendi poſſe, cum nemo mortalium ullam alterationem ſubſtantiæ ſimplicis explicare valeat, ſolis alterationibus ſubſtantiarum compoſitarum conceptibilibus, quæ partium transpoſitione fiant. Terminum viſionis nihil explicare. Quoniam enim de alteratione mentis ſermo eſt, quæ contingit, dum ideam habemus; reſtat adhuc explicandum, quid in mente accidat, ubi rem quandam in Deo videmus. Idea nimirum Dei perinde extrinſeca eſt ac res, quam percipimus. Non abludunt hæc ab iis, quæ *Leibnitius* in Actis A. 1684 p. 541 de hac controverſia annotavit, & ſe legiſſe fatetur *Lockius* in quadam ad *Molyneuſium* epiſtola, ubi oſtendit, cum ideæ ſumi debeant pro modificationibus mentis, nos propriis uti debere ideis, etiamſi in Deo videamus omnia. Reſpondet deinde *Lockius* ad ſingula argumenta *Malebranchii* a *Norriſio* repetita. Ceterum ſentit etiam cum *Leibnitio*, quod Syſtema cauſarum occaſionalium, quod a *Carteſio* excogitatum expolivit *Malebranchius*, deducat tan-

dem ad *Spinoſiſmum* &(quod ipſe addit)*Hobbeſianiſmum*, quamvis diverſa uterque ratione utatur. Nimirum *Leibnitius* cum Syſtemate cauſarum occaſionalium connecti arbitratur confuſionem Dei atque naturæ; *Lockius* vero fatalem rerum atque ipſarum cogitationum neceſſitatem, quod non omnibus æque videbitur.

Quartum locum ſibi vindicant Elementa philoſophiæ naturalis, quibus poſitiones nonnullæ phyſicæ continentur ad ſuperficiariam quandam ideam hujus diſciplinæ ſufficientes. Monet Editor, *Lockium* eadem condidiſſe in gratiam juvenis nobilis, cujus ſollicita educatio ipſi curæ cordique fuit, more ſcilicet in Academiis uſitato, ubi poſitiones nonnullæ, veluti compendia diſcurſus ulterioris, in calamum tyronibus dictantur. Cum in iis nonniſi vulgaria atque in iſtiusmodi libellis ubivis obvia occurrant, ſuaſu amicorum eadem ex præſente collectione omittere decreverat, niſi veritus, ne poſthac ab alio minus correcta ederentur, conſilium mutare coactus fuiſſet.

Quinto loco comparent conſilia *Lockii* de methodo, qua juvenis nobilis uti debet cum in libris legendis, tum in omni ſtudiorum tractatione. Cum juvenis nobilis ad patriæ inſerviendum deſtinetur, ipſi ſufficere arbitratur ſtudia, quæ huc conducunt, ſtudium nimirum Philoſophiæ moralis, politicum, juridicum & hiſtoricum. Commendat ad hæc ſtudia lectionem librorum ita inſtituendam, ut connexio idearum in propoſitionibus obſervetur, &, quibus principiis propoſitiones ſingulæ nitantur, quibus ideis intermediis cum iisdem connectantur, cum cura inquiratur. In hoc enim rectam ratiocinationem conſiſtere atque hac via unica ad veram ſcientiam legentes & ſtudentes pervenire. Ut autem porro iis, quæ didicit, uti poſſit, exercendam eſſe artem bene loquendi, quam in duobus conſiſtere opinatur, in perſpicuitate ſcilicet ac recta ratiocinatione. Perſpicuitati ſatisfieri, ſi terminis utamur propriis ad ideas denotandas inventis. Commendat in hunc uſum libros *Tillotſonii*, Archiepiſcopi Cantuarienſis, quotquot ab eo editi proſtant, librum *Ciceronis* de Oratore, *Quintiliani* Inſtitutiones, *Boileau* Galli Tractatum patrio ſermone de ſublimi conſcriptum, *Ciceronis*

ronis, *Terentii*, *Virgilii*, *Livii*, *Julii Cæſaris* ſcripta. Ad rectam ratiocinationem comparandam inſervire præ ceteris omnibus ſcripta *Chillingworthi*, ſi ſtudio indefeſſo legantur. Moralia haurienda eſſe ex Novo Teſtamento, &, ut appareat, quo usque pervenire licuerit gentilibus, addenda eſſe officia *Ciceronis*. Principia politica petenda eſſe ex *Hookeri* Eccleſiaſtica politia, *Algernonis Sydneyi* diſcurſu de regimine, ex duobus Tractatibus ab ipſo *Lockio* A. 1690 tecto nomine de regimine editis, & ex *Petri Paxtonii* Tractatu de civili politia A. 1703 Londini in 8 edito: quibus libris Anglico idiomate conſcriptis jungi poſſe notiſſimum *Puffendorffii* libellum de officio hominis & civis, atque opus ejusdem de Jure naturali & gentium, quod in hoc genere primum prædicat. Artem gubernandi experientia & ſtudio hiſtorico eſſe comparandam, inprimis ſi hiſtoriæ patriæ operam navemus. Ut quis optimorum in Hiſtoria Anglicana Autorum notitiam ſibi comparet, legendam eſſe *Tyrrellii* Hiſtoriam Angliæ. Ad ſtudium legum commendat *Bractonem*, *Fletam*, *Hennighamum*, *Cookii* inſtituta & modum tenendi parliamentum, *Sedleri* Tractatum de jure regni & conſuetudinibus anteceſſorum, duo volumina Tractatuum de Statu; in uſum vero Hiſtoriæ generalis *Waltherum Rawleigh* & *Howellum*, una cum *Whearii* methodo legendi Hiſtorias; in Geographia *Heylinum* & *Mollium*, *Camdeni* Britanniam & Atlantem Geographicum una cum itinerariis *Hackluyti*, *Purchaſii*, *Thevenotii*, *Ramuſii* aliorumque; in Chronologia *Helvicum*, *Tallentii* Tabulas, *Strauchii* Breviarium temporum, *Scaligerum* & *Petavium*; ad homines cognoſcendos librum ſecundum Rhetoricorum *Ariſtotelis*, *Bruyeri* characteres, & in Satyricis *Juvenalem*, *Perſium* & præ ceteris omnibus *Horatium*; ad decorum *Cervanteſii* Hiſtoriam *Don Quixoti*; in uſum linguæ Latinæ *Littletonum*, *Cooperum*, *Calepinum*, *Roberti Stephani* Theſaurum linguæ Latinæ & *Voſſii* Etymologicum linguæ Latinæ; in uſum linguæ Anglicanæ *Skinneri* Lexicon etymologicum, *Cowelli* interpretem, *Spelmanni* Gloſſarium, *Seldeni* titulos honorum; in uſum Geographicum *Baudrandi* Dictionarium Geographicum; in uſum hiſtoricum *Loydii*, *Hoffmanni*, *Morerii*

rii & inprimis *Bælii* Dictionarium, quod incomparabile in hoc genere appellat.

Ultimum denique locum occupant epiſtolæ *Lockii* ad *Antonium Collinium* & *Richardum Kinchium*, pauciſſimis exceptis, perſcriptæ. Ex iis excerpimus, quæ notatu digna nobis occurrunt, quamvis maxima pars earum, quæ ad *Collinium* datæ ſunt, nil niſi familiaria contineat. *Chillingworthi* noviſſima inter libros abjectiſſimos refert *Lockius*. Salſe ridet Oxonienſes, librum ipſius de intellectu humano damnantes. *Norriſium* ait bruta pro machinis habere non aliam ob rationem, quam quod hypotheſi ipſius conforme, ac gratis ſupponere, quod, quicquid cogitat, immateriale ſit: ipſe nimirum defendit, cogitationem poſſe eſſe attributum ſubſtantiæ extenſæ ac ſolidæ ſeu impenetrabilis, etſi cum extenſione ac ſoliditate ſeu impenetrabilitate non connectatur. Cogitationem non excludi debere a reliquis ſubſtantiæ immaterialis affectionibus, ſed ab ipſa ſubſtantia materiali: id quod a nemine fieri poſſe arbitratur, propterea quod nullam ideam ipſius ſubſtantiæ materialis habeamus. Contra librum ſuum de intellectu humano nihil opponi poſſe, & eundem ducere confidit via breviſſima & planiſſima ad ſcientias, cujus gratia ipſum publici juris fecerit. Probat, quod *Wynnius* epitomen dederit, idiomate Anglico Londini 1696 in 8 publicatam. Epiſtolas ad Corinthios intellectu difficiles judicat: quæ cauſa fuit, cur Paraphraſin & Notas in eas conſcripſerit, poſt mortem Autoris demum luci publicæ expoſitas. Multis iisque præclaris encomiis ornat *Eduardum Pocockium*, Profeſſorem Regium Hebrææ linguæ in Univerſitate Oxonienſi, natum d. 8 Nov. 1604, denatum d. 10 Sept. 1691. Rogatus a *Kingio*, quænam via breviſſima & tutiſſima, qua juvenis nobilis ad veram & adæquatam religionis Chriſtianæ notitiam pervenire poſſit, reſpondet, ſtudendum eſſe Scripturæ ſacræ, inprimis Novo Teſtamento: in ea enim contineri verba vitæ æternæ. Autorem ipſius eſſe Deum; finem ſalvationem; materiam veritatem absque ullis erroribus intermixtis. Ab eodem rogatus, unde morum doctrina optime hauriatur, reſpondet, eam ex Scriptura ſacra eſſe petendam. Syſtema ſi deſideretur, ſatisfacere librum Anglicum,

cum, qui ſub titulo, *Whole Duty of man*, ſeu *omnia hominum officia*, prodiit. Commendat quoque ſermones ſacros *Barrowii*, *Tillotſonii* & *Whichcotii*, quos ſine pari in hoc genere pronunciat. Regulas prudentiæ in vita communi non aliunde melius, quam ex *Siracide* addiſci. Ad prudentiam politicam facere libros Politicorum *Ariſtotelis*, *Hookeri* Politiam Eccleſiaſticam, duos de regimine Tractatus & *Puffendorffii* libellum de officio hominis & civis. Addendum eſſe *Chamberlaynii* Statum Angliæ, aut *Smithi* Tractatum de Republica Anglicana. Ab eodem *Kingio* porro rogatus, quænam ſit optima via interpretandi Scripturam ſacram, reſpondet, lectionem ejus aſſiduam & diligentem in textu, ſi fieri poteſt, originali, ita quidem ut non progrediamur, donec nobis de vero ſenſu reperto ſatisfecerimus. Utendum eſſe ſuppetiis interpretum & commentatorum, quales ſint, qui vocantur, Critici & *Poli* Synopſis Criticorum atque *Hammondus* in N. Teſtamentum. Proprio tamen ubique opus eſſe judicio, cum nullus interpretum ſit infallibilis. Primo loco legendos eſſe quatuor Evangeliſtas, adhibita *Clerici* aut *Whiſtoni* harmonia Evangeliſtarum. Colophonis loco ſubjunguntur regulæ Societatis ad ſcientiam, veritatem charitatemque Chriſtianam promovendum inſtituendæ, quæ cum nihil ſingulare contineant, hic a nobis commemorari minime debent. Præmittitur collectioni character *Lockii*, quem *Petrus Coſtius* A. 1704, quo d. 28 Octobr. ſt. v. mortuus fuerat *Lockius*, ad Autorem Novellarum Reip. Literariæ miſerat, inſertum iisdem menſe Februario A. 1705 p. 154 & ſeqq.

C. CORNELII TACITI OPERA, QVÆ EXſtant, integris B. Rhenani, F. Urſini, M. A. Mureti, J. Merceri, J. Lipſii, V. Acidalii, C. Pichenæ, J. Gruteri, H. Grotii, J. Freinſhemii, J. Fr. Gronovii & ſelectis aliorum Commentariis illuſtrata. Ex recenſione & cum notis JACOBI GRONOVII.

Tomi II.

Trajecti Bat. apud Jac. a Poolſum & Jo. Viſch, 1721, 4 max. Alphab. 8 plagul. 8.

QUod fatum fuit operæ Viri ſummi, *Jo. Frederici Gronovii*, quam ad emendandum & illuſtrandum C. Corn. Tacitum adhibuerat, ut poſt ejus demum e vita deceſſum a filiis *Jacobo* & *Laurentio Theodoro* publicis uſibus ederetur: id cura etiam intenſior *Jacobi Gronovii* nunc experiri debuit. Hujus enim filius *Abrahamus* eſt, cui præſentem animadverſionum & notarum Patris editionem res literaria debet. Quæ quantum hac opera adjuta ſit, non tam ſimul, quam per partes poſſumus oſtendere. Nam quæ ceteri docti viri huc contulerunt, ea nova non amplius, neque a nobis memoranda ſunt. Quo etiam referendas exiſtimamus, quas Cl. quidem Abrahamus Gronovius nunc primum huic editioni addidit, eruditas notas *Cl. Schultingii* ad libellum *de cauſis corruptæ eloquentiæ*, ut quæ jam ſæpe excuſæ, ſæpius laudatæ ſunt. At *Jacobo Gronovio* ut magis intenti ſimus, ipſa res poſtulat. Is ex MS. Florentino ſummæ ætatis & fidei contextum Annalium & Hiſtoriarum (nam ultra liber ille non procedit) priſtino nitori reſtituere magno ſtudio conatus eſt. Legerat ipſe & contulerat cum editione Pichenæ venerandum illum Codicem Florentiæ. Legerat etiam & contulerat Frater ejus. Scilicet a Patre doctiſſimo non minus quam ab aliis edocti erant, inde firma præſidia ſolummodo peti poſſe ad ſanitatem Cornelii. Quare non immerito Cl. Jacobus noſter ſuccenſet Beroaldo & Pichenæ, qui eundem librum verſaverant, quod juſtum pretium huic monumento non poſuerint, & alios potius ac conjecturas, quam hujus indicia audire voluerint; quo nomine & Ryckius ſæpe reprehenditur, cui excerptas ſuas Medicei Codicis lectiones uſui dederat. Ipſe vero tantum non ſuperſtitioſe illius ſcripturæ inhæret & egregias multas inde emendationes promit, quas neque in textum recipere pro re nata veritus eſt. Sic I Annal. c. VI & IV c. XXXVIII reſcribit *quandoque*, pro vulgato *quandocunque*. Eodem Libro I c. VIII reſtituit *legionariis aut cohortibus*, cum pater jam conjeciſſet *legionariis autem & cohortibus*; reliqui autem editores in vulgata

gata explicanda fruſtra ſudaſſent, quos ſibi Cl. Gronovius optat in Bibliotheca Medicea obvios fuiſſe, ut cupide & cum gaudio veram lectionem conſpexiſſent. Libr. II Ann. c. XIV *denſerent ictus* legendum cenſet, ut olim: & III c. LII *obtineret*, antiquo more, pro genuino habet, & pro ſpurio vulgatum *obtineretur*. Libr. IV c. LXII reſcribit *virile ac muliebre ſecus*, & id ſerio triumphat, quod ita ſimpliciter teſtimonium dare poſſit eruditioni Patris, qui cum hic, tum ad Livium hoc vocabuli defenderat. Libr. VI c. II *egit gratis*, pro *gratias*, quia *grates* in Codice Florentino non aliter ſcriptum invenerat. Libr. XIV c. IX *hæc conſenſu produntur*, loco vulgati *traduntur*, & c. XXXV *confectum verberibus* pro *confectum* dedit. Lib. XV c. XLIV ex verbis: *Autor nominis ejus Chriſtus*, qui *Tiberio imperitante*, *per procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat*, expellit provocabulum *qui*, jubente unico ſuo codice: & ſimul lætatur, quod in loco commemorabili & mire ſtabilienti veritatem in Chriſtianiſmo adoratam, prout ab Huetio in Propoſit. III vocatur, aliquam ſuam opem in eo abigendo, quod ab Tacito non venit, manifeſtare potuerit. Lib. II Hiſtor c. XLIV *civilibus bellis*, pro *prœliis*, & c. LXXXVIII *ſcævum* pro *ſævum* recepit. Lib. III c. LXXII *inter* tanta *Cæſarum opera* ex MS. Florentino defendit, utut Pichena teſtatus ſit ibi *tot* legi. Sed Noſter remittit ad Mabillonii rem diplomaticam, ubi ad amuſſim literæ hujus codicis omnesque ductus ære expreſſi ſunt ex principio Lib. XII Annal. ibi occurrit vox *certamine*, & eosdem ductus, quos illic in ſecunda ſyllaba cernere licet, prorſus etiam hoc loco exſtare adfirmat. Lib. IV c. XXVIII *Romanorum nomen Agrippinenſes vocarentur* contra eos, qui ad oris latini dulcedinem non penetrarunt, egregie defendit, adducto Auſonii Epiced. I *Nomen ego Auſonius.* Et hæc quidem ex ipſa ſcriptura libri Florentini Criticus noſter tentavit: quibus multa alia & inprimis nomina, quæ vocant, Propria addenda eſſent, aut mutata, aut correcta, ſi ire per ſingula vellemus. Haud raro tamen etiam ex veſtigio veteris ſcripturæ *Conjecturis* rem agere voluit. Lib. I Ann. c. XVII ex vulgato *apud vexillum retentos* facere conatur *apud vexillum tendentes*, quoniam

utrum-

utrumque patitur MS. c.XIX circumfertur: *pectori uſque adcreverat.* Unicum exemplar habet: *pectori ejusque*: hinc Noſter: *pectoribusque* vel *pectori & uſque adcreverat.* Lib. IV c.XXXIII *delecta ex his & conſtituta reip. forma* aliter concipit, mutato uno verbo, nempe *concinnata*, eo, quod in venerabili, uti dixit, codice legatur *conſciata.* Sed quid ni melius *conſociata?* Certe ad eam ſcripturam proxime accedit. Lib. XIV c. LXI *laudes* repetitum *venerantium*, ſcribit Noſter inter plurium conjecturas *repetitu.* Sed cur non ita interpretamur *repetitum?* Lib. I Hiſt. c. LXXIX puris conjecturis agere debuit, cum ibi pagina Codici laudatiſſimo deficeret; quare cum Muretus emendaſſet: *ibi ſævitia hiemis, & vi vulnerum abſumpti*, eam operam amplectitur præ Ryckiano invento. Lib. II c. XIX *Tum* vecordiſſimus *quisque* ſcribit pro *vetuſtiſſimus*; & III c. LXVI *deleret* pro *deceret.* Talem ſe præbuit Cl. noſter Jacobus Gronovius in libris Annalium & Hiſtoriarum, qui ad reliquos libellos *de moribus Germanorum*, *de vita Agricolæ*, *de Oratoribus* plane tacet. Quos tamen, ſi quid videmus, non tali ſilentio tranſiturus fuiſſet, niſi mors eum præpediviſſet. Nam voces illæ: *De his videbimus*, *ſed hæc meminero*, & quæ illis ſimiles paſſim leguntur, teſtantur de continuanda meditatione, quam nobis inviſam eſſe dolemus. Nondum tamen defuncti ſumus enumerando beneficia hujus Gronovii. Exiguum eſt, memorabile tamen, quod nec Orthographiam Codicis ſui negligere voluerit. Sic Tom. I p. 121 *Meſſala* pro *Meſſalla*; p. 134 *Commagena*; p. 145 *Delmatia*; p. 315 & alibi *Zmyrna*, *Zmyrnæos* pro *Smyrna*; p. 628 *tramittere*; p. 689 *Didonem Feniſſam* pro *Phœniſſam*; Tom. II p.36 *atteritus* pro *attritus*, alia aliter in iſto libro ſcripta eſſe teſtatum fecit. Poſtquam enim Cel. Noriſius demonſtravit, quantum boni publici referat, ut & apices omnes ex ejusmodi monumentis religioſe ederentur, nemo id Noſtro vitio vertet; quin potius optaturus ſit, ut in omnibus vocibus talis diligentia, qualem in quibusdam ſaltem obſervare licet, adhibita eſſet. Ita ſane haberemus, quod cum Virgilio & Pandectis, haud obſcuris in Orthographia autoribus, tuto & ſecure conjungere poſſemus. Inter hæc beneficia numerare etiam audemus,

demus, quod Gronovius ſcriptores bene multos breviter, pro more ſuo, advocaverit, qui aliud quaſi agentes Tacitum illuſtrarunt. Quorum, cum nullus additus ſit Indiculus, aliquot laudaſſe, prout ſe nobis obtulerunt, licebit. T. I p. 19 laudat *Noriſium*, p. 10 *Mureti* varias Lectiones, p. 33 & 54 *Ferrarii* Electa, p. 54 *Schelium* ad Higinum, p. 79 *Sigonium* de Judiciis, p. 165 *Meurſium*, p. 227 *Laur. Ramirezium*, p. 249 *Heinſium*, p. 257 *Perizonium* ad Sanctii Minervam, quem feſtivo nomine Cynthium appellat, p. 267 & 358 *Rupertum* ad Pomponii Enchiridion Juris, p 334 *Reineſium* in variis Lectionibus, item Epiſtolis, ut & *Rupertum* in Epiſtolis, p. 351 *Scriverium* ad Martialem, p. 354 *Reineſium* ad Inſcriptiones, p. 432 *Chimentellium* de honore Biſellii, p. 541 *Pricæum* ad Apulejum; Tom. II p. 55 *Lambecium* ad Biblioth. Cæſar. p. 65 *Sponium* in Itinerario, p. 89 *Voſſium* de Idololatria, p. 96 *Sirmondum* ad Sidonium, p. 216 *Jacobum de Wilde* in ſelectis Numiſm. antiqu. Hos omnes & plures hic invenies Tacitum augentes verborumque ejus notiones evolventes. Contra ſæpe omittit notas virorum doctorum in prioribus editionibus exſtantes, ſed numquam, niſi ubi vere notæ: ut Savilii Tom. II p. 124 de *ancilibus*, quæ apud omnes Romanarum antiquitatum collectores leguntur; & quædam alia. Nec ita pronus in laudes ſuperiorum fuit, ut vitia aliorum non perſpexiſſet. Minime. Tom. I p. 79 laudat valde *Altingium*, cui tamen errores etiam in minutiis condonare noluit: p. 70 invehit in *Noriſium*, quod Pichenæ neglectum veteris ſcripturæ exprobraverit, eundemque p. 200, 355 & alibi acerbe ſatis tractat. *Ryckii* inprimis vitiis invigilat, quem p. 71 taxat, quod Cluverium citaverit, qui ipſe ex Pithœi Epigrammatibus ſua ſumſiſſet. Eundem p. 76 pervicaciæ accuſat, quod ſpreverit Lipſium & Gronovium Patrem præ partibus Turnebi; p. 148 eum nimis liberum, præcipitem, inanem increpat, quibus ſimilia habes p. 289, 674, alibi; Tom. II p. 24 hunc furti accuſat, ut Tom. I p. 404, quod ex aliis docuerit; & T. II p. 63 ſevere eum reprehendit, quod *ruere intus* Latine dici negaverit, & p. 83, quod notam Pichenæ in editione patris caſu omiſſam, etiam omiſerit: quo illum convincere volu-

it, quod ipſam Pichenæ editionem hoc loco non inſpexiſſet. *Heinſium* in notis ad Vellejum Tom. I p. 362 & 364 parum abeſt, quin plagii inſimulet. *Fabrettum* p. 479 habet virum ſaxis tractandis vertendisque ſatis tritum, ſed antiquitatis & elegantiæ ex ſcriptis Codd. eruendæ ignarum. *Brockhuſio*, cui ſe dudum infeſtum profeſſus eſt, ita non pepercit, ut eum Tom. I p. 103 ſacrificulum poetæ, p. 111 una cum *Spanhemio* (cujus crimina p. 84, 85, 282, 403, 548, 305 & alibi legere potes) δοκίσοφον, Tom. II p. 36 anonymum alios libenter nominantem, ipſum certe non laudandum, p. 269 chartaceum machinatorem, & quidvis potius, quam quod non rideas, vocat. Neque *Capaccio* Tom. I p. 347, 521, 545, *Baudio*, p. 432, *Camdeno*, p. 458, *Borrichio* p. 473, *Gravio* p. 662 magis, quam Freinshemio, Pichenæ aliisque Taciti interpretibus delictorum gratiam facere voluit. Quod ſane in hoc Viro, ſi circumſpectius ſemper egiſſet, nemo reprehenderet, cum tot ingeniorum portenta ubivis terrarum inveniantur, quæ non niſi acerbo tali examine ab his ſacris arceri poſſunt, quæ abhinc centum annos miſere ſatis ab illis habita ſunt. Sed hæc hactenus. Ad V. Cl. *Abrahamum Gronovium* nos conferamus, & quæ is huic editioni contulerit, breviter perſpiciamus. De *Obſervationibus Schultingii* ab iſto additis jam dictum. Adjecit præterea ſelectas quasdam animadverſiones Viri eruditiſſimi *Joannis Jenſii*, ex quibus obſervavimus unam ad I Annal. c. XXXI p. 46, ubi contra inſcriptionem a Cluverio prolatam emendationem Lipſii firmat; alteram ad XII c. XLVII p. 473, ubi etiam atque etiam videndum eſſe ſuadet, anne ſcripſerit Tacitus: *injiciuntur catenæ ac compedes, & quod dedecorum*; multo plures hujus Eruditi Viri obſervationum haud facile hic reperias. Adjecit etiam varias lectiones, quas ex MS. codice Bibliothecæ Bodleianæ, dum Oxoniæ fuit, excerpſit: & ad libellum de moribus Germanorum pro ſymbola attulit variantes lectiones, quas ex MS. Arundelliano collegerat Iſaacus Voſſius. Adjecit denique ex memorato MS. Bodlejano Epiſtolam Pontii Pilati ad Tiberium de Jeſu Chriſto, quam hic legiſſe non abſurdum erit, etſi hic Pilatus ſuomet indicio, velut ſorex, ſeſe ſtatim prodat:

Pon-

Pontius Pilatus Judeæ Procurator Tiberio Cæſari Imperatori S. P.

De Jeſu Chriſto, quem tibi plane poſtremis meis declaraveram, nutu tandem populi acerbum me quaſi invito & ſubnitente ſupplicium ſumtum eſt: Virum hercle ita pium, ita ſeverum, nulla ante ætas habuit, nec habitura eſt: ſed mirus exiſtit ipſius populi conatus, omniumque Scribarum & Principum ac Seniorum conſenſus, ſuis Prophetis, more noſtro Sibyllis, contra monentibus, hunc veritatis legatum crucifigere, ſignis ſupra naturam apparentibus, dum penderet, & orbi univerſo Philoſophorum judicio lapſum minitantibus. Vigent illius diſcipuli opere, & vitæ continentia Magiſtrum non mentientes, immo in ejus nomine beneficentiſſimi: niſi ego ſeditionem populi prope æſtuantis exoriri pertimuiſſem, fortaſſe adhuc Vir ille nobis viveret: etſi tuæ magis dignitatis fide compulſus, quam voluntate mea adductus, pro viribus non reſtiterim ſanguinem juſtum, totius accuſationis immunem, verum hominum malignitate inique, in eorum tamen, ut Scripturæ interpretantur, exitium venundari & pati. Vale V Kal. April.

Hæc addidit Cl. Abrahamus Gronovius, ex quibus, uti ex illis, quæ in excerptis variis lectionibus paſſim adſperſit, colligere id licet, quod aliunde jam conſtat, eum non inane nomen in arte Critica futurum. Qui ut ne ſegnior Patre, nec infelicior Avo, Viris, quod nemo negat, doctiſſimis, exiſtat, optimus quisque & bono publico deditus nobiscum exoptabit.

ROBERTI DE AVESBURY HISTORIA DE mirabilibus geſtis Eduardi III. E Codicibus MSS. edidit TH. HEARNIUS, qui & Appendicem ſubnexuit.

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, 1720, 8.
Alph. 1 pl. $4\frac{1}{2}$.

CL. Editor, qui jam dudum magnam literatorum gratiam iniit producendis in lucem monumentis interitui proximis, exhibet hic orbi literario Roberti Avesburienſis Hiſtoriam

Eduardi III Angliæ Regis, cujus ne notitia quidem ulla ad pleroſque pervenit. Certe nec Lelandus, nec Baleus, nec Antonius a Wood fecerunt ejus mentionem. Obiter tamen ejus meminerunt Pitſeus, Bradius, Tyrrellus, & Nicolſonus, Hiſtorici Angli non obſcuri nominis. Hearnius igitur tres MSS. codices hujus Hiſtoriæ nactus non ſuſtinuit eam relinquere ineditam ſed ſtatim typis exſcribendam curavit, idque tam religioſe, ut nihil immutarit in ſcriptura monachali, ſed exhibuerit *tercius*, *nichil*, pro *tertius*, *nihil*, & quæ ſunt hujus generis. Eo melius autem ſe meriturum de hiſtoriæ ſtudioſis ſperavit, quod Robertum iſtum, quem Eduardi illius tempore vixiſſe, & Regiſtrarium Cantuarienſem fuiſſe docet, deprehendit eſſe hiſtoricum probatæ fidei, adeoque minime vilipendendum. Illud dolet, Hiſtoriam hanc in anno 1356 ſubſiſtere. quo tempore Robertum ſuſpicatur demortuum fuiſſe. Implet autem hæc hiſtoria paginas 255 & vel ob monumenta complura, quæ exhibet, inſpectione digna eſt, quanquam dictio fluit admodum lutulente, quod non hominis eſt, ſed ævi vitium. Sic p. 10 ſqq. afferuntur monumenta ad probandum, Scotiæ Regem eſſe vaſallum Regis Angliæ; p. 28-44 exſtat Eduardi III Epiſtola ad Papam, quo exponit jus ſuum in regnum Franciæ; p. 90 ſqq. Epiſtola Imperatoris Romani ad Regem Angliæ, qua ille componere annititur hujus cum Galliæ Rege controverſiam; p. 110 Epiſtola Regis Angliæ ad Papam contra reſervationes & collationes beneficiorum; p. 229 ſqq. Monumentum ſive Programma Eduardi de Balliolo Regis Scotiæ, quo is transtulit regnum Scotiæ in Regem Angliæ. Pari modo inſertæ hic leguntur plures epiſtolæ mutuæ Regum Galliæ & Angliæ, item aliæ, nec non tractatus pacis integri. Ceteræ quoque res geſtæ copioſe a Roberto enarrantur, quod vel inde Lector colligat, quod p. 252 ſqq. exhibentur nomina principum virorum, partim occiſorum, partim captorum A. 1356 d. 19 Sept. in eo prælio, quo Galliæ Rex Ioannes venit in poteſtatem Anglorum.

Ad Appendices a Cl. Hearnio annexas quod attinet, p. 256-266 ſub titulo *Minutiarum* producuntur varia exigui momenti, ſed antiquitatis pretio æſtimanda, e. g. verſiculi monachales.

Quod

Quod hic p. 262 ſq. exhibetur carmen rhythmicum lectu non injucundum in Papas ſacerdotibus conjugio interdicentes, id emendatius pariter ac plenius exſtat in Flaciano *Catalogo teſtium Veritatis* p. 335 ſq. editionis Francofurt. 1672. Hinc p. 297 ſq. producitur Catalogus librorum Saxonicorum confectus a Ioanne Ioſcelino; & p. 269-298 Catalogus Hiſtoricorum Anglicorum ab eodem Ioſcelino compoſitus. Fuit autem (ut in Præfatione docet Cl. Hearnius) Ioſcelinus ille Matthæi Parkeri, Archiepiſcopi Cantuarienſis, Antiquarius domeſticus: idemque verus eſt autor Operis ſub Parkeri nomine exſtantis *de vitis Archiepiſcoporum Cantuarienſium.* P. 299 ſqq. exhibentur vetera aliquot monumenta, hiſtoriam Academiæ Oxonienſis illuſtrantia. Denique p. 347-361 leguntur ex bibliotheca Vaticana deſcriptæ ſeptendecim epiſtolæ partim Gallicæ, partim Anglicæ, Regis Angliæ Henrici VIII ad Annam Boleniam. Poſt Indicem toti Operi adjectum comparet etiam Catalogus omnium librorum a Cl. Hearnio in hunc usque diem editorum.

HISTOIRE ECCLESIASTIQUE, &c.
hoc eſt,
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ TOMUS XX, Autore Abbate FLEURY, Regis Confeſſionario.

Bruxellis, apud Eug. Heur. Frixium, 1721, 12 maj.
Alph. 1 pl. $4\frac{1}{2}$.

POſtquam Illuſtris Fleurii Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Tomos XVI & XVII in *Suppl. T. VI p 389* recenſuimus, nunc vigeſimum ejus Tomum, nuper ad nos delatum, lectoribus exhibemus noſtris. Progreditur in eo ab A. 1339 usque ad A. 1414 pedem figens in initiis Concilii Conſtantienſis. Etiam hic res horum temporum geſtas concinno ordine & nervoſe copioſeque deſcribit: unde pauca decerpimus notatu digniora. *Pag. 10* refert, Papam inſtituiſſe Veronæ Academiam trium Facultatum, quas vocant, Juridicæ, Medicæ, & Philoſophicæ, addens, ſibi non videri neceſſariam fuiſſe autoritatem Papæ ad iſta ſtudiorum ge-

 nera.

nera. *P. 13* miratur, Papam Seculo XIV tam ſollicite procuraſſe expeditiones cruciatas in Aſiam & Africam, ac Miſſionarios ablegaſſe ad Indos atque Tartaros, cum tamen curæ ipſi non eſſet, ut Muhammedani in Aragonia viventes ad religionem Chriſtianam perducerentur. *P. 202* negat, Pontificem Romanum recte appellari Epiſcopum univerſalem. *P. 261* de Catharina Senenſi non æque magnifice judicat, ut ceteri Romanæ Eccleſiæ doctores, Cenſet enim, eam haud habuiſſe veras revelationes divinitus, ſed fuiſſe eas imaginationes a jejuniis ortas & vigiliis. Cumque *p. 300* commemorat, Catharinam illam excitare bellum ſtuduiſſe in Schiſmaticos, obſervat, id indigniſſimum eſſe ſancta muliere, *P. 447 ſqq.* docet, Bonifacium IX Papam impudentiſſime exercuiſſe Simoniam, multisque id exemplis teſtatum facit. Ceterum Autores, unde narrationes ſuas hauſit, ſingulis in paginis margo exhibet fideliter. Tomo huic præfixa eſt ſingularis Diſſertatio de familiis monachorum, quam accuratius

§. 1. perluſtrare non pigrabimur. Ultimam monachalis vitæ originem Autor ab ipſo Chriſto repetit, monachos putans nihil aliud agere, quam ut duo Chriſti conſilia exſequantur, perſiſtentes in cœlibatu & abdicantes omnia hujus vitæ bona, continentiam profeſſi atque paupertatem. Hujus vero vitæ inſtitutum primum, ait in Ægypto fuiſſe introductum a S. Antonio, S. Pachomio, aliis, qui ſeſe dederunt ſolitudini, jejuniis, labori, precibus. Quatuor hæc diſtinctius deſcribit, ſtatumque illum habet pro

2. perfectiſſimo. Venit hinc ad S. Benedictum, primum in Occidente monachorum patrem: cujus inſtitutum minus auſterum fuiſſe obſervat, quam monachorum Ægyptiorum: id quod fervori pietatis jamtum imminuto tribuit. Ceterum cum Monachi initio fuerint laici, obſervat; ſecuto tempore etiam Clericos vitam cœpiſſe vivere auſteriorem, dictosque hinc fuiſſe *Canonicos:* idque vitæ genus primum inſtituiſſe Euſebium Vercellenſem, quem imitatus ſit Auguſtinus, ac medio Seculo ſeptimo Chrodegangus, Epiſcopus Metenſis, Autor *Regulæ*, quam poſtea pro lege habuerunt omnes Canonici. Ita duo genera Monachorum prodiiſſe, Clericos alteros, alteros Laicos. Addit, cum multis nævis deformari cœpiſſet ordo Benedictinus,

nus, ejus reformationem in Gallia ſuſceptam fuiſſe initio Seculi noni. Docet hinc, vaſtatis Seculo IX & X per bella Monaſteriis pleriſque, A. 910 conditum fuiſſe Monaſterium Cluniacenſe, in eoque reſtitutum eſſe S. Benedicti inſtitutum. Habuiſſe Monaſterium illud initio Abbates doctiſſimos pariter & ſanctiſſimos: ſed brevi poſt per duo Secula miſerum ejus ſtatum fuiſſe usque ad Petrum Venerabilem. Hujus rei culpam confert in abundantiam opum, atque in τὴν πολυλογίαν precum, qua avocati fuerint monachi a laborando. Simul generatim docet, maxime noxias eſſe ſolere monachis amplas monaſteriorum divitias. Duobus Seculis poſt inſtitutum eſſe tradit Ordinem Ciſtercienſium, reſtituta regula S. Benedicti maxime a S. Bernhardo, quem *ſui Seculi miraculum* vocat. Paulo poſt introductam ait fuiſſe incommodam illam diſtinctionem inter monachos veros, & fratres laicos literarum rudes. Scilicet non probatur Autori hoc factum, cauſanti, hominem ſine ſubſidio literarum pervenire poſſe ad ſummum Chriſtianæ virtutis faſtigium. Addit, pleroſque Ægyptios monachos fuiſſe illiteratos, ipſum etiam S. Antonium. Oſtendit hinc malos illius diſtinctionis fructus, cum Monachi Clerici ſpernerent fratres laicos, eosque pro ſervis habentes, non ſolum ſibi viderentur domini, ſed etiam *domni* vocitarentur; contra fratres laici moleſti eſſent monachis clericis, viciſſim ſe extollere ſupra hos conantes. Inde docet, monachos cœpiſſe ſtudia literarum tractare, non ſolum Theologiæ, ſed etiam Juris ac Medicinæ: ex quibus poſterioribus cum quæſtum captarent, eorum profeſſionem ipſis interdictam fuiſſe in pluribus Conciliis. Ceterum cum A. 1215 Concilium Lateranenſe prohibuiſſet inſtitutionem novorum Ordinum, Autor animadvertit, neglecto iſtius Concilii decreto, permultos novos Ordines natos fuiſſe, & hinc ortas æmulationes & contentiones peſſimas. Cum autem ejusmodi æmulatio matrem habeat ambitionem, Autor ſuſpicatur, pleroſque novorum Ordinum conditores ſui nominis gloriæ velificatos eſſe. Ad S. Franciſcum delatus, novi Autorem Ordinis, obſervat, male eum interpretatum eſſe verba Chriſti, ſectatoresque ejus a morte ſui Patriarchæ indies factos eſſe corruptiores, etſi æque,

§. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

ac

ac Dominicani, non ſegnem operam navarint ſtudio Theolo-
§. 9. gico. Hac occaſione de paupertate Evangelica diſſerit, duce Clemente Alexandrino oſtendens, vulgo male capi dictum Chriſti de vendendis omnibus bonis: Chriſtum nihil aliud velle, quam nos non debere abuti divitiis ad explendas pravas cu-
10. piditates. De Franciſcanis hinc pergens, inter ejus Ordinis corruptelas ponit, quod ipſis demandata fuerit Inquiſitio hæreſium. Quippe paradoxum Autori videtur, quod monachi ſummam humilitatem profeſſi & paupertatem, facti ſint magiſtratus, in ſuaque poteſtate milites habuerint & theſauros, terrori-
11. que fuerint univerſis. Mentionem dein faciens ſchiſmatis inter Franciſcanos orti poſt tempora Bonaventuræ, mendicantes monachos in univerſum rejicit, eosque ait imitatores ea in re eſſe
12. Cynicorum veterum. Quid? totus hodiernus monaſticorum Ordinum ſtatus Autori diſplicet, cum monachi a ſcopo, quem vita monaſtica habere debeat, longiſſime recedant, & a mundo ſegregati videri cupientes per plures portas in mundum re-
13. deant. Addit, corruptelis monachorum multam occaſionem præbuiſſe Papas, dum monachos fecerint immunes a poteſtate Epiſcoporum & Magiſtratuum. Mendicantes igitur monachos, ut pro hoc privilegio gratos ſe Papæ præſtarent, in tantum evexiſſe autoritatem Papæ, ut docerent, Papam habere poteſtatem conſtituendi & abdicandi Reges, imo ſolum Papam eſſe orbis dominum ac Regem Regum, Epiſcopum Epiſcoporum. Oſtendit etiam, quantum luxum exercere cœperint ac faſtum Superiores Ordinum, Generales & Provinciales, quibusque artibus eniſi ſint ad illud monaſticæ dignitatis faſtigium. Imo notat, ambitionem adeo propriam eſſe factam monachorum, ut plerique intrarint Ordines monaſticos, non pietatis colendæ ergo, ſed ut hac via pervenirent ad præcipuas dignitates. Exempli loco Italos producit, qui e. g. Dominicani fiant, ac tum literis ſtrenuam dent operam, quo aliquando evadant Romæ Theologi vel Conſultores alicujus Congregationis, Inquiſitores, Epiſcopi, Nuntii, Cardinales. Cenſet igitur Autor, monaſteria facta eſſe receptacula hypocritarum, meliusque eſſe, extra monaſterium vivere, &, quod

omni-

omnium Chriſtianorum commune ſit officium, tendere ſerio ſtudio ad perfectionem Chriſtianam. Hinc oſtendit, corruptelas Ordinum ſacrorum ſecutam eſſe totius Eccleſiæ corruptionem, pleriſque ita ratiocinantibus: Si monachis talia ſunt licita, quanto magis mihi non monacho! Hanc eſſe putat cauſam, cur adeo corrupta ſit Theologia moralis, Theologis peccata ſtudioſiſſime extenuantibus, & fores aperientibus omni licentiæ. Obſervat hic, in provinciis illis, in quibus Inquiſitio viget, Caſuiſtas eſſe remiſſiſſimos, ab iisque valde extenuari peccata. Adhæc Autor inventa ſubinde nova genera exercitiorum 15.
ſpiritualium rejicit, quæ (inquit) exerceri poſſunt, ut tamen pectus maneat ardens odio proximi & amore mundi. Inter ejusmodi Sanctas meminit Brigittæ, Catharinæ Senenſis, Angelæ Foligniæ, & erratum fuiſſe cenſet, quod earum meditationes pro revelationibus, caſusque extraordinarii pro miraculis habiti fuerint. Hinc poſtremo ait exortam eſſe Theologiam myſticam, multis erroribus refertam & abuſibus, incidentibus his hominibus in enthuſiasmum, in ſummam ſuperbiam, imo & in libidinem. Tandem concludit Autor, ſtudium pietatis ſive ἄσκησιν vitæ Chriſtianæ omnino eſſe laudandam atque commendandam, ſed talem, quæ pro fundamento habeat S. Scripturam & exemplum Apoſtolorum, præceptaque Doctorum in primis Chriſtianæ Eccleſiæ Seculis florentium, quæque remota ſit a ſuperſtitione & ineptis minutiis.

VIRI CEL. JOANNIS BERNOULLI, Matheſeos Profeſſoris Baſileenſis ac Scient. Acad. Reg. quæ Pariſiis, Londini & Berolini ſunt, Socii, de Motu muſculorum, de efferveſcentia & fermentatione Diſſertationes Phyſico-Mechanicæ. Editio ſecunda priori emendatior. Accedunt PETRI ANTONII MICHELOTTI, Tridentini, Animadverſiones X ad ea, quæ Cl. Vir JACOBUS KEILL M. D. protulit in Tentamine V, quod eſt de motu Muſculari.

Venetiis, typis Pinellorum fratrum, 1721, 4 maj.
Plag. 19.

Vir Cel. *Joannes Bernoulli* jam dudum duas edidit Diſſertationes Phyſico-Mechanicas, alteram quidem de motu muſculorum, alteram vero de efferveſcentia & fermentatione. Quæ de motu muſculorum publicavit, ipſemet his Actis A. 1694 p. 200 & ſeqq. ſub titulo Meditationum Mathematicarum inſeruit, ut adeo de iis dicere ſupervacaneum haberi debeat. Diſſertationem de efferveſcentia & fermentatione, quæ Baſileæ A. 1690 in 4 primum lucem aſpexit, in Actis A. 1691 p. 74 & ſqq. jam recenſuimus. Argumentum de motu muſculorum etiam poſt *Bernoullium* tractavit *Jacobus Keill*, quemadmodum monuimus in Actis A. 1709 p. 404 & A. 1718 p. 467, ſed in nonnullis a *Bernoullio* diſſentit. Cl. itaque *Michelottus*, Medicus Venetus, Societatum Regiarum Britannicæ atque Boruſſicæ Sodalis, qui *Bernoullianas* diſſertationes recudi curavit, animadverſiones in Tentamen *Keillianum* de motu muſculorum ſubjunxit, in quibus ea potiſſimum ſub examen revocat, quæ a *Bernoullianis* diverſa tradidit *Keillius*. Animadverſio prima in ſtructura muſculorum examinenda verſatur. Monet equidem Cl. Autor, *Keillium* fere repetere, quæ de eadem jam pridem ſcripſerat *Bernoullius*; reprehendit tamen, quod fibrillas minores, ex quibus majores tanquam faſciculi componuntur, ex perexignis veſiculis conſtare affirmet, cum id Anatomicorum obſervationibus, quos inter potiſſimum *Cowperum* Anglum laudat, repugnet. Obſervavit enim Anatomicus egregius, qui data opera in muſculorum ſtructuram inquiſivit, fibrillas iſtas ſubtiliſſimis capillis tenuiores gracilium columellarum formam habere; ſubſtantiam vero interiorem compluribus anguſtis poris pertuſam eſſe, atque in eos ductus ex arteriis hiare ſuſpicari cœpit, cum Mercurium in magnam brachii arteriam injectum in fibrillarum noſtrarum anguſtiſſimas cavitates influxiſſe vidit. *Animadv. 2.* diſquirit Autor de cauſa actionis muſculorum. *Keillius* veſiculas, ex quibus fibrillæ conſtant, inflari ſtatuit cum a ſpiritibus animalibus, tum a ſanguine arterioſo. Equidem & ipſe in eo eidem aſſentitur, quod ad motum muſculorum præter ſpiritus animales

etiam

etiam requiratur ſanguis arterioſus, quemadmodum pervulgato *Stenonis* experimento probari vulgo ſuevit: cum tamen *Aſtrucius*, Medicus Montepeſſulanus non in celebris, contendat, ſolos ſpiritus animales muſculis movendis ſufficere, nec ipſo *Stenoniano* experimento neceſſitatem ſanguinis arterioſi probari, contrarium contra eundem ſtabilire nititur. *Animadv. 3* de modo diſſerit, quo ſpiritus animales & ſanguis arterioſus muſculorum fibrillas inflant. Negat *Keillius*, inflationem ſola quantitate fieri poſſe, cum alias unicum fluidum ſuffeciſſet: aſt regerit Noſter, ſola quantitate inflationem a duobus fluidis facilius fieri poſſe quam ab uno, atque idem oſtenſurus explicat, quomodo inflatio fieri per eorum commiſtionem poſſit, etſi pro certo aſſeverare non audeat, non alio quam iſto modo id a natura fieri. *Animadv. 4* impugnat vim attractivam ſpirituum animalium, quam *Keillius* effervescentiæ eorumdem cum Spiritibus animalibus a *Borello* atque *Bernoullio* aſſertæ ſubſtituit, ipſe autem in Diſſertatione de ſeparatione fluidorum tanquam commentitiam explodit, recte a *Leibnitio* inter chimæras relatam judicans. *Animadv. 5* improbat, quod *Keillius* rationem redditurus, cur fibræ ad certam quandam curvaturam inflatione redactæ in priſtinam rectitudinem quam citiſſime ſeſe reſtituant, in phænomeno adeo perdifficili a *Bernoullio* diſcedat, præſertim cum modum determinandi vim fluidi elaſtici pro fibrarum inflatione & pro pondere dato attollendo neceſſarii ab ipſo mutuatus fuerit. Obſervat etiam, a *Keillio* non explicari, quomodo ſanguinis particulæ a ſpiritibus animalibus ex mente ipſius attractæ & cum ipſis unitæ a vinculo ſuo liberentur, atque aerem expanſum denuo comprimentes metiant, cum per ipſius principia talia, quæ ſumit, fieri haud quaquam poſſint. *Animadv. 6* examinat, quæ de veſicarum, ſufflatu hominum inflatarum, vi ad certæ gravitatis corpora attollenda habet. Monſtrat, *Keillium* falli, dum aſſerit, minorem vim pectoris adhibendam eſſe ad veſicam minorem inflandam, quam ad majorem, ut utraque ſimilem figuram nanciſcatur, cum potius major requiratur ad id præſtandum. Monet etiam, quæ hic a *Bernoullio* mutuatus fuerit & carpit eundem, quod

nonnulla omiſerit, quæ in excerpendis iis, quæ Medicis rerum Mathematicarum cupidis arridere poſſunt, ceteroquin ſollicitus præ ceteris excerpere debebat. *Animadv.* 7 oſtendit methodum computandi rationem, quæ eſt inter vim fibras muſculorum inflantem & pondera elevanda, cum ea, quam *Bernoullius* ab ultima fere adoleſcentia (ipſa Autoris verba recitamus) publicavit, adeo convenire, ut non tam ova ovorum aut apes apium ſimiles reperiamus: id quod forſan mirabuntur, qui legerint in præfatione ad ſua Tentamina ſcribentem *Keillium*, eruditum virum *Joannem Bernoulli* rationem, qua vis elaſtica determinari poſſit, excogitaſſe, ſe vero eum (quem ipſe ſcilicet aſſert) demonſtrandi modum a fratre ſuo *Joanne*, controverſiæ de inventore calculi differentialis autore, accepiſſe. *Animadv.* 8 monet, *Keillium* proportione arcus ad radium, quam ei, quæ inter 44 & 7 intercedit, æqualem eſſe poſuit *Jo. Bernoulli*, ſubſtituiſſe paulo minorem ut 72000 ad 11459, ſumentem nimirum radium $57 \frac{295}{1000}$ gr. æquare, ut ſcilicet calculus pro invenienda reſiſtentia fibrarum tendendarum a *Bernoulliano* diſcreparet. *Animadv.* 9 docet, rationem, qua fibræ carneæ tenſionem determinat, illam ipſam eſſe, quam *Bernoullius* multis ante annis excogitavit. Atque adeo rectius ipſum facturum fuiſſe judicat, ſi propoſitionem, cujus in ſua diſſertatione mentionem facit *Bernoullius*, & cujus demonſtrationem apud Mechanicæ Scriptores fruſtra quæſiveris, demonſtraſſet, majorem a viris in Mechanicis vel exercitatiſſimis laudem conſecuturus, præſertim cum non multo labore confici poſſit ope illorum, quæ idem *Bernoullius* in Tentamine de manuaria nautica pro invenienda directione media vel axe æquilibrii plurium potentiarum attulit. Idem notat Noſter de methodo vim abſolutam fluidi elaſtici fibras muſculorum inflantis determinandi. *Animadv.* 10 tandem in eo eſt, ut evincat, illa quoque, quæ ex determinata vi elaſtica abſoluta auræ ſubtilioris fibras muſculorum ſeſe explicando inflantis deducit *Keillius*, in totum *Jo. Bernoullio* adſcribi debere. Concludit tandem, præcipua quæ in ſuo ceteroquin excellenti Tentamine de muſculorum motu habet *Keillius*, ex *Jo. Bernoullii* diſſertatione de motu muſculo-

rum

rum deſcripta eſſe: id quod etiam a nobis notatum eſt in Actis A. 1709 p. 404, cum primam Tentaminum *Keillianorum* editionem recenſeremus. Monet autem, ſe his ſuis animadverſionibus nihil detractum velle famæ doctiſſimi Autoris, ſed ideo eas Diſſertationi Bernoullianæ ſubjunxiſſe, ut appareat, vera eſſe quæ de eius præſtantia in præfatione protulit, utque judicent periti, jurene an injuria dixerit *Keillius*, ſe modum demonſtrandi a Fratre accepiſſe: id quod graviter utique tulerit *Bernoullius*: Colophonis loco Cl. Editor docet, quænam ex inventis Bernoullianis utiliter deducere ac in uſum tyronum ulterius explicare potuiſſet, ne nudum alienorum repetitorem egiſſet.

FRIDERICI HOFFMANNI DISSERTAtionum Phyſico-Medicarum Decas II.

Lugduni Batav. apud Theodor. Haak 1719, 8.
Alph. 1 pl. 10.

QUartum hoc eſt volumen diſſertationum Hoffmannianarum, quod ex hac officina prodiit: & quoniam de prioribus in Actis A. 1708 M. Maj. p. 223, A. 1709 M. Febr. p. 75 & A. 1714 M. Maj. p. 207 diximus, par erit ut de hoc quoque non nihil referamus. Complectitur autem ſequentes diſſertationes: de ratione, univerſæ Medicinæ præſide; de præmatura morte & morbis præcavendis; de ſeptem ſanitatis legibus; de magno V. S. ad vitam ſanam & longam remedio; de aqua, medicina univerſali; de acidularum & thermarum ratione ingredientium & virium convenientia; de medicamentis inſecuris & infidis; de medicamentis ſelectioribus; de medicamentis balſamicis, de præſtantia remediorum domeſticorum. Has ſingulas diverſis temporibus a ſe editas Celeberrimus earum Autor, rogatus a bibliopola, recognovit, hacque forma excudendas permiſit. Ut vero lectori guſtum præbeamus utiliſſimarum rerum, quas Vir illuſtri ſua eruditione dudum notiſſimus in iis propoſuit, aliqua hinc inde decerpta exhibebimus.

Qui in Medicina profitentur ſola ſe niti experientia, fundamento lubrico & non ſatis firmo nituntur. Ad experientiam æque provocant V. Snis patroni, atque illi, qui eam maxime re- Diff. I.

 ſormi-

formidant ac contemnunt, & quod maximum eſt, in ipſis illis morbis, ubi unicum in hoc remedio præſidium aliqui ponunt, alii illud abſolute rejiciunt. Ita res etiam comparata eſt cum evacuantibus, alexipharmacis, ſalibus volatilibus aromaticis, ſpiritibus acidis mineralibus, & ſuccis vegetabilium acidis, opiatis, martialibus, cortice chinæ, mercurialibus, veſicatoriis, thermarum, acidularum & lactis uſu, quæ omnia diverſiſſimis encomiis a Practicis experientia ſua ſubnixis commendantur vel reprobantur. Et dubitandum eſt, an unquam ad firmam ſolidamque experientiam Medicina perduci poſſit, ob corporum, morborum, climatum magnam diverſitatem, vitæ brevitatem, &c. Nihil igitur Medico ſupereſt, ad vincendas tot difficultates, præter rationem? At vero hic etiam novæ emergunt difficultates, quum quilibet Medicus ſuas hypotheſes applicet ad Medicinam, & infinitus ſit circa principia phyſica æque ac medica diſſenſus, neque in morborum origine ac cauſis explicandis, neque in remediorum viribus & agendi modo deſignando omnes conveniant. Ex his difficultatibus nemo emerget, niſi qui intellectum ſuum compluribus veritatibus ex ſenſu, experientia & obſervatione petitis imbuat, hasque deinde bene connectere & in ordinem redigere diſcat. Ita facile axiomata inveniet & incognita beneficio cognitorum, obſcura ex claris evolvet atque explicabit. Ante omnia præcipitantiam in judicio ferendo de quovis obſervato effectu fugiat, certusque ſit effectum cujusvis medicinæ adhibitæ non a ſolo remedio dato pendere, ſed plures ſimul cauſas, ex conditione utentis eruendas concurrere. Recto igitur rationis in medicina uſu ſolo medicina plus crevit quam per experientiam.

Diſſ. 2. Dolendum eſt, tam multos Medici opem non implorare prius, quam gravi morbo ſæpeque plane deſperato decumbant: quum major medicæ artis poteſtas ſit in morbis avertendis quam debellandis. Neque tamen Medicus in omnibus ſubjectis æque facile morbos præoccupare & vitam conſervare valet, quoniam nativa corporum conſtitutio multum differt. Alii a parentibus ſuis firmum ac robuſtum corpus nacti ſunt: alii debile & imbecillum. Notæ ergo, quibus durabile ac vivax corpus a minus firmo dignoſcas, exhibentur. Debet vero Medicus hæc conſiderare,

quando

quando cuivis individuo conveniens vivendi regimen præſcribere cupit. Hanc differentiam Celſus & Hippocrates bene cognoverunt. Ante omnia adſumendorum proportio eſſe debet, ut & liquida ſolidis recte reſpondeant, & hæc ſimul excretorum rationi ac multitudini bene conveniant. Deinde proſpiciendum eſt, ut fluida in perpetuo ac libero per minima vaſcula progreſſu maneant, quia excretionum rectus ſucceſſus ab hac maxime cauſa pendet. Hoc fine laudanda ſunt infuſa calida, acidularum & thermarum uſus, quippe hoc modo non ſolum humores diluuntur & temperantur, verum etiam libera circulatio cum excretionibus conſervatur. Cavendum autem eſt ab omni ſubita mutatione, nec poſt frigus aut calorem immodicum corpus ſtatim contrariis committi, nec nimia repletio poſt famem magnamque debilitationem fieri, nec a conſuetis ſimul ac ſemel recedi debet. Quum morbi ſint motuum vitalium turbationes & alterationes, facile illos præcavebit, qui motus ordinatos conſervare noverit & ſtuduerit. Id vero qua ratione in febribus malignis, & quibusvis contagioſis ac axanthematicis, intermittentibus, hecticis ac lentis, in affectibus catarrhalibus, inflammationibus, hæmorrhagiis, malo hypochondriaco, affectu hyſterico, diarrhœa, dyſenteria, calculo, epilepſia, cordis palpitatione, apoplexia, phthiſi, aſthmate, cachexia, menſium ſuppreſſione, & infantum morbis fieri poſſit, copioſe differitur.

Leges, quæ in tertia Diſſertatione præſcribuntur, ſunt ſequentes: Omne nimium, quia naturæ inimicum eſt, fuge. Ne ſubito mutes aſſueta, quia conſuetudo eſt altera natura. Animo hilari ac tranquillo eſto. Aerem purum & temperatum vehementer ama, quia ad corporis & animi vigorem multum confert. Quam maxime ſelige alimenta corpori noſtro congrua, & quæ facilius ſolvuntur & corpus tranſeunt. Menſuram ſemper quærito inter alimenta & inter motum ac robur corporis. Fuge medicos & medicamenta, ſi vis eſſe ſalvus. Diſſ. 3.

Jam a longo tempore Medicorum ſcholæ inter ſe diſſident, quando de V. Sne quæritur: aliis ab hoc remedii genere penitus abhorrentibus, dum alii fere nimium tribuunt. Sanguinem dum liberum ac æquabilem motum habet, vitæ theſaurum eſſe, negari Diſſ. 4.

omni-

omnino nequit: ſed eundem motui ineptum aut plane ſubſiſtentem multa inferre mala extra dubium poni debet. Examinantur rationes, quæ adverſus V. S. proponi ſolent, ac refutantur tum rationibus, tum etiam experientia: poſt hæc vero illius fructus multis commonſtratur, plethoræque incommoda proponuntur, quam ſane abſtinentia, inedia, motuque laborioſiori vincere ac minuere licet: modo plerisque ſatis perſuaderi poſſit, quam neceſſarium ſit ſerio ſibi vim facere & in hoc ſtudio conſtantiam quoque probare. Oſtenſa hujus remedii neceſſitate, porro indicatur, a quibus morbis maxime præſervet, nimirum ab apoplexia, polyporum generatione, acutis etiam affectibus inflammatoriis, abortu, hæmoptyſi, arthritide, nephritide, cachexia, hydrope, phthiſi.

Diſſ. 5. In medicina laudantur quidem ſpecifica: ſed revera medicamenta omnia non tam ſecundum activitatem ſuam, quam ſecundum receptivitatem utentium operantur: quo conſiderato apparet, quid de magnificis quorundam pollicitationibus exſpectari poſſit vel debeat. Aqua vero eſt remedium in ſe tutiſſimum, omnibusque intentionibus medici curatoriis æque ac præſervatoriis accommodatum, quod omni tempore adhibere licet. Differunt autem aquæ, nec ſingulæ ſunt æque bonæ: quarum examen ut inſtitui poſſit, diſſeritur, multaque de aquarum & fluviorum vi & fontium differentia adducuntur notatu digna. His prælibatis deinceps docetur & ex corporis noſtri natura demonſtratur, quodnam & quam multiplex ab aquæ uſu bonum exſpectandum ſit. Poteſt autem uſus aquæ puræ curatorius inſtitui ad graves morbos expugnandos, ut cachexiam, melancholiam, menſes retentos, capitis imbecillitatem, lippitudines, herpetem, rubedinem faciei, guttam roſaceam omnesque cutis pruriginoſos cum rubedine vel exulceratione affectus, arthritidem, podagram, capitis dolorem, comitialem morbum. Quanta elogia theæ tribuuntur? & tamen plus efficaciæ ab aqua calida, quam ab illa herbula provenit. Poſſumus tamen in quibusdam affectibus cum fructu adhibere calidam, infuſione ſuper herbas convenienter viribus earum imbutam.

Diſſ. 6. Fontium virtutes a montium vicinorum conditione ſunt repetendæ.

repetendæ. His vero aquæ imbuuntur. Et martiale quidem principium fere omnibus ineſt aquis, teſte ochra illa, quam quieſcentes deponunt. Idem principium confirmat purpureus ab injecto gallarum pulvere color. Porro conveniunt thermæ & acidulæ ſale, quod habent, alcalinæ naturæ. Mirum autem, ſed veriſſimum, acidulas ſal alcalinum etiam fovere: nam cum alcalino non confligunt, ſed cum acido, & ſyrupum violarum reddunt viridem. Deinceps etiam conveniunt palmario illi ingredienti, a quo præcipuæ vires pendent, ſubtili, volatili & minerali principio, quod ſe prodit bullarum frequentium in aquis recenter hauſtis adſcenſione, & quod facile avolat, humore effœto & in corruptionem prono remanente. Hoc principium ſpiritus nomine Cel. Autori venit, cujus ſingulas proprietates latius examinat. Ejus ratio quam maxime haberi a potantibus debet, ne effugiat atque exhalet, effœtæque aquæ tum magis nocere quam prodeſſe poſſint.

Diſſ. 7 prima Sectio de inſecuris remediis agit. Non protinus hoc nomine inſigniendum eſt, a quo noxium obſervamus effectum, nec inſecurum idem, quod potentes habet ad agendum vires: ſed quæ vel venenum intra ſe recondunt, vel veneni indolem in corpore noſtro poſſunt induere, id eſt, quæ ob principium corpori valde inimicum mediocri doſi celerrime œconomiam motuum vitalium aut turbant aut deſtruunt. Talia ſunt cathartica fortiora, emetica, præſertim ſtibiata, narcotica. Hinc inter inſecura remedia referuntur ex regno minerali aurum fulminans, cryſtalli Lunæ, vitriolica ex Venere parata, Saturnina, Mercurius vivus & dulcis, Arſenicum, ex regulina Antimonii ſubſtantia parata remedia, Magiſterium Biſmuthi & ſpiritus acidi mineralium. Ex animali regno inſecura res eſt cantharidum uſus internus: idemque valet de millepedibus, araneis, bufonibus. Ex vegetabilibus radix authoræ, quam pro alexipharmaco multi commendant, ut & nux vomica. Altera Sectio de infidis remediis agit, id eſt, quæ malæ fidei ſunt, & medentis intentionem fallunt ac deſtituunt, dum palliative curant vel mitigant morbum, cauſa ejus relicta. In horum claſſem primo referuntur loco adſtringentia, aluminoſa, martialia, Diſſ. 7.

 chin-

chinchina, de quorum recto & periculoſo uſu diſſeritur. Secundo fortiora alexipharmaca: tertio diuretica ponuntur & conſiderantur. Tum de lactis uſu dicitur. Ab interne datis ad externa repellentia & conſtringentia tranſitur, eorumque noxæ indicantur.

Reliquarum argumenta ſuperius indicavimus: ſed quo minus æque recenſeamus, brevitatis neceſſario ſtudio impedimur. Satis ex jam dictis apparebit, quam varia doctrinæ medicæ copia hic exſpectanda ſit, operæque pretium facturum eſſe, qui integras ſtudioſe evolverit.

RELATIO DE SCRIPTIS ET LIBRIS SUPERIORI ANNO DE PESTE EDITIS.

EX quo peſtis ſuperiori anno Maſſiliæ graſſari cœpit, quæ etiamnum in aliis Galliæ provinciis non in cineribus ſolum gliſcit, ſed & hinc inde in apertas flammas erupit, magnamque ibidem mortalium fecit ſtragem, ſuum eſſe putarunt Medici, vel in genere in peſtis naturam inquirere, vel luis Maſſilienſis Hiſtoriam nectere, haud parum hac ſua induſtria ad mali præſervationem æque ac curationem & extirpationem collaturos ſe rati. Operæ pretium hinc facturos nos credimus, ſi ſcripta hæc & libros breviter nunc recenſeamus, unumque & alterum cum L. B. communicemus. Sit igitur

I. Einiger Marſilianiſchen Medicorum Sendſchreiben von der Peſt in Marſilien &c.

i. e.

MEDICORUM QUORUNDAM MASSILIENſium Epiſtolæ de Peſte Maſſilienſi, Gallica lingua ſcriptæ & in Germanicam traductæ a JOHANNE KANOLD, Med. D. Academico Nat. Curioſ. & Pract. Uratislav. additis Meditationibus de vera origine Peſtis ex & in Oriente.

Lipſiæ, apud Philippum Stock, 1711, 4.

Plag. 13.

Merito

MErito huic libro primum nuncupamus locum, quod præ reliquis verum ortum Peſtis Maſſilienſis ejusque hiſtoriam delineat. Quanquam autem in Parte ejus I quinque legantur Epiſtolæ, utroque, & Gallico & Germanico, idiomate exhibitæ, ſuperiori anno Maſſiliæ exaratæ, omnesque luis diritatem, urbisque deplorandum ſtatum delineent, placet tamen nunc ex prima tantum, quam Dominus Raymundus, Doctor Medicinæ Maſſilienſis, ad Profeſſorem quendam Montepeſſulanum dedit, quædam communicare. Poſtquam menſe Junio anni ſuperioris merces laneæ ſericeæque diverſis in Syria locis, ubi peſtis tum temporis enormiter graſſabatur, coemtæ Maſſiliæ ex navi mercatoria exemtæ fuerunt, nautæ, bajuli, & qui faſciculos earum diſſolverant, mox nauſea, vomitu, cephalalgia gravi correpti, bubonibusque & carbunculis, vel parotidibus affecti moriebantur. Diſtractis hiſce mercibus malum pluribus fuit communicatum incolis, indies magis magisque ſerpens. Requiſitis igitur quibusdam Doctoribus Montepeſſulanis, ut in ſtatum cauſamque morbi in demortuis inquirerent, judicium eorum, nihil ſcilicet peſtilentiæ cum lue hac conjunctum eſſe, in viis publicis publicatum fuit. Quo tamen actu contra bonam fidem egiſſe magiſtratum, contrariam ſententiam Medicis his affingendo, propriumque commodum publicæ ſaluti præferendo, judicat Clar. Raymundus: ſupradicta igitur ſymptomata cum lipothymia, laſſitudine, ſiti, horrorem & æſtum in plerisque excipiebant; fuerunt tamen, qui vel lethargici vel phrenetici mox mortui ſunt, vel ob hæmorrhagiam narium purpuream efflarunt animam. Quibusdam fauces pituita craſſa & tenui obſeſſæ, aliis lingua arida & nigra fuit conſpecta. Prognoſin quod concernit, mors primo, ſecundo, tertio vel quarto die ingruebat; infantes & mulieres citius quam viri moriebantur, atque gravidæ abortus periculo & morti erant expoſitæ. Carbunculi, bubones & parotides difficulter ſuppurabantur, quo frequentiores vero comparebant, eo longius vitæ terminus prorogabatur, vel ſpes convaleſcentiæ affulgebat. Diarrhœa, lethargus, & vomitus cruentus ſemper funeſta erant ſigna, nec meliora ſperare poterant illi, qui nullum vomitum nullamque

in glandulis intumeſcentiam patiebantur. Cum autem hacte-nus nullum euporiſtum remedium contra tam validum hoſtem reperiri potuerit, urgentibus tantum ſymptomatibus obviam ire, unice ſtudebant Medici. Vomitoria a nauſea, lipothymia, & linguæ viſciditate præſervabant, venæſectio cephalalgiam & ſitim mitigabat, purgantia utplurimum noxia, cordialia vero, anthelmintica, imprimis contra faucium ariditatem & ſitim, & alexipharmaca cum ſudoriferis abſente ſiti ac æſtu contra oris linguæque ſiccitatem fuerunt obſervata proficua. Bubones & parotides ad ſuppurationem deductæ cauterio potentiali aperiendæ erant. Eſchara vero anthracum tardius nec ſine externis auxiliis decidebat.

Sed ad alteram Partem progredimur, in qua meditationes ſuas de ortu Peſtis communicat Clar. Kanoldus, qui ſedem & patriam hujus luis in Oriente quærit. Quod ut probet, ante omnia in genere ſupponit, contagium peſtilentiale peculiarem, patriæ ſuæ propriam, atque efficacem debere habere cauſam; in ſpecie vero, illud conſiſtere in materia quadam valde ſubtili, activiſſima, fermentativo-putredinoſa, difficillime cicuranda, in & ex corporibus humanis ſpecialiter appropriatis primordialiter progenita, adeoque eadem ſpecifice affectante. Ex quo ſequi putat, ad primam ejus productionem requiri 1) motorem & motum valde activum, intimo diſſolutorium ſeu putrefacientem, 2) materiam actuandam appropriatam, in ſummo gradu putreſcibilem aut putrefaciendam, 3) ſubjectum recipiens convenientiſſimum, id eſt, tam ab iſto motore ſeu motu ad recipiendum æqualiter & efficaciter materiam illam diſpoſitum, tum ad ſubeundum congenerem effectum putredinoſum per ſe aptiſſimum. Concludit hinc, Ægyptum & adjacentes regiones aptiſſimas eſſe ad excludendum & fovendum venenum peſtilentiale ob requiſita dicta, quæ abunde poſſidet. Æſtus enim ſolaris, qui maxime principalis motor ad putredinem ab omnibus ſtatuitur, ibi locorum non ſolum enormis eſt, ſed & materiam ibidem ad putredinem diſpoſitam tam in aquis quam corporibus incolarum invenit. Siquidem in Ægypto, facta Nili inundatione, aqua ejus in cryptis colligitur & aſſervatur, quæ,

cum

cum alias ſit craſſa & paludoſa, decreſcente fluvio, ſub aucto Solis ardore corrumpitur, virorem, nigredinem, & fœtorem abominandum ſuſcipit, qua nihilominus incolæ pro parandis cibis & fallenda ſiti utuntur. Ad hæc Ægyptii in cryptis & locis ſubterraneis, in quibus Nili aqua fuit collecta, degunt, partim ut radios ſolares evitent, partim ut aquæ exhalationibus recreentur, imo variis mediis humectantibus & refrigerantibus corpora ſua plethorica reddere norunt. Accedit denique prava eorum & ad putredinem concipiendam prona diæta, dum præter aquæ putridæ uſum vetuſta carne bubula & camelina, ſemiputridis piſcibus, caſeo rancido, aliisque veſcuntur. Quemadmodum igitur ex his cauſis peſtem dictis in locis oriri poſſe, palam eſt, ita ex ipſo facto & experientia idem contigiſſe, probat Clariſſimus Autor, nec tamen negat, poſſe hoc malum ex aliis locis, ut ex Græcia, Syria, & Barbaria in Ægyptum transportari. Denique peſtis eſſentiam breviter delineat, dicens, quemadmodum alii morbi certam ſecretionem & excretionem pro ſcopo ſuo habent, vel habere debent, ita venenum peregrinum in corpus ab extra delatum (in noſtris certe regionibus) ſimili opus habere excretione, quam etiam natura exequi intendit, & quidem duplici modo: vel ſubito absque manifeſta typica motuum vitalium intenſione, per vomitum & protruſionem bubonum atque anthracum, vel per methodicum aut typicum apparatum motuum ſecretoriorum, per febrem, cui pro diſpoſitione & indole ægri, interdum etiam pro efficacia læſionis actu fientis, aliæ ſe aſſociant commotiones.

Poſtquam igitur dubitandi locus nullus eſt, ſemina peſtifera cum mercibus per navigia in Galliam fuiſſe translata, non immerito præter Regiones, quas terra continens eidem jungit, Inſulæ, & qui Oceanis quibusvis adſiti ſunt in Europa portus, ſummam adhibere cautelam, ne eidem fato exponantur, neceſſe habent. Non culpandi igitur ſunt Angli, quod penes eos magiſtratus non ſolum politicus ſollicitus ſit, omni, quo potuit, modo Inſulæ proſpicere, ne commune hoc malum intra ſua pomœria importetur, ſed & Medici conſilia ſua atque monita congeſſerint, quæ tam ſalutari ſcopo proficua eſſe queant. Ad hos igitur nos convertimus.

II. A

II. A SHORT DISCOURSE, CONCERNING peſtilential Contagion, &c.

i. e.

DISCURSUS BREVIS DE CONTAGIO PEſtilentiali & methodo illud præcavendi, Autore RICHARDO MEAD, Med. D. & Collegii Medici ac Societatis Regiæ Socio.

Londini, apud Sam. Buckley & Raphael. Schmith, 1720, 8. Plag. $7\frac{1}{2}$.

AUtor Clariſſimus, in his Actis a nobis Tractatum ejus de Venenis Anno 1704 Menſe Martio p. 131, & de Imperio Solis & Lunæ in Supplementorum Tomo IV Sect. V p. 230 recenſentibus collaudatus, in duas Partes diſtribuit hoc ſcriptum, in quarum priori de cauſis propagandæ peſtis, in poſteriori de methodo eam præcavendi diſſerit. Ante omnia ſupponit, peſtem in Anglia non eſſe inquilinam, nec ſua ſponte exſurgere, ſed aliis ex regionibus illuc transferri, quod variis variorum annorum peſtium, imo illius peſtis ſpeciei, quæ Sudor Anglicus vocatur, exemplis probat. Cauſas, quibus communicatur hoc malum, partim in aere, partim in hominibus ægrotis, partim in mercibus infectis quærit. Aerem accuſat nimis calidum ac humidum, ad putrefactionem aptum, quæ diſpoſitio magis a ſtagnantium aquarum fœtidis effluviis, putridis ex terra factis exhalationibus, maxime vero a cadaverum non ſepultorum miaſmatibus tetris augetur. Putrefactio vero talis pro ſpecie fermentationis venditatur, ſub qua ſpiritus volatiles activi exhalantes vi ſua corpora in motus inteſtinos deducendi alia fluida agitant, & ut genium ſuum naturalem mutent, cogunt. Quemadmodum autem talis aeris conſtitutio peſtem per ſe inferre non poteſt, niſi combinata gerat miaſmata peſtilentialia, ab ægrotis vel mercibus infectis communicata, ita ſupponit, febribus malignis vel peſtilentialibus detentos ſub declinatione morbi per ſalivam & ſudorem, qui humores copioſe & conſtanter ex glandulis oris & cutis ſecernendi veneno-

ſas

ſas exhalationes evomunt, venenum communicare proxime adſtantibus, ſalutari etiam exiſtente aeris ſtatu, huncque ipſum contaminare, ſi jam dum ad recipiendum miaſma fuerit aptus, ſicque undique diffundi, & ad diſtantiora loca diſſeminari ſemina peſtis. Inſici igitur putat homines ſanos per aerem, qui partim inter inſpirandum in pulmonibus ſanguini admiſcetur, partim ſalivæ ſuam tincturam communicat, quæ deglutita primis luis hujus phænomenis, nauſeæ puta, & vomitui, anſam præbeat. Per merces dum peſtis transportatur, materia contagii, quæ eſt ſubſtantia activa, forſan ſalina, ex corporis humani corruptione potiſſimum enata, in poroſis ac mollibus corporibus facile recipitur ibiq; hoſpitatur, inque his compactis & compreſſis quam diutiſſime conſervatur. Quemadmodum enim odoramenta per longa tempora ſuam retinent vim, ſi probe fuerint in vaſis concluſa, hæcque non ſolum ex ſuccis animalium potiſſimum conſtant, qualia ſunt Moſchus, Zibethum, &c. ſed etiam facillime res ex animalibus deſumptas inficiunt, ut pelles, pennas, ſericum, crines & lanam, ita eodem modo ſe gerit contagii materia. Merces igitur, eadem impraegnatæ & ad exteras regiones delatæ, ſi relaxentur, aerique liberiori exponantur, conceptum ſeminium peſtilentiale ex ſuis dimittunt vinculis, ac ſanis communicant hominibus. Ut præcaveatur, ne peſtis ab aliis locis in Angliam portetur, ſtatio hactenus quadragenaria navibus e ſuſpectis locis advenientibus impoſita fuit. Quam quemadmodum Clariſſimus Autor non improbat, ita ſequenti modo dirigendam eſſe monet. In ſingulis portubus noſocomia extruantur pro recipiendis tam hominibus, quam mercibus. Quodſi igitur morbus quidam contagioſus in nave regnet, ſani homines exutis prioribus veſtibus atque concrematis, ſe lavent, radantur, novisque induti veſtimentis in noſocomio ad triginta vel quadraginta dies moram agant, ne, liberi licet a contagio, ſemina peſtilentialia in veſtibus circumferant. Ægroti ab his ſeparati poſtquam curati fuerunt, poſt veſtium mutationem, lotionem, & raſionem ad ſanorum deferantur noſocomia, per totidem dies ibidem commoraturi. Si nullus plane morbus in nave graſſari deprehendatur, ſufficiet, ſi homines, veſtibus aeri

ri liberiori expoſitis in noſocomio per unicam ſeptimanam cuſtodiantur. Majus vero negotium faceſſunt, majusque minantur periculum merces, quas recipiendo contagio aptas pronuntiavimus. Pro his recipiendis receptacula a noſocomiis, hominibus deſtinatis, ſint remota, relaxentur in his merces compactæ, ac aeri exponantur per quadraginta dies. Imo ſi navis eo tempore loco infecto abierit, quo peſtis maximam edidit ſtragem, neceſſitas urget, ut & navis adveniens, & merces, in portu concrementur. Cavendum etiam, ne, ſi lues hyberno tempore aliquo in loco conſopita quaſi jacuerit, merces apportatæ juſto citius relaxentur & diſtrahantur; latens enim venenum per auctum dein Solis æſtum reſuſcitatur, novasque acquirit vires. Ne autem merces clandeſtine in oppidum importentur, Magiſtratus politicus ſeveris cavebit animadverſionibus. Si morbus peſtilens urbi cuidam fuerit communicatus, ſi unquam, certe tum temporis principiis obſtandum erit. Eum in finem domus, in qua lues hoſpitari obſervata fuit, occludebatur, hominesque ægroti una cum ſanis ab aliorum conſortio arcebantur. Hoc vero medio tantum abeſſe putat Autor Clariſſimus, ut ignis in cinere ſuffocetur, ut potius anſam accipiat in apertam erumpendi flammam. Metus enim incolarum, ne ſub tam ſeveram cadant cuſtodiam, eos adigit, ut celent potius, quam revelent primordia peſtis, imo ſpiritus dejiciendo & ſupprimendo corpora ad promptius admittendum contagium diſponit; & dum plures in eadem domo lue corripiuntur, ex putreſcentibus corporibus exhalantia effluvia aerem, hinc vicinas ædes inficit, ſicque propagatur malum. Præſtat potius, ut præmia decernantur illi, qui primus peſtis indicia Magiſtratui manifeſtaverit; ut non imperitæ vetulæ, ſed viri gnari & ſolertes eligantur, qui advertant, qua morte quis deceſſerit, an cum maculis lividis, bubonibus, carbunculis, aut parotidibus, atque cognito a Medicis morbi genere, ad Magiſtratum deferant. Hinc omnes familiæ, penes quas peſte mortui fuerunt deprehenſi, ad ædes, tria vel quatuor milliaria ab urbe diſtantes, relegentur, ſani ab ægrotis ſeparentur, illique citius proprios lares non petant, quam poſtquam mutaverunt veſtes, loti atque raſi fuerint;

hi

hi vero omni cura tractentur, curentur, & ſanati, ut poſt certum temporis intervallum ſuas repetant ædes, jubeantur. Remotis hac ratione hominibus ex domo infecta, omnis, quæ in ea invenitur ſupellex, imo ſi fieri poteſt, domus ipſa concremetur. Interim etiam pauperibus præfecti curam agant, ne hi coacervatim, aut in hypocauſtis ſordidis, fumoſis, fœtidis, cohabiteant, quin potius easdem ſeparent, ac de melioris conditionis domiciliis eis proſpiciant. Studendum etiam, ut plateæ mundæ, ab omnibus quisquiliis & cadaveribus purgatæ ſerventur, nec ſterquilinia propius ab urbe tolerentur; mendici, nulliusque pretii homunculi removeantur; reliqui, qui in noſocomiis vel ergaſtulis non ſunt recipiendi, in aliis domiciliis cum invalidis alantur. Quæ cautelæ ſi, quem prætendit effectum Autor, præſtent, ſuperſedere nos poſſe putat aeris medicatione, domuum purificatione, aliisque remediis, quibus quisque ab invaſione luis ſibi præcavere debeat. Interim tamen non probat, pro aere mundificando luculentos accendi ignes, tormentaque exonerari, quoniam metus eſt, ne, quemadmodum calor æſtivus malum auget, frigus hybernum refrænat, per ignis calorem venenoſæ aporrhœæ magis magisque difflentur ac diſſeminentur. Arabes certe, quibus peſtis natura non ignota fuit, aere non fumoſo delectabantur, ſed domicilia ſeligebant ventis pervia, frigidis herbis, ut roſis, violis, foliis & floribus nymphææ hypocauſta conſpergebant, ac aqua & aceto eluebant; ſecus ac moderni faciunt, qui calida potius ſuffimigia commendant ex benzoe, thure, aſa fœtida, ſtorace facta, a quibus tamen nulla expectanda eſt efficacia. Felicior præ his expectandus eſt effectus a ſulphure accenſo, cujus acidum omnem fermentationem reprimit. Quemadmodum autem ſpurcities contagii fomes eſt non infimus, ita in munditie optima peſtis præſervatio eſt quærenda. Ut porro ſinguli homines a contagii labe præſervarentur, optandum omnino eſſet, ut humores corporis in tali conſervari poſſent ſtatu, quo omni ejus impetui reſiſtere poſſent. Id vero quoniam difficulter obtineri valet, ſufficit, ſi corpus per bonam diætam ſanum conſervemus, per evacuationes non debilitemus, ſpiritus per affectus animi

immoderatos, jejunia, vigilias, labores nimios non profiernamus, ſanguinem ab inflammationis periculo per moderatum uſum fructuum acidorum & aceti vini ſuper radicem gentianæ, galangæ, zedoariæ, baccas juniperi &c. infuſo defendamus. Quoniam autem nec hac ratione ſemper immunes ab invaſione peſtis nos præſtare poſſumus, conſultum eſt, in tempore exire ex urbe; ſin hoc conceſſum minus fuerit, caveamus, ne appropinquemus ad cadavera mortuorum, vel ægros, vel illos etiam, qui haud ita pridem a lue fuerunt curati. Magiſtratus interim omnibus interdicet conventiculis, a morbis curatos obligabit, ut ne juſto citius foras exeant, ac cadavera noctu efferri, in loco ab incolarum ædibus remoto ſepeliri, & profunde ſatis humari curabit. Qui vero curam habent ægrotorum, cavebunt, ne ſalivam ſuam deglutiant, aeremque per os, dum propius iisdem adſtant, admittant. Supereſt cautela, ne peſtis ex una urbe in aliam migret; quæ in eo conſiſtit, ut vallo circumdetur urbs infecta, ad certam a mœnibus diſtantiam militibus inſtructo, qui arceant egreſſuros ſine venia ex urbe & prohibeant, ne merces, quæ miaſmata venenoſa facile capiunt atque retinent, in eam importentur.

III. A PRACTICAL TREATISE OF THE Plague.

i. e.

TRACTATUS PRACTICUS DE PESTE;
Autore JOSEPHO BROWNE L.L.M.D.

Londini, apud J. Wilcox, 1720, 8.

Plag. 5.

COlligit in hoc tractatu Autor Clariſſimus, quicquid ante eum Mayerne, Buttlerus, Bateus, Burrellus, Fabritius, Johnſtonius, Rudgelerius, Rhedus, Tulpius, Gliſſonius, Harvey, Goddardus, Scarburgus & alii tam quoad naturam quam curationem & præſervationem peſtis ſtatuerunt; ſigna vero tam imminentis quam præſentis Peſtis diagnoſtica æque ac prognoſtica

ſtica ex Ludovici Gardinii & Eberhardi Gokelii Scriptis communicat. Dedicavit quidem eundem Doctori Mead, tantum tamen abeſt, ut eandem ſemper cum hoc foveat ſententiam, ut potius eum frequentius caſtiget. Pauca nunc ex eo recenſebimus. Peſtem definit per ſubtile ac contagioſum venenum, vel in corpore progenitum, vel ab extra communicatum, naturæ malignæ, robur vitale & ſpiritus animales ſubito aggrediens, ac extremum terrorem & timorem mortis hominibus communicans. Tribus a D. Mead allegatis peſtis cauſis quartam & quintam addit, pravam ſcilicet diætam, & alios, qui præceſſerunt, morbos. Prava diæta homines in peſtem & alios morbos incurrere poſſe, exemplo probat Hiſpanorum, Italorum, Gallorum, Germanorum, Polonorum & Sileſiorum, qui ardentibus & malignis febribus ſubjecti obſervantur, ex nulla alia cauſa, quam quod cibis acribus & calidis, ut cepis, alliis, &c. delectentur; cui accedit aeris, in quo vivunt, temperies inæqualis, qua relaxato muſculorum & fibrarum tono, ſuppreſſaque inſenſibili tranſpiratione corpora neceſſario morbis epidemiis exponuntur. Ex aliis morbis alios ortum ducere, in propatulo eſſe putat, ſiquidem hæmorrhagia narium diſponit partes ad vertiginem, vel apoplexiam, ſudor colliquativus tonum partium relaxando digeſtionem impedit & hecticam promovet, ductus bilarii obſtructiones generant flavum nigrumque icterum, & cachexia in febribus acutis malignitatem, malignitas in putridis peſtem producit. Non impoſſibile igitur eſſe exiſtimat, hominem ab aliorum conſortio remotum, ſub aura maxime ſalutari, peſte corripi poſſe iisdem ſtipata ſymptomatibus, quibus alii laborant, qui per contactum luem contraxerunt. Ad vim peſtis refrænandam luculentos ignes hinc inde non ſolum in plateis publicis, ſed in quibusvis etiam domuum partibus caminis inſtructis accendi vult, illos potiſſimum, qui lithantracum beneficio excitantur, partim ut atomi peſtilentiales in aere collectæ diſſipentur, partim ut earundem prava qualitas ſuccini & terræ bituminoſæ, quibus illæ turgent, exhalationibus corrigatur. Præter alia, a Doctore Mead jam commendata, ut literæ ex locis infectis transmiſſæ fumigationibus purificentur, jubet,

 nec

nec alia ſuffimigia ex thure, ſtorace, &c. diſſuadet, ſiquidem aromaticorum horum partes igne magis ſubtiliſatæ malignas aeris qualitates corrigere aptæ ſunt. Mittimus methodos tam curandi ſymptomata peſtilentialia, quam a lue præſervandi, quas ex ſupra allegatis ſcriptoribus collegit Autor.

IV. THE PLAGUE AT MARSEILLES CONSIDER'D. i. e.

CONSIDERATIO PESTIS MASSILIENſis; Autore RICHARDO BRADLEY, *Societatis Regiæ Socio.*

Londini, apud W. Mears, 1721, 8.
Plag. 4 ½.

SCopus Autoris in hoc tractatu eo collimat, ut allegatis variis obſervationibus probet, omnem morbum peſtilentialem, ſive animalia, ſive vegetabilia adoriatur, ortum ſuum certis inſectis venenoſis, de loco in locum aeris adminiculo delatis, debere, homines varia ſorditie, parcaque diæta diſponi, ut inſecta hæc ſtomachum eorum ingrediantur, reliquos vero, qui ſubtiliori victu utentes, tono partium robuſto præditi, aromaticisque contra quemvis ſeminiorum malignorum inſultum ſe præmunientes, contagio reſiſtere; utque ſimul oſtendat, quam neceſſarium ſit, liberiori frui aere, infectumque corrigere. Suppeditata igitur Maſſiliæ & geographica & hiſtorica deſcriptione obſervat, eandem jam fuiſſe Maſſiliæ, quæ olim erat Londini ante ultimam peſtem, quæque an. 1665 multos abſumpſit incolas, ratione victus crudi, ſorditiei, & populi in eadem domo coacervatim degentis, conditionem. Ex Catalogo vero mortuorum, qui Annis 1592, 1603, 1625, 1630 & 1636, quibus hæc lues ſæviit, deceſſerunt, obſervat, Menſes Julium, Auguſtum, Septembrem & Octobrem maximam mortalium feciſſe ſtragem, ejusque rei cauſam fuiſſe, partim fructuum horariorum, verno tempore rubigine tactorum, vel ob anni inclementiam debitam maturitatem non nactorum, eſum, partim minutiſſimorum inſectorum copiam, quæ hoc anni tempore potiſſimum in aere fluctuant. Pro confeſſo enim habet, cuicumque inſectorum ſpeciei proprium competere nidum, quo delectetur, & in quem ovula deponat;

nat; nec quasvis arbores, nec omnes earum partes iisdem infeſtari vermiculis, ſed ſingulas propriis; ſic & hominibus omnia noxia non eſſe, quæ aliis animalibus infeſta ſunt. Quodſi igitur homines per malam e. g. diætam corpus ſuum aptum reddiderunt, ut pro commodo inſervire poſſit nido venenoſis vermiculis in aere volitantibus, quid mirum, quod hæc inſecta cum aere inter inſpirandum attracta ſalivæ ſuæ permiſceant, ad ventriculum deducant, mortemque ſic in ſinu foveant, imo, quod, cum vermiculi in grato hoc domicilio ova parere non deſiſtant, hæc una cum halitu foras emittant, & vel propius adſtantibus hominibus, vel aeri ipſi communicent, ſicque luem propagent. Atque ſimilis cauſa animata ante aliquot, imo plures retro annos genus bubulum morti dedit, quando ſcilicet ſicca & arida exiſtente æſtatis tempeſtate hoc paludoſas, ſtagnantes, verminoſas biberat aquas. Exiſtimat igitur Autor, in Tartaria patriam exiſtere horum inſectorum, quæ generi humano ſunt infeſta, ex qua favente Euro ad omnes Europæ partes, Aſiam minorem, Palæſtinam, Barbariam locaque meridionali Oceano Mediterraneo adſita deportentur, nullis interjacentibus obſtaculis, quæ ea hoc in itinere arcere queant, cum montes altiores, Oceani admodum lati, vel venti contrarii obſint, quo minus in Indiam, Chinam, Africam & Americam deferantur. Confirmant hanc ſententiam non ſolum varia in peſte defunctorum Maſſilienſium corporibus inventa, ſed & remedia, quæ alio tempore peſti reſiſtere fuerunt obſervata. Multi peti fumo per fiſtulam hauſto a luis invaſione ſe præſervarunt, vel quod fumus hic vermiculos in aere latitantes deſtruxerit, vel quod ventriculum irritando per vomitum iterum ejecerit, quicquid de eis fuit deglutitum. Obſervatum eſt, loca aromatum promptuariis vicina a lue intacta manſiſſe; quod non mirandum, ſiquidem oleoſæ eorum particulæ vermibus adverſantur, magisque hic effectus ſperandus venit, ſi herbæ aromaticæ ac alia oleoſa vel reſinoſa concrementur. Cum enim inſecta ſubtili egeant pro ſuſtentanda vita atmosphæra, illico necantur, & ſuffocantur, quando iſta oleoſis ejusmodi particulis fumoſisque effluviis fuit craſſefacta. Idque tum potiſſimum factu neceſſarium eſt, quando feneſtræ januæque pro admittendo ad conclavia, magna plebis caterva conſita,
 liberio-

liberiori aere aperiuntur. Qui vero foras exire atque atmoſphæram mutare opus habent, a contagio ad tempus præſervare ſe poſſunt, ſi ſtomachum aromaticis herbis, e. g. conſerva rutæ, allio pani illito, inferciunt.

V. *LOIMOLOGIA, SEU RELATIO HISTORICA Peſtis Londinenſis Anni 1665; Autore NATHANAELE HODGES, M. D. & Collegii Medici Collega. Accedit Tentamen de diverſis cauſis peſtis & contagii natura, Autore JOHANNE QUINCY, M. D.*

Londini, apud E. Bell & J. Osborn, 1720, 8.
Plag. 20.

QUanto elogio celebranda ſit Hodgeſii Loimologia, neminem latet, cum ante quinquaginta annos jam edita in omnium fere verſetur manibus. Haud igitur opus eſt, multa de ea nunc dicere. Quod vero D. Quincy Tentamen attinet, diverſas hic allegat cauſas peſtis, ab Autoribus hinc inde commemoratas. Sunt enim, qui immediatam vim ſupernaturalem, iramque Dei, pro origine ejus adducunt, cum alii in cauſas naturales inquirant, quæ diverſiſſimæ annotantur. Quidam enim accuſant influentias ſiderum, malignasque corporum cœleſtium conjunctiones & irradiationes; quæ tamen in nos, niſi tempeſtates anni immutando, aerique diverſas conſtitutiones impertiendo, non operantur. Deſcribuntur etiam peſtes a vaporibus & exhalationibus corporum putrefactorum, aquarum ſtagnantium, effluviis cryptarum puteorumque apertorum malignis, aliæ a prava aeris conſtitutione ratione qualitatum primarum, aliæ denique a contagio ortæ. Hujus igitur rei naturam explicaturus Autor Clariſſimus, dicit, febrem, ex errore quodam circa res non-naturales commiſſo excitatam, ſi ad ſummum malignitatis gradum pervenerit, usque adeo alterare humores, ut quædam eorum particulæ venenoſæ evadant, aptæque, quæ ſimilem motum fermentatorium excitent in homine, cui fuere communicatæ, etiamſi hic ejusmodi errorem non commiſerit. Cujus vero naturæ particulæ hæ venenatæ ſint, melius cognoſci haud poteſt, quam ſi ad modum, quo producuntur illæ, attendamus. Supponit itaque Autor, quodvis corpus animatum ſal aliquod in majori minorive

norive quantitate generare, ſeu rectius, pro diverſo virtutis digeſtricis robore particulas ſalinas ex alimentis acceptas plus minus ſubtiliſare, cum quibus in ſtatu naturali ſulphur quoddam ſeu oleum admodum ſubtile combinetur pro functionibus in œconomia animali commode præſtandis, perque hanc modificationem principium vitalitatis exſurgere. Quotiescunque igitur in febribus humores ſummopere agitantur, & coagulantur, unio talis aliquatenus diſſolvitur, humidis & oleoſis particulis exhalantibus, rigidis vero ſalinisque in corpore relictis, quæ tantum abeſt, ut lubricent, & humectent fibras elaſticas, quas transcurrunt, ut ſua acrimonia, ſuisque ſpiculis easdem potius ſtimulent, contrahant, indurent, motuque privent. Particulæ autem hæ acres per motum volatiliſatæ, ſub inſenſibili tranſpiratione exhalantes, hominibusque communicatæ, cum ſibi ſimilibus particulis conjunguntur, ac eandem in novis hiſce ſubjectis ludunt tragœdiam, imo aeri admiſcentur, ſicque vera conſtituunt miaſmata contagioſa, quæ comitantur, propagant & continuant peſtem; etiam ſi cauſa primaria dudum expiraverit. Sic bubones & carbunculi nihil aliud ſunt, quam particularum collectiones ſeu coaleſcentiæ, ſub ejusmodi motu irregulari formatæ, a circulationis legibus exemtæ, &, quoniam ad laudabilem frugem converti nequeunt, ad habitum depoſitæ, quarum materia, quoniam de eadem participiat ſubtili & fermentante natura, easdem movet turbas in humoribus aliorum hominum, quibus fuit communicata. Ex hac hypotheſi fluit etiam præſervationis & curationis ratio. Antidota enim, quo pluribus aromaticis, volatilibus particulis conſtant, eo plus ſpiritibus animalibus naturalis ſubminiſtrant pabuli, corpusque totum ſubtili inficiunt oleo, quale encomium ſal volatile oleoſum bene præparatum meretur. Fœtida ſi quid præſtant, id in eo conſiſtit, quod aliquid corpori ſuppeditent, quo ſpiritus in debita ſua mixtura conſerventur, atque ſeparatio illa fatalis humidarum a ſalinis particulis impediatur, hinc pauperibus oleum Terebinthinæ non parum conducet. Ad diſſipandum deſtruendumque vapores peſtilentiales non damnat Autor luculentos ignes, jubet interim, ut paretur ex rebus nitroſis, e. g. lithantracibus, & accendantur in locis a domibus, quas incolæ inhabitant, paulo remotis.

motis. Admittit etiam ſuffimigia, e. g. ex aromatibus & reſinis, ſtorace, benzoe, thure, pice, &c. paranda, utpote quæ ſpicula venenoſa in aere fluctuantia non ſolum inviſcant, ſed & ſpiritibus animalibus per os & poros mixta a contagio præſervant. Ut aer ſtagnans in motum deducatur, non opus quidem eſſe judicat, ut tormenta exonerentur, ſufficere ratus, ſi pulveris pyrii una aut aliquot drachmæ ſupra laminam ferream a ſuppoſito igne in auram dejiciantur. Frequentiorem denique camphoræ uſum tam pro ſcopo præſervatorio quam curatorio commendat.

VI. A COLLECTION OF VERY VALUABE AND ſcarce Pieces &c. i. e.

COLLECTIO VARIORUM EDICTORUM, memorabilium & rariorum, &c. occaſione peſtis ultimæ Londinenſis, Anno 1665, publicatorum.

Londini, apud J. Roberts, 1721, 8. Plag. 6½.

In hac Collectione ſequentia continentur: 1) Edicta a Senatu Londinenſi publicata anno 1665 pro præſervando contagio. 2) Litteræ D. Hodgeſii ad Perſonam Illuſtrem de primo ortu, progreſſu, ſymptomatibus & cura peſtis. 3) Norma præcavendæ & curandæ peſtis, anno 1665 a Collegio Medicorum ſuppeditata, una cum quibusdam remediis, quæ vel facili negotio paucisque ſumptibus paranda, vel magno in pretio tum temporis habita fuerunt. 4) Meditationes ſuper Catalogos mortuorum, qui ab anno 1592 ad 1665, iis annis, quibus peſtis graſſata eſt Londini, peſte vel aliis morbis deceſſerunt. 5) Relatio de peſte Neapolitana anni 1656, qua uno die viginti millia hominum mortua ſunt, una cum phænomenis in diſſectis corporibus conſpectis, & methodo medendi. Miſſis reliquis monemus tantummodo, in peſte Neapolitana dicta juſſu magiſtratus a Marco Aurelio Severino, & Felice Martorella, Anatomicis tum temporis celeberrimis, adſtantibus aliis non infimæ notæ Medicis, ſecta duo cadavera, viri unum, alterum mulieris, in iisque viſcera omnia, cor puta, pulmones, hepar, ſtomachum, ac inteſtina nigris maculis conſperſa, folliculum fellis bile nigra, viſcida & craſſa, interiori cyſtidis membranæ firmiter affixa, repletum, & vaſa ſanguinea circa cor grumoſo & nigro ſanguine repleta conſpecta fuiſſe.

Proſtat jam pridem Sectio XII ſeu ultima [illegible] Supplem.

N. X.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Octobris Anno MDCCXXI.

PETRI POIRETI POSTHUMA.

Amſtelodami, ex officina Wetſteniana, 1721, 4.

Alph. 5 plag. 8.

POireti, magnæ ſed ancipitis famæ viri, cum ſæpius in his *Actis* meminerimus, nec Poſthuma ejus monumenta prætermittemus intacta, ſed paucis recenſebimus. Primo quidem loco hic nobis occurrit ſatis ampla Editoris *Præfatio generalis*, in qua is de ſcriptis hoc volumine contentis ſigillatim diſſerit, contenditque, injuſte Poireto a nonnullis objici rejectionem Rationis, Enthuſiaſmum, Naturaliſmum, errores in doctrina de origine animæ humanæ, de juſtificatione, de peccato originali, de fide, de ſatisfactione, breviterque diluere conatur objectiones antagoniſtarum. Hinc ſequitur *Vita Poireti*, cujus exhibemus compendium. Scilicet natus eſt Metis A. 1646 d. 15 Aprilis patre polione, quo A. 1652 orbatus eſt. Cum adoleſceret, in diſciplinam traditus eſt ſculptori, a quo graphicen ſive artem delineandi in tantum edoctus eſt, ut longo tempore poſt feliciter exprimeret imaginem *Burignoniæ* dudum mortuæ. Poſtea tamen ſtudiis literarum dicatus eſt, in quibus mirabiliter profecit. In Academia Baſileenſi, in quam delatus eſt A. 1664, præter linguarum, Latinæ, Græcæ & Hebraicæ ſtudium haud ſegnem operam impendit Philoſophiæ ac Theologiæ, in Philoſophia quidem ducem ſequens Carteſium. A. 1668 Heidelbergam venit, ubi ſua eum pietas & eruditio adeo commendavit viris præcipuis, ut poteſtatem acciperet in eccleſiis Palatinatus concionandi, manum ipſi ſolenniter imponente Celeb. *Fabricio*. A. 1670 uxorem duxit, quæ ἄτεκνος viginti ante maritum annis mortua eum heredem ſcripſit bonorum ſuorum

omnium. A. 1672 Annævillæ, quod oppidum eſt Ducatus Bipontini, conſtitutus eſt Antiſtes ſive Miniſter Eccleſiæ: quo temporis tractu legens *Tauleri*, *Kempiſii*, aliorumque Myſticorum ſcripta majori pietatis ſtudio incenſus eſt. Eodem intervallo correptus periculoſiſſimo morbo agnoſcere cœpit ſuos nævos, certasque leges, quæ hic loci exhibentur, ſibimet ipſe præſcripſit, quas poſthac ſequeretur, ne excideret olim hereditate illa æterna veros ſincerosque Chriſtianos manenti. Incidit inter hæc in libros *Burignoniæ*: quibus lectis non ſolum ardentius flagrare cœpit ſtudio Deo vivendi mundoque valedicendi, ſed etiam cupiditate eam ipſam virginem videndi & alloquendi. A. 1676 ob ingraveſcentes belli calamitates, Annævillanis, ægerrime ipſum dimittentibus, publica in concione vale dixit ultimum, & in Bataviam abiit, unde non ita multo poſt Hamburgum profectus Burignoniam ſexaginta jam annos egreſſam ibi ex voto convenit, breviquepoſt illius virginis Opera Amſtelodami curavit excudenda, exſtincta interim Franequeræ Burignonia A. 1680 d. 20 Octobris. Ex eo tempore circiter octennium Amſtelodami vixit Poiretus, ſtudio ſapientiæ ac pietatis totus deditus. A. 1688 Rhenoburgum, qui pagus non procul Lugduno in Batavis jacet, conceſſit, ibique triginta conſumſit annos & quod excurrit. Hac in ſolitudine intentus fuit menti ſuæ ad voluntatem Numinis exactiſſime componendæ, quasque ſibi cognoviſſe viſus eſt veritates ſalubres, editis ſcriptis communicavit cum lectoribus. Hinc tot orta volumina. A. 1676 edidit verſionem Gallicam *Theologiæ Germanicæ*; A. 1677 *Cogitationes rationales de Deo, anima & malo*, quæ auctiores prodierunt A. 1685 & tertium A. 1715; A. 1679 & ſubſequentibus annis *Antoniæ Burignoniæ Opera*, in XIX Tomos diviſa; A. 1683 Gallice edidit *Kempiſium communem*, hoc eſt, verſionem librorum *de imitatione Chriſti*, mutato tamen in melius libro quarto. A. 1687 Gallico ſermone edidit ſeptem voluminibus *Oeconomiam divinam*, cujus Latina verſio, ab alio (nempe ab *Hoblſeldio* quodam, ut in his *Actis* A. 1711 p. 184 indicavimus,) facta, ſed ab ipſo Poireto diligenter recognita, prodiit A. 1705. A. 1687 Gallice edidit *Irenicum univerſale*, cujus etiam Germanica verſio

ſio itemque Latina exſtat. A. 1690 *Theologiam cordis*, & A. 1691 *Theologiam amoris* Gallice edidit. A. 1692 edidit libros tres *de eruditione ſolida, ſuperficaria & falſa*, qui multo auctiores lucem iterum viderunt A. 1707. A. 1694 edidit librum *de Chriſtiana liberorum educatione*; A. 1696 *Thelogiam crucis*; A. 1700 *Theologiam realem*, annexis ſcriptis de Theologia myſtica; A. 1708 *Bibliothecam Myſticorum ſelectam*; A. 1715 *Vera & cognita omnium prima, ſive de natura idearum adverſus Pungelerum*. Omittimus tot Myſticorum Opera, Poireti juſſu vel primum edita vel denuo recuſa. Superſunt, ut Autor hujus vitæ teſtatur, multæ Poireti Epiſtolæ, quarum adhibito ſelectu edendarum nonnulla ſpes nobis relinquitur. Ad mores ejus quod attinet, idem teſtis eſt, fuiſſe in Poireto ſummum & veritatis & pacis concordiæque amorem, humanitatem item ac ſimplicitatem admiratione dignam; denique eum A. 1719 febri ardenti continua correptum d. 21 Maji placide ac piiſſime deceſſiſſe.

Venimus ad ipſos *Poireti* fœtus poſthumos. Hic primo exhibetur *Epiſtola* ejus lectu digniſſima ad Socinianum quempiam *de vera Deitate & æterna generatione Jeſu Chriſti*: qua oſtendit, clariſſimis S. Scripturæ de iſta re teſtimoniis acquieſcere debere Rationem hominis Chriſtiani, &, quæ in hac doctrina occurrere videantur contradictiones, eas tantummodo eſſe apparentes. Simul refellit fabulam de ortu Trinitatis Chriſtianæ ex Philoſophia Platonica, recoctam nuper a *Souverainio* in libro, cui titulus *Le Platoniſme devoilé*, id addens de iſto libro judicium, quod ejus autor ſe præbeat irriſorem perpetuum, & ſophiſtam vitilitigatorem, totusque in eo ſit, ut torqueat S. Scripturam, ut exagitet Patres Eccleſiæ, ſuumque argumentum, venerandum ſane ac tremendum, ſine ullo pietatis & modeſtiæ indicio tractet ſtylo impotenti & plane ſatyrico, idque a libri initio ad finem usque. p. 1 - 84. §. 24.

Sequitur *Defenſio methodi inveniendi verum* contra Illuſtrem Thomaſium, ubi ſimul capitaliora vitia libri *de libertate cogitandi*, principiorum *Lockii*, & Enthuſiaſmi fanatici oſtendi dicuntur. Hinc libris quatuor exhibentur *Vindiciæ veritatis* p. 85 - 175. 177-688.

& innocentiæ contra Jægerum, Tubingenſis Academiæ nuper Cancellarium, quem Poiretus accuſat Antinomiſmi. Scilicet oppoſuerat Jægerus Poireto ſingulare ſcriptum, *Examen Theologiæ novæ*, cui hic reſpondet. Ac nos quidem ſuperſedemus copioſiore hujus ſcripti recenſione, polemici quippe & acerbioribus verbis non parce diſtincti. Unum tamen caput perluſtrare pro ſpecimine libet, libri quarti ſeptimum, *de ſalute gentilium per Chriſtum ſine verbo externo* inſcriptum. Initio igitur §. 1 commemorat, Patres Eccleſiæ non paucos ſenſiſſe ſecum, ipſumque Lutherum non fuiſſe ab hac ſententia alienum; porro præfatur, illam quæſtionem non tractare articulum fidei, ac proinde miratur, Jægerum per Poireti latus non modo Lutherum & tot priſcæ Eccleſiæ Doctores invadere, ſed etiam ſententiam hanc accuſare Pelagianiſmi, Naturaliſmi & Enthuſiaſmi. §. 2 ſententiam ſuam exponit lucide, quod ſcilicet ethnici non ſint a ſalute æterna excluſi, qui ſecundum lumen naturæ Deum virtutemque ſincere coluerint. §. 3 & 4 reſpondet ad loca S. Scripturæ ab Jægero objecta. Locum Ioan. XVII, 3 & Actor. IV. 12. ferire putat eos, quibus Evangelica doctrina de Chriſto fuerit annuntiata, non item eos, qui ante prædicationem Evangelii factam vixerint. §. 5 - 15 tractat Jægeri objectionem de ſumma ethnicorum corruptione & ignorantia. Reſpondet 1) viros doctos magnis voluminibus probaſſe, ſapientes ethnicos docuiſſe præclariſſima doctrinæque Chriſtianæ pulchre congruentia; 2) ignorationem myſteriorum, quippe invincibilem, ethnicis non poſſe eſſe fraudi; 3) quosdam ethnicos ſancte vixiſſe, e. g. Epictetum & Socratem, quem pluribus defendit contra criminationes Jægeri, bonaque opera ethnicorum tribuit agitationi Spiritus divini. §. 16 & 17 Jægero, cauſanti, cogitationem de Deo ante ſonitum Evangelii peccatori eſſe horribilem, ita ut is ſtudeat ſe ipſum excœcare & indurare, reſpondet, hoc eſſe falſum, quippe cum lumen naturæ Deum homini repræſentet tanquam benignum Patrem, agnoſcente id & confirmante Apoſtolo Rom. I, 19 ſq. Porro cum Jægerus objeciſſet, ſententiam iſtam Poireti vergere ad contemtum Scripturæ ſacræ tanquam inutilis, hic §. 18 & 19 reſpondet, eam objectionem eſſe tam

tam abſurdam, ut neſciat, vigilaritne an ſomniarit hæc ſcribens Jægerus. Negat igitur conſequentiam, quæ ſi vera juſtaque ſit, ſequi, nullum Judæum amplecti debere Chriſtianam religionem, cum homines in antiquo Judaiſmo potuerint æternam ſalutem conſequi. Etſi igitur ethnici olim habuerint lumen imperfectius, inepte inde concludi, nos hodie non debere ſequi lumen Scripturæ longe perfectius luculentiusque. §. 20 contra Jægerum propugnat, Melchiſedecum, Jethronem, Abimelechum omnino caruiſſe ſcripto Dei verbo & religione revelata, adeoque ethnicis aggregandos eſſe, conſentientem ſibi adducens Lutherum. §. 21 & 22 docet, ſi Deus velit omnium ſalutem hominum, & tamen iis non prædicatum fuerit Evangelium, iique adeo verſentur in ignorantia invincibili, hinc manifeſto ſequi, hominem lumen naturæ fideliter ſequentem potiri poſſe felicitate æterna. §. 23 dicit, barbaram eſſe eorum crudelitatem, qui omnes, verbo qui caruere externo, inferno adſcribant, ſeque deteſtari crudelem illorum ſententiam. §. 24 ſqq. adducit veteres doctores Eccleſiæ, ethnicis pietatis cultoribus cœlum aperientes, Juſtinum Martyrem, Clementem Alexandrinum, Athanaſium, Chryſoſtomum, Hieronymum, Auguſtinum. E recentioribus, omiſſis Toſtati, Fabri Stapulenſis, Andradii, Zuinglii, aliorumque ſuffragiis, ſolius Lutheri verba ὁμόψηφα adducit §. 30. Denique §. 31 *Hæc*, inquit, *æquum fuerat D. Jægerum non ignoraviſſe, ſed bene digeſſiſſe, priusquam ea ex lacunis Pelagianorum & Naturaliſtarum hauſta declaret per Diſſertationem adeo miſeram ac nullam, licet ejus judicio dignam, quæ ad verbum in ſuo Syſtemate Theol. Polemico recocta apponeretur denuo.* Sed ſufficiant hæc pro ſpecimine. Sequuntur *Acceſſiones Vindiciarum*, quibus exhibetur Epiſtola Jægeri ad Poiretum, hujusque reſponſoria, item Reſponſio Anonymi ad Jægeri Epiſtolam *Examini Theologiæ novæ* præfixam: quam quidem reſponſionem moderatiorem eſſe & potuiſſe & debuiſſe exiſtimamus. Subnexa eſt ipſius Poireti *Epiſtola de nullitate difficultatum ab adverſariis ſuis*, Jægero, Neumanno, Fœrtſchio, Thomaſio, Jac. Bernardo, ſibi *objectarum*. Ultimum occupant locum *Anonymi Stricturæ breves in Diſſertationum Anti-Poire-* p. 689. 697-766. 767. 791-827.

Poiretianarum D. Ioach. Langii Dodecadem priorem: in quo libello pariter vellemus minus ſervidum fuiſſe zelum ſcribentis, nec erupiſſe in appellationes *futilis ſophiſtæ*, *effrenis calumniatoris*, *plagiarii Poiretiani*, *Moroſophi*, *hominis phrenetici*, *impudentiſſimi impoſtoris*, *livoris ictero percuſſi candidiſſimaque proſlavis habentis*, *ridiculi cenſoris*, *in quo ne mica quidem candoris aut pudoris ſuperſit.* Nec videtur hoc excuſari ſatis poſſe jure talionis, quod reſpexiſſe videtur Autor *Præfationis generalis*, in §. 36 exhibens farraginem Langianarum in Poiretum criminationum, ſive, ut ipſe vocavit, *floſculos moderationis Langianæ amplius triginta.* Hanc ἀντιλοιδορίαν ſi fugiſſet Hyperaſpiſta Poireti, excuſatius libellum ſuum hiſce
p. 827. finiiſſet precibus: *Ab odio Theologorum, ſubtiliori perinde atque craſſiori, liberanos, Domine JESU!*

CHRISTIANI GOTTLIB. SCHWARZII P. P. in Acad. Altorfina, Miſcellanea Politioris Humanitatis, in quibus Vetuſta quædam Monimenta & variorum Scriptorum loca illuſtrantur. Accedit nominatim METII VOCONII Oratio Tacito Auguſto dicta, & nunc e Cod. MS. recognita.

Norimbergæ, apud Wolfg. Maur. Endterum, 1721, 4.
Plag. 18 Tabb. æn. 3.

BOnam partem horum *Miſcellaneorum* jam A. 1719 cum Orbe erudito Autor in re antiquaria verſatisſimus communicavit indice *Schediaſmatis de quibusdam doctrinæ antiquariæ Capitibus*, de quo in his Actis A. 1720 p. 146 ſqq. dictum eſt. Cum vero eam etiam partem ita recognoverit atque locupletaverit, alia præterea addiderit, ut Opuſculum fere novum videri poſſit: inſcriptionem ſimul immutare non duxit religioni: inprimis, quod conſtituerat Doctrinæ Antiquariæ capitibus impoſterum inſigniora quædam *doctrinæ Philologicæ atque Criticæ* argumenta adjungere, quorum nunc unicum ſaltem exemplum dedit *Metii Voconii* Orationem. Ea autem felicitas eſt Cl. Autoris, ut non adeo multa in recognitione invenerit, quæ corrigere

gere debuiſſet. Levia enim iſta ſunt, quæ e. g. in primo capite emendata vidimus: ut, ubi p, 6. addit: *ni fallor*, cum antea pro certo aſſeruiſſet, omnia plana eſſe. Saloninæ cognomen *Chryſogones* p. 8 nunc ipſi *rarius* tantum eſt; cum priori editione p. 10 *rariſſimum* pronunciaſſet. Pag. 19 nunc agnoſcit, priſcos Imperatores quædam aliquando anteceſſorum ſuorum nomina aſſumſiſſe, cujus rei nullum aliud, præter Gallieni nominis indicium, teſtimonium reperiri, p. 21 pr. edit. ſtatuerat. Et talia quidem in reliquis etiam Capitibus obſervare licet. Sed addita ſimul multa præclara inveniuntur. Pag. 9, ut confirmaret ſuperbiam & ſuperſtitionem priſcorum Principum, qui ſibi ſuisque nomina Divina ſæpe vindicaverint, addit teſtimonium Plutarchi, quod Cleopatra filiam ſuam ex Antonio ſuſceptam cognominaverit *Lunam*, ipſa vero *Nova Iſis* ſit appellata. Pag. 16 Reſcriptum Gallieni, quo præcepit, ut Chriſtianæ religionis Antiſtites ſecure munus ſuum obirent, ex Euſebio inſeruit, & pag. 22 ſqq. latius nunc contra *Chriſt. Falſterum* defendit, quod Romani ante Gothorum in Italiam adventum omnia publica & privata monimenta omnesque libros *uncialibus & majuſculis* litteris exaraverint. Caput vero II de Collegio *utriculariorum* longe majoribus acceſſionibus auctum prodit; quippe cui & illa, quæ A. 1714 ea de re ſcripſerat, & inſuper alia quædam addidit: & cap. IV p. 122 ſqq. adjecit iterum quædam in iſta Diſſertatione addenda atque mutanda. In his autem facile præcipuum eſt, quod Tab. æn. I Fig. 5, ex *Notitia* utriusque Imperii & *Stewechii* Commentario in Vegetium deſumtam, nunc demum corrigit, & ſculptoribus vitio vertit, qui in utraque ripa fluminis, ſuper quod pons ex utribus conſtructus eſt, *folles* expreſſerint, cum fingere debuiſſent *manubaliſtas*. Cap. IV de *Sacrificio Bacchi* ex Gemma antiqua talia etiam addita habet, quæ multo non modo Gemmam, ſed omnino ſacra Bacchi uberius illuſtrant. Nota quidem, ſed utilia tamen ſunt, quæ III ſtatim Sectione, miſſis aliis conjecturis, de *columnis*, rudioribus temporibus pro ſignis & ſimulacris Diis ac in primis Baccho poſitis, quæ ipſos Deos referrent, larga manu congeſſit. Eaque adeo vera ſunt, ut etiam iis temporibus, quibus artificium valuerat, depictis Diis hujuscemodi

modi columnas apponerent. Sect. IV, ut illuſtraret *arborem* co-
lumnæ Bacchicæ appoſitam, citavit Philoſtratum, qui Bacchum
memorat in Nyſa monte lauros in orbem plantaſſe, itemque &
hederas vitesque lauros complexas ſeviſſe; intus autem ſtatuam
ſuam erexiſſe, ut tempore coaleſceret quaſi amœniſſimum tem-
plum. Sic Sect. VI pluribus locis Autorum confirmat, Bacchi
feſtum celebrantes imitatione comitatus ejus, Satyrorum, Pa-
num, Baccharum habitu ſacra perfeciſſe. Sect. X p. 78 ſqq. vindi-
cat *Omophagia* Arnobii & Clementis Alexandrini, contra Bar-
thii *Ophiophagia*: tum & Prudentii I Symmachi v. 130 *che-
lydros* contra Reineſii *choladas*, & oſtendit, quomodo Bac-
chantes cum carnes crudas & viſcera caprorum, vitulorum &c.
diſcerpere, tum ſerpentes dilaniare conſueverint. Pag. 82 men-
tionem injicit, re ita admonente, Hæreticorum *Ophitarum*, qui
ſerpentem in templis adoraverint, quod impie docuerint, ſer-
pentem illum Evæ ſeductorem fuiſſe Chriſtum. Sect. XIII p. 90
ſq. quæ *Muſis* cum *Baccho* ſit communio, latius diſquirit, & A-
thenienſium *Agronia ſacra*, Plutarcho autore, docet eam ob
cauſam inſtituta eſſe, ut oſtenderent, inter pocula ſermone uten-
dum eſſe, qui aliquid commentationis atque eruditionis habeat.
Capite IV, quod nunc primum cum proxime inſequenti editur,
antiquum Marmor *Pompam Bacchantium* referens luculenter,
ut ſolet, Cl. Autor explanavit. Deſumſit ſchema ex Bernhardi
Montfauconii *Antiquitate Explanatione & Schematibus illu-
ſtrata*: nam *Admiranda Antiquitatum Romanarum*, ubi pri-
mum ex hortis Burgheſiis delineatum eſt, & unde petierat Mont-
fauconius, inſpiciendi Cl. Autori nondum facta eſt copia. Vel-
lemus ſane factam. Non modo has tabulas clarius expreſſas &
breves quaſdam notas, ſed etiam *Liberaliorum*, *Bacchi & Ari-
adnæ Chori* alias figuras cognoſcere potuiſſet, quæ interdum in-
terpretationes ejus adiuvaſſent. Interim rem ſuam nihilominus
ſtrenue egit & Sectione, ut vocare conſuevit, II de diverſis riti-
bus ceremoniisque Bacchanaliorum prius diſſerit, quam figu-
ras marmoris explicandas ingrediatur. Poſtea de Bacchi duplici
forma muliebri ac virili, deque ejus Thyrſo & comite Muſa, ci-
tharam pulſante, multis verbis diſputat. Bacchantem vehemen-
ti

ti corporis motu pro adoleſcente habet, & veſtitum ejus ita explanat, ut leonum quidem, pantherarum, tigridum & vulpium pellibus hos homines incinctos fuiſſe; uſitatiſſimas tamen *pelles hinnulorum* & *damarum* fuiſſe, hasque inprimis *Nebridas* dictas, oſtendat. Sequitur figura n. 4 & 5 notata, quæ in *Admirandis* ita explicatur: *Alter* (juvenis Silenus) *Epiſtatam Pappo Silenum ebrium ſuſtinet.* Neque aliter multo Montfauconius, neque Noſter initio. Poſt vero ſuſpicatur, ipſum Bacchum, barbatum, ſenem & temulentum exprimi, quia non inſolens ſit eundem variis formis repræſentari. Refutat ſimul illos, qui Bacchum nunquam ſenem, ſemper ephebum atque imberbem pingi ſibi perſuaſerunt. Figuræ illius Bacchantis, qui *geminas ſimul tibias inflat*, multo plures ſimiles laudari potuiſſent non modo ex Sponio, ſed etiam Gruteri Theſauro Inſcriptionum, Bartholini de Tibiis Veterum Lib. II, maxime c. VII & VIII, & Admirandis Antiquit. Rom. n. 54, 55, 56, 57, quæ forte plura hic commentandi occaſionem dare potuiſſent. Neque certe Cl. Autor Nympham illam aut quamcunque fœminam *Lyra* ludentem pro fœmina *librum* tenente habuiſſet p. 114, niſi illum Chalcographus Montfauconii abſtraxiſſet. In Admirandis enim nemo facile *librum* agnoverit, quin potius *Lyram* ſibi videre videatur. Denique Sect. XI p. 115 ſqq. eruditam Digreſſionem de tympanis & *ῥόπτροις* veterum adjecit. De Cap. V pauca tantum dicere poſſumus, cum nil niſi exemplum *Metii Voconii* Oratiunculæ ex MS. (quem ex Bibliotheca T. W. venerandi quondam Norimbergenſium Antiſtitis haud ita pridem ſibi comparavit) cum Editis collatum, & præterea perbreves obſervationes Cl. Autor attulerit. Plura habebimus, quo tempore exponet, quantum ille Codex ad Panegyricos Veteres, quos comprehendit, illuſtrandos & permultis locis rectius legendos conferat. Ad quod perficiendum a Viro celeberrimo Jo. Alb. Fabricio, communicatis Gudianis duobus libris, valde ſeſe adjutum eſſe profitetur.

JO. ALBERTI FABRICII, S. S. THEOL. D. Prof. Publ. & h. t. Gymnaſii Rectoris, Bibliothecæ Græcæ

Volumen X ſive reliqua partis ultimæ Libri V.

Hamburgi, ſumtu Viduæ Leibezeitii & Theod. Chriſtoph. Felginer, 1721, 4. Alph. 4 pl. 6.

Decimum hoc volumen complectitur reliqua Partis ultimæ libri quinti Bibliothecæ Græcæ, quam compluribus abhinc annis Cl. Fabricius colligere cœpit, & non ſine laude eruditorum permiſit uſibus. Inprimis autem hac Bibliothecæ parte exhibentur Scriptores, qui aliquot annis ante captam a Turcis Conſtantinopolin, & paulo poſt miſeram illam Imperii Græci cataſtrophen floruerunt. Initio tamen, & quidem C. XL, quod cum priore antecedentis Voluminis connectitur, præter indicem ſcriptorum a viris doctis in Suida, ubi ille eorum præterit nomina, ſollicite inveſtigatorum, luculenta de *Etymologico magno* reperitur tractatio, cujus Autor neque Megalus, ut Goldaſto in mentem venit, neque Nicas, ut Politiani fuit ſententia, neque Suidas, aut Maſurus, aut Calliergus, ut aliis quibusdam placuit, fuiſſe oſtenditur, & variæ hujus Etymologici editiones, ut ſolemne eſt Cl. Fabricio, ſatis accurate recenſentur. Et heic ſibi Cl. Autor occaſionem datam arbitratus eſt, ut de aliis Etymologicis Græcis deperditis pariter atque ineditis tractaret, & recentiorum ſimul commemoraret ſcripta, quæ ad Græcarum vocum originem eruendam faciunt. In Lexicis autem Græcis ineditis, nec non Gloſſariis variis editis, & nondum editis recenſendis ſumma elucet induſtria, quandoquidem omnia, quæ Henricus Stephanus, Bonaventura Vulcanius, & Carolus Labbeus ea in re præſtiterunt, quam diligentiſſime expenduntur. Inter Gloſſaria typis hucusque non exſcripta inprimis memorari fas eſt *Gloſſarium* illud *biblicum*, quod Cl. Autor in membrana exaratum ex Bibliotheca Hinckelmanniana accepit, utpote ex quo Heſychii Lexicon, & Onomaſticon Dionyſianum Balthaſaris Corderii emendari, & aliqua ex parte locupletari poterit. Quæ de *Varino Phavorino*, Camerte, Autore Lexici Græci, referuntur, deſumta ſunt potiſſimum ex Diarii Veneti (*Giornale de letterati d' Italia*) Tom. XIX p. 90 ſſ. & eum fuiſſe Jo. Laſca-

Laſcaris & Angeli Politiani diſcipulum, docent, qui monachus ordinis S. Benedicti ex congregatione Sylveſtrinorum, & Joannis de Medicis, poſtmodo Pontificis Romani, præceptor fuit, & anno 1523 Romæ apud Zachariam Calliergum excudendum curavit Lexicon, in quod omnem quaſi Græciam conjicere voluiſſe videtur, quia, quicquid in Suida, Etymologo, Phrynicho, Heſychio, Harpocrate aliisque Lexicorum Scriptoribus, & præter eos, in Euſtathio & Scholiaſtis veteribus ad vocabulorum explicationem pertinet, id fere omne in ſuum Lexicon transferre voluit. Poſt hæc Lexica Græco-Latina recentiorum excutiuntur, & ſpeciatim Guilielmi Budæi, Roberti Conſtantini, & Stephanorum opera in concinnandis ejusmodi Lexicis commemoratur. Nam Stephanis ea quaſi propria laus fuiſſe conſpicitur, ut in communes literatorum uſus theſauros linguarum collegerint, ſiquidem Ciceronianum theſaurum Carolo, Latinum Roberto, & Græcum Henrico Stephani debemus. Jo. Scapulæ Lexicon, ex Henrici theſauro exceptum, lucem primum vidit Baſileæ anno 1519, ut proinde deceptus fuerit Mich. Maittaire, in Hiſtoria Stephanorum, qui annum 1570 ejusdem editioni adſignat. Quod ad Lexica minora Græco-Latina attinet, etiamſi non omnia unius ejusdemque ſunt pretii, accurate tamen heic recenſentur, ut habeant literarum Græcarum ſtudioſi, quæ ex tam magna illorum copia eligere, & in ſuos uſus comparare queant. Nam Lexica, ut vocantur, ſpecialia, & indices Græcarum vocum in Scriptores quosdam Græcos, qui ligata juxta & ſoluta ſcripſerunt oratione, non modo adducuntur in conſpectum, ſed & Lexica Biblica, & libri, qui Græca ſynonyma, epitheta, phraſes, particulas, orthographiam, & proſodiam Græcorum, tum & Græcæ linguæ cum aliis affinitatem docuerunt, longa ſerie enarrantur. Quemadmodum nec illi prætereuntur ſilentio, qui Græco-Barbara & Lexica ad voces mediæ & infimæ Græcitatis pertinentia conſcripſerunt. Quibus omnibus index Lexicographorum Græcorum editorum, ineditorum, & perditorum, quotquot eorum in omni Bibliotheca Græca occurrunt, finem imponit, & ita Hiſtoriam Lexicorum Græcorum egregie locupletat. Cap.

XLI agit *de Joſephi Chriſtiani Hypomneſtico*, quod Theodorus Cantuarienſis a. c. 690 vita defunctus in Angliam primum advexiſſe perhibetur. Hic Joſephus a. c. 420 floruit, & opus in quinque libros diviſum, in quo res varias ſacras tractat, illo tempore ſcripſit. Adſervatur illud manu exaratum in Bibliotheca Cantabrigienſi, ex quo nactus eſt inſcriptiones capitum Cl. Jo. Chriſtoph. Wolfius, quas heic Fabricius cum eruditis communicat. Hunc Joſephum ſequitur *Andreas Cretenſis*, inter cujus ſcripta præcipue recenſentur, quæ junctim cum SS. Amphilochii & Methodii lucubrationibus Græce & Latine Franciſcus Combefiſius Pariſiis anno 1644 in fol. promulgavit. Et cum inter hymnorum Autores, quibus Eccleſia Græca utitur, illuſtre fuerit nomen hujus Andreæ Cretenſis, Melodi Græcorum paullo locupletiore catalogo, quam olim in fine libri V hujus Bibliothecæ factum erat, exhibentur. Ex undeviginti homiliis Andreæ, quas ex MSto codice Bodlejano deſcripſerat jam memoratus Wolfius, ſpeciminis loco adfertur λόγος παραινετικὸς de publicano & phariſæo, qui Latina ornatus verſione nunc primum publicam lucem ſubit. Quæ de *Cyrillo Scythopolitano*, *Joanne Cappadoce*, *Patriarcha Conſtantinopolitano antiquiore*, & *juniore Neſteuta*, de *Joanne Antiocho*, *Patriarcha* itidem *Conſtantinopolitano*, *Gregorio Antiocheno Epiſcopo*, de *Dorotheo Abbate*, *Thalaſſione*, *Iſaaco Presbytero Antiocheno*, eorumque ſcriptis afferuntur, lectu digna ſunt, & lectoribus rerum Græcarum amantibus ſe valde commendabunt. Quemadmodum & illi, qui de Scriptoribus homonymis ſunt ſolliciti, varios *Andreas*, *Thalaſſios*, & cum Autor de *Iſaaco Presbytero Antiocheno*, *tribus Germanis Conſtantinopolitanis*, *Jo. Carpathio*, *Coſma Hieroſolymitano*, *Taraſio Patriarcha*, & *Michaele Syncello agit*, varios quoque reperient *Iſaacios*, *Germanos*, *Coſmas*, & *Michaeles*, quibus ſuos loculos explere poterunt, ut alios ſcriptorum catalogos, videlicet ſcriptorum, qui ab Iſaacio Catholico in invectivis contra Armenios citantur, & ſcriptorum epiſtolarumque, quæ referuntur & allegantur in actis Concilii quinti Conſtantinopolitani a. c. 553 habiti, ſilentio prætermittamus. Cap. LXII de ali-

is

is ſcriptoribus Seculi X, XI, XII *Theophane Cerameo*, *Jo. Zonara*, *Jo. Tzeze*, *ejusque fratre Iſaaco*, *Conſtantino Harmenopulo*, *Nicone monacho & archimandrita*, *Andronico Camatero*, *Samone Gazenſi*, & *Theoriano*, *Euſtathio Theſſalonicenſi Archi-Epiſcopo*, *Nicolao Grammatico*, *variis Simeonibus*, & *Simonibus*, *Petro Diacono*, *Luca Chryſoberge*, *Neophyto monacho*, *Johanne Citri Epiſcopo*, eorumque ſcriptis tradita habentur, & ſimul recenſetur *hymnologia Aldi Manutii*, quam Venetiis anno 1501 in 4 edidit, in qua præter Prudentii, S. Proſperi & aliorum ſacra carmina, varii Jo. Damaſceni & Coſmæ Hieroſolymitani hymni Græce & Latine inveniuntur. Antequam autem huic capiti finem imponit Cl. Fabricius, de *Syntipa Perſa* & *Eraſto* obſervat, quod illi liber argumenti moralis, ex Syriaco, ut ajunt, Græce, & alius ex Græco Latine verſus, de ſeptem Philoſophis ſapientia ſua filium regis ab illecebris & calumniis novercæ immunem ſervantibus, attribuatur: huic ex Græco verſo titulus eſt: *de Eraſto filio Imperatoris Diocletiani, novercæ Aphrodiſiæ amoribus repugnante ejusque odiis & inſidiis ſubducto, per ſeptem ſapientia inſignes philoſophos Euphradigorum, Demiurgum, Ternum, Enoſcopum, Philanthropum, Agathum & Leucum.* Hic in variis linguis, diverſo tamen titulo legitur; Germanice inſcribitur: *Die ſieben weiſen Meiſter*; Gallice: *Hiſtoire du Prince Eraſtus, fils de l' Empereur Dioclétien*, item: *les ſept Sages de Rome ou hiſtoire de Pontianus Empereur.* Ex ſcriptoribus homonymis hoc capite Theophanes, Conſtantini, Camateri, Nicolai, Simeones, Petri, & Neophyti proferuntur. Cap. XLIII *Scriptores numero XLIV* adducuntur, qui Romanæ faverunt eccleſiæ, & eam cum Græca conciliare adniſi ſunt. Agmen ducit *Johannes Vecco* ſive *Becco*, & *Gennadius*, de quo poſteriore integra heic legitur diſſertatio Euſebii Renaudoti, quæ deſumta eſt ex illius obſervationibus ad Gennadii homilias de S. S. Euchariſtia, quæ prodierunt Pariſ. 1709, 4. His adductis, ſcripta excutiuntur de Græcis, aut contra Græcos, a Latinis & Romanæ Eccleſiæ ſociis natione haud Græcis conſignata, ubi & de Statu Eccleſiæ Græcæ, de dogmatibus, & ritibus eccleſiaſticis Græcorum enarrantur, quæ par-

 tim

tim ex Lutheranis, partim ex Reformatis eam in rem fuere ſcripta. Et poſtquam de variis *Demetriis*, tribus *Chryſoloris* & duobus *Meletiis* diſputatum eſt, farrago teſtimoniorum, quæ e Græcis adverſus fabulam de Johanna Papiſſa ſtare videntur, e Blondello ſubjungitur. Cap. XLIV de *Gregorio Palama* ejusque ſcriptis & adverſariis, de *Gregorio Acindyno*, *Johanne Cypariſſiota*, Palamæ propugnatoribus, de *Philotheo Patriarcha Conſtantinopolitano*, *Nilo Rhodio*, & *Johanne Glyce* tractatur. Cap. LXV Notitia, ut dicitur, alphabetica Scriptorum Græcorum magna ex parte nondum editorum, & quorum ætas incerta eſt, ſuppeditatur. Plerique ex illorum conſpicuntur eſſe numero, qui ſcriptis Romanam impugnaverunt Eccleſiam. Ultimo autem loco ſpectatur *Leonis Allatii diatribe de Georgiis*, cum notis a Cl. Fabricio denuo edita, quæ huic volumini colophonem imponit.

ATHENARUM LUBECENSIUM PARS II, cujus Sectio I Viros Illuſtres, Conſiliarios & ſplendidis muneribus inſignes, Sectio II Theologos exhibet; Autore JOAN. HENR. VON SEELEN, Rect. Lubec.

Lubecæ, apud Petr. Bœckmann, 1720, 8.
Alph. 1 plagul. 4.

PArs hæc ſecunda finem imponeret labori Cl. Autoris, quem in recenſendis doctis viris, qui olim in Gymnaſio Lubecenſi literis operam dederunt, ſuſcepit, niſi animo mutato duabus his Partibus totidem addere conſtituiſſet. Eo factum eſt, ut nunc non niſi Viros aliquot illuſtres & Theologos memoraverit, ceteros proximis narrationibus reſervans. Sectione igitur I laudatur p. 1 *Petrus Brandis*. P. 3 *David Joannes von Braunſchweig*, ubi de *Viſculorum* gente antiquiſſima, ut & *Duſterhopiana*, quæ per connubia *Brunſuigiis* mixtæ ſunt, in medium quædam proferuntur. P. 8 *Joachimus van Dale*, cujus majores a ſtirpe Itali in Brabantiam aliquando & Marchionatum Antwerpienſem delati ſunt, qui tandem Ducis de Alba crudelitate expulſi

expulſi in Belgium primum, mox in Saxoniam inferiorem devenere. Quo caſu cum Documenta nobilitatis amiſſa eſſent, Leopoldus Imperator publicis literis eam reſtauravit huic Joachimo fratrique Dieterico, quæ p. 16 legi poſſunt. Ex hac familia unus nobile Collegium van Dale Lovanii inſtituit & reditibus adeo amplis ditavit, qui viginti ſtudioſis alendis ſufficiant, p. 13. P. 29 *Henricus Fock*, p. 38 *Joannes Franckius*, Parens Theologi & Profeſſoris Halenſis Aug. Herm. Franckii, & Ducis Saxo-Gothani Conſiliarius. Ultimus ille Collegii Canonicorum Ratzeburgenſium per decem amplius annos Syndicus fuit. Additæ ſunt ejusdem Epiſtola & Carmen p. 47, quibus Henrico Bangerto munus Rectoris gratulatus eſt, quæ quaſi ſcholarum Vindiciæ eſſe poſſunt P. 59 *Auguſtus Fridericus de John* cum fratre *Chriſtiano Alberto*. P. 60 *Chriſtophorus Fridericus Kienius*, Poeta elegantiſſimus, ita ut etiam tum adoleſcenti Dux Mecklenburgicus Profeſſionem Poeſeos publicam in Roſtochienſi Academia conferre voluerit, quia magnum illius urbis incendium carmine Germanico comtiſſimo deploraverat, p. 63. Aulam nunc Suerinenſem, in quam A. 1693 adſumtus eſt, exornat: nec tamen deſiit poeſin exercere, utpote qui nunc quoque Volumen Poematum Latinorum & Germanicorum ad prelum habet paratum. P 67 excipit illum literarum ordine *Jo. Ludovicus Lib. Baro de Kœnigſtein*, patre *Ludovico Pincier* natus, & a Rege Suecorum ad ſplendidiſſimum Liberi Baronis gradum evectus. P. 73 *Theodorus Marcus Lenten*; p. 77 *Nicolaus Henricus von der Maaſe*; p. 83 *Gotthardus Johannes de Marquart*; p. 83 *Franciſcus Henricus Matthiaſſen von Ehrenberg*, ob raras animi dotes in ordinem nobilium cooptati. P. 94 *Joannes Adolphus Ovens*, cui a pag. 95 proximi ſunt *Ludovicus* ac *Detleſus Henricus* ac *Joachimus Chriſtianus Pincierii*, ſinguli magnis Lubecæ honoribus uſi. Sequitur p. 103 *Joachimus Ranzovius*, & p. 106 *Achilles Fridericus Schomerus*, Ducis Mecklenburgici Cancellariæ, ut vocant, Vice-Director, qui fratris ſui *Juſti Chriſtophori* Theologiam Moralem cum ſua Præfatione edendam curavit. P. 107 *Joannes Vermehren* laudatur non magis Principum gratia, quam Doctorum Virorum amicitia felicem

cem fuiſſe. Inter hos fuit *Hornius*, qui in benevolentiæ ac ſingularis affectus documentum libros a ſe confectos ac propria manu ſcriptos, *Orbem* nempe *Politicum* & *Hiſtoriam motuum ac mutationum in Britannia*, antequam publice ederentur, ipſi deſcribendos communicavit, p. 110. P. 114 *Paulus Vermebren* prædicandus venit, qui civilibus etſi muneribus paſſim ac denique in noſtra Saxonia functus, raro tamen exemplo elegantioribus etiam literis, Poeſi & Sanctiori diſciplinæ ſedulo incubuit, quod ſcripta ejus elegantiſſima teſtantur, quæ vide p. 116 & 120. P. 124 *Magnus de Wedderkop*, ex Profeſſore Heidelbergenſi & Kilonienſi in Præſidem Conſilii intimioris Sleſvico-Holſatici evectus, anno 1709 cum adverſa fortuna conflictari cœpit & carcerem intravit, ex quo an. 1714 hoſte ejus infenſiſſimo e vivis ſublato, magno cum honore egreſſus. Ipſe variis politis ſcriptis clarus eo jam laborat, ut *Chriſtophori Forſtneri Epiſtolæ* in lucem protrahantur, p. 130; niſi hos conatus mors ejus, quæ nuper conſecuta eſt, interceperit. Claudit agmen p. 131 *Joachimus Wolters*, Archivi vivi, ut Sibbernii verba habent p. 133, & Cancellariæ ambulantis nominibus, laudibus præterea infucatæ probitatis & eximiæ religionis inſignitus.

De Theologis Sect. II laudatis pauca dicemus. Cum enim numerus eorum ad ſeptuaginta quatuor excreverit: ne nomina quidem omnium per inſtituti rationes afferre poſſumus. Memoratur p. 127 *Chriſtianus Funck*, Eccleſiæ, quæ Aurici eſt, Paſtor Senior, filia præſtantiſſimæ indolis fortunatus, quæ cum alias artes ac ſcientias, tum maxime Ebræam linguam egregie callens præmaturo fato extincta eſt. Meditatur ipſe inter alia *Chronicon urbis Aurici*, vaſtum Opus, & fere abſolutum p. 134. P. 146 *Stephanus Jebſen*, qui vernacula lingua *Harmoniam Chronologicam IV Evangeliſtarum* ſcripſit, quam Cl. Autor harum Athenarum Latine reddidit & propediem evulgabit p. 152. P. 166 *Adamus Laurentius Nicolai*, qui adoleſcens in obitum Præceptoris ſui *Meieri* duo Epicedia ſcripſit, quorum alterum *Carmen Bucolicon*, *Myrtillus lacrymans*, p. 167 inſeritur. P. 184 *Joannes Wilbelmus Peterſen* ſeſe offert, ut ut Autor Fanaticis eum potius quam Theologis accenſere vult. Præclare tamen

Lube-

Lubecæ ſe geſſit, quod jam in vita ſua perſcripſit. Ex qua cum aliqua Autor attuliſſet, ſubdidit: *Utinam res ſuas tam præclare in Eccleſia geſſiſſet, quam in Schola egit.* P. 193 *Joannes Polzius* laudatur, ex cujus rebus ordine optimo tractatis Methodus quædam bene literis ſtudendi ſumi poſſet. Ipſe certe ſua via ita profecit, ut anno ætatis decimo ſexto *Hiſtoriam* quandam *Scholarum* a condito mundo ad Nativitatem Chriſti conſcriberet, quam Pomarius dignam judicavit, quæ publice prodiret. P. 204 *Hermannus Rathmann*, notiſſimus Eccleſiæ Dantiſcanæ Paſtor, ſe offert. Pag. vero 231 *Caſpar Sagittarius*, magnum illud nomen, de quo latius, ut meruit, Autor egit. Occaſione libri Sagittariani *de Januis Veterum* refert, quod Andreas Plantecovius, Medicus & Philoſophus Lubecenſis, Librum meditetur ejusdem argumenti, qui ea ſiſtat, quæ Sagittarii diligentiam effugerunt, p. 246. Ceterorum etiam Librorum indicio talia ſubinde inſpergit Autor, quæ notitiæ librorum non ſunt inutilia. Pag. 277 *Henricus Scharbau* in ſcenam prodit, qui hic Tractatum ſuum *de Parallelismo cum Hæreticis inſtituto* contra judicia *Trevoltienſium* epiſtola defendit a pag. 280. Pag. 298 *Juſtus Chriſtophorus Schomerus* ſiſtitur ut Theologus magni nominis, Juris tamen etiam cognitione ita imbutus, ut multis admirationi fuerit, cum publice JCtorum diſputationibus intereſſet, p. 302. P. 316 *Chriſtianus Scriverius* laudatur, & quod Rensburgi, non ut alii tradidere, Flensburgi natus ſit, notatur. Dein ſingularia ejus fata, cum utero adhucdum eſſet inclusus, aliaque vitæ pericula e Calviſio narrantur. P. 328 *Caſpar Henricus Starckius* viſitur, de quo Cl. Autor refert, quod Additamenta ejus ad *Placcii Theatrum Anonymorum* aucta magis & correcta ſint proditura. Quæ vero alia diligentiæ & doctrinæ monumenta exſpectari ab illo queant, p. 335 indicatur. P. 359 *Joannes Tarnovius*, interpres ſacrarum literarum dexterrimus, & p. 563 *Adamus Tribechovius* meritiſſimis elogiis mactantur. Pag. 412 ubi ad *Franciſcum Wærgerum* devenit, Thomæ Crenii triga epiſtolarum adfertur, in quibus Wœrgeri laudes & Bibliopolarum quorundam probra leguntur. Igitur non uno nomine commendandam eſſe Cl. Autoris operam apparet. Sive

enim quod ſingularia eruditorum fata perſcribat, ſive quod non raro alios Vitarum ſcriptores corrigat, ſive quod ſcripta maxime minuſcula & fugitiva ab interitu vindicet, & inedita ac affecta indicet, reſpexeris, talem laborem Reip. literariæ non inutilem eſſe deprehendes.

THE HISTORY AND ANTIQVITIES OF the Univerſity of Cambridge.

h. e.

HISTORIA ET ANTIQUITATES UNIverſitatis Cantabrigienſis, Partibus duabus.

Londini, apud J. Batemann, J. Nicks, & W. Boreham, 1721, 8.
Plag. 18.

VIr Clariſſimus, & in eruendis Angliæ Antiquitatibus perinduſtrius, Thomas Hearne, anno ſuperiori Thomæ Sprotti Chronicis, ab ipſo editis, libellum *Nicolai Cantalupi* de Antiquitate & origine Univerſitatis Cantabrigienſis, & A. 1716 Collectaneis Lelandi de rebus Britannicis Deſcriptionem Collegiorum ejusdem Univerſitatis, Autore *Richardo Parkero*, S. Theol. Baccalaureo, ſcriptam, adjunxerat. Hoſce igitur duos libellos, Latine primum exaratos, Anonymus noſter in gratiam eorum, qui vel Latinæ linguæ ignari ſunt, vel a dictione Cantalupi barbara abhorrent, Anglice translatos ſub titulo, quem exhibuimus, edidit; præſertim cum libri, quibus adjuncti ſunt, ob pauca, quæ impreſſa ſunt, exempla jam ſint rariſſimi. Illis vero ex Rymeri Actis publicis addidit diplomata quædam Collegiis dictæ Univerſitatis conceſſa, & ex MSto Bibliothecæ Cottonianæ Catalogum Rectorum & Cancellariorum ejus ab anno 289 ad annum 1603, & ſummam Privilegiorum, quæ ab Angliæ Regibus accepit. Cantalupo etiam Præfationem præmiſit, qua, ratione inſtituti reddita, primo quidem in compendio exhibet illa, quæ de hoc Autore a Cl. Hearnio
p. I, II. apud Sprottum ex variis ſcriptoribus collecta ſunt. Unde diſcimus, quod ille natione Cambro-Britannus, ex eadem, qua S.

Thomas

Thomas Cantalupus, familia oriundus, ordine Carmelita, ſuique ordinis Cantabrigiæ, Briſtoliæ, Gloceſtriæ, & tandem Northamptoniæ Præfectus, præter brevem Catabrigiæ hiſtoriam, & alia, ſcripſerit in lib. I Sententiarum, Encomium ſui ordinis, Epitomen Chronicorum, Appendices ad Hiſtoriam, Sermones vernales, diemque ſuum obierit d. 27 Sept. A. 1441. Deinde ulterius veſtigia Hearnii legens, orationem profert de Antiquitate Cantabrigiæ a Simone d'Ewes in Parliamento dictam, qua hic probare annititur, Cantabrigiam, ſive civitatem, ſive Academiam ſpectemus, Oxonio antiquiorem eſſe. Denique ſubjungit incerti Autoris Relationem de tumultu incolarum urbis Cantabrigiæ adverſus Academiam, a Hearnio pariter apud Sprottum ex antiquo MSto Latine evulgatam. p. III. VII ſqq.

Jam ipſum Cantalupi libellum quod attinet, ſequentia in illo de Cantabrigia, ejusque Academia reperimus. Gurguntius, p. 1. 2. Belini filius, Rex Britonum, Sutlaco Danorum Rege ſub priſtinum, quod excutere voluerat, jugum redacto, claſſe redux prope Orcades inſulas conſpexit triginta naves, viris & fœminis onuſtas. Cum vero de illis inquireret, dux eorum Partholaymus cum fratre Cantebro, Cantebræ Hiſpaniæ urbis herede, Regem acceſſit, ſeque ex Hiſpania pulſos, & jam per octodecim menſes in mari oberrantes narrans, & exiguam Britanniæ partem incolendam petens, Hiberniam, tum temporis incolis vacuam, ea lege obtinuit, & annuum tributum penderet. Sed frater ejus Canteber, vir prudens & eruditus, quem Rex ſecum retinuit, poſtea filiam ejus Guenolenam in matrimonium accepit, & cum illa orientalem Britanniæ partem. In illa ad fluvium *Cante* urbem condidit, & Aſtronomis & Philoſophis ad eam vocatis ſtipendia aſſignavit. Ex hoc tempore urbs illa, Britonum lingua *Caergrant* dicta a filio Cantebri Grantino, qui pontem ibi ædificavit, vel a multitudine Philoſophorum, ſed lingua Latina urbs *Cante* a Cantebro conditore ejus, & tandem 3. Cantabrigia (*Cambridge*) appellata eſt. Rex Guttelimus, filius Gurguntii, ædificiis & muris illam adornavit, ejusque conjux Marcia, in omnibus ſcientiis bene verſata, legem ibi ſancivit, quæ Marcia Britonibus vocata eſt. Inter illos, qui olim ibi do-

cuerunt, Anaximander fuit, diſcipulus Thaletis, & Anaxago-
ras. Rex Caſſibelanus tantam illi prærogativam conceſſit, ut
quivis fugitivus vel criminis reus, ſi diſcendi gratia eo ſeſe rece-
piſſe, tutus plane evaſerit. Propter hanc & alias cauſas multi
ex omni terra eo commearunt, quorum aliquos Julius Cæſar,
victo Caſſibelano, Romam tranſportavit, ibi poſtmodum flo-
p. 4. rentes. Rex Maurius illam ulterius & muris & turribus præcla-
re munivit. Cum Rex Lucius ibi de fide Chriſtiana audiviſſet, a
Fagano & Damiano, ab Eleutherio Papa ad deſiderium ipſius
in Angliam miſſis, converſus & baptizatus eſt. Atque ab illis et-
iam Cantabrigiæ tria millia Philoſophorum uno die regenera-
tionis lavacrum acceperunt. Sed urbs jam bene munita a Maxi-
miano Herculeo, Diocletiani filio, flammis tradita, & deſer-
5. ta relicta eſt usque ad tempora Regis Octaviani, qui opera Ca-
radoci, Cornubiæ Ducis, ædificia pro Studioſis denuo ibi
extruenda curavit, illisque Mauritium, omni liberali doctrina
inſtructum, præfecit. Poſtea a Saxonibus, & cum Pelagius, Do-
ctor quidam Academiæ ejus præcipuus, in hæreſin incideret,
aliique contra illum inſurgerent, ab aſſeclis ejus multum infeſtata
eſt. Cumque omnes fere ejus incolæ periiſſent, Vortumerus
ſcholæ addictos armata manu defendit. A. 529 Rex Arthurus
6. Academiæ & Rectorem dedit Kynotum, & immunitates ſin-
7. gulares. Sed poſt mortem ejus Ambrones, Picti & Saxones igne
8. & gladio rurſus valde deſolatam illam reddiderunt. Cujus rei
Auguſtinus, cum in Anglia Saxonibus verbum Dei prædicaret,
miſertus, A. 522 gratia Regis Ethelberti Cantuaria obtinuit
viros quosdam omnibus ingenuis artibus inſtructos, quos in fi-
de Chriſtiana diligenter erudivit, & Rex poſtea, conſilio ejus
& mandato Gregorii, Pontificis Romani, Cantabrigiam able-
gavit. Cum Penda, Rex Marcianorum, Academia in urbe
Criclade erecta, multos Cantabrigia Hebrææ & Latinæ linguæ
9. peritiſſimos eo perduxiſſet, Cadwaldus, Britonum Rex, iis,
qui Cantabrigiæ permanſerunt, novum privilegium conceſſit.
Ceſſante Britonum poteſtate, & Anglis Orientalibus regnare
10. incipientibus, Egbertus, Paulini in Epiſcopatu Eboracenſi ſuc-
ceſſor, Rector Cantabrigiæ extitit, & poſt illum Alcuinus, va-

riis

riis ſcriptis clarus. A. 682 Beda eo pervenit, ibique & docuit, p. 11.
& ſcripſit, & effecit, ut Academia varia a Sergio Papa privile- 12.
gia impetraverit. Ex ejus diſciplina ibi egreſſus Jo. Scotus, Cambro-Britannus, qui præter librum de diviſione naturæ, verſionem Hierarchiæ Dionyſii Areopagitæ, deſiderante Rege Franciæ, confecit. A. 844 poteſtatem docendi hic obtinuit Rabanus, Abbas poſtea Fuldenſis, & Epiſcopus Moguntinus.
Cum A. 869 Rex Edmundus cum innumerabili Chriſtianorum 14.
multitudine ab Hyngaro & Hubba trucidatus eſſet, Cantabrigia etiam rurſus eſt vaſtata; ubi tamen poſtmodum doctores quidam, qui antea ibi literas hauſerant, ſcholas publicas,
variis privilegiis a Sedwalo Rege ornatas, reſuſcitarunt. A. 915 15.
Rex Edwardus, Alfredi filius, omnia Univerſitatis privilegia confirmavit. Huc usque Cantalupi Hiſtoria, cui privilegia
quædam Regum Univerſitati conceſſa, cum Bullis Pontificum, 16 ſqq.
adjecta ſunt.

Quantum ad Parkeri Deſcriptionem, quæ jam ſequitur, Collegiorum Cantabrigiæ, permittuntur illi nonnulla de hoc Parkero ex Fulleri Hiſtoria de Viris Præſtantioribus Angliæ;
unde patet, quod ille Archidecani Elienſis filius, Socius Colle- 26.
gii Caji Cantabrigienſis, in heraldicis, hiſtoria, antiquitate minime hoſpes, at melancholici temperamenti fuerit, publicorum propterea munerum negligens, & mortuus Heliæ in pa-
tria circa annum 1624. In ipſa autem Deſcriptione Autor hic 27 ſqq.
primo quidem recenſet domus, hoſpitia & monaſteria, in quibus olim doctores & ſtudioſi hujus Univerſitatis, antequam Collegia extructa eſſent, vixerunt, notato ſimul ſitu earum, quantum quidem ex Matthæi Parkeri, Archiepiſcopi Cantuari-
enſis, Tabula Chorographica, jam A. 1572 publicata, colligere 34 ſqq.
potuit. Deinde ſedecim Collegiorum, nempe Domus S. Petri Aulæ Clarenſis, Aulæ Pembrocianæ, Collegii Corporis Chriſti vulgo Benedicti, Aulæ Trinitatis, Collegii Caji, Collegii Regis, Collegii Reginæ, Aulæ Catharinæ, Collegii Jeſu, Collegii Chriſti, Collegii S. Johannis, Collegii Mariæ Magdalenæ, Collegii Trinitatis, Collegii Emanuelis, Collegii Sidney-Suſſeſſienſis, hiſtoriam ordine ita perſequitur, ut quomodo fun-

 data

fundata, quæ beneficia in illa collata ſint, & quinam Rectores
p. 159 ſqq. illis præfuerint, recenſeat. Tandem his Catalogum Epiſcoporum, qui ab A. 1500 ad A. 1622 in illis educati ſunt, ſubjungit. In Catalogo Rectorum & Cancellariorum hujus Academiæ, quem ex MSto Cottoniano addidit Editor noſter, non nuda ſemper eorum nomina, & anni, quibus vixerunt, comparent, ſed aliquando etiam memorabilia quædam, quæ temporis illo-
197. rum in Academia acciderunt, narrantur. E. c. quod A. 1505 Eraſmo Roterodamo conceſſa ſit facultas incipiendi in Theolo-
198. gia; quod A. 1520 libri Martini Lutheri & aliorum combuſti ſint; quod A. 1535 d. 22 Jun. Jo. Fisherus, qui A. 1514 perpetuus Academiæ Cancellarius factus erat, capite plexus ſit, quod noluerit jurare in verba Regis, qui ſe caput Eccleſiæ Anglicanæ
199. præfecerat: quod A. 1556 d. 6 Febr. oſſa Martini Buceri, qui A. 1550 Cantabrigiæ mortuus, & in Choro B. Mariæ Magnæ ſepultus fuerat, effoſſa & in foro publico combuſta ſint. In
152. Summa Privilegiorum, quæ ultimo loco ſeſe offert, inter alia legitur, quod Eliſabetha Regina aleas nullo tempore, pictas autem cartas tempore Nativitatis Chriſti ſtudioſis conceſſerit.

DANIELIS MAICHELII INTRODUCTIO ad Hiſtoriam Literariam de præcipuis Bibliothecis Pariſienſibus, locupletata annotationibus, atque methodo &c. in duas Partes diviſa.

Cantabrigiæ, impenſis Cornelii Crownfield, 1721, 8 maj.
Plag. 19.
Lipſiæ, apud Jo. Frid. Gleditſchii B. Fil. 1721, 8.
Plag. 16.

HElvetiam, Galliam, & ubi nunc moratur, Angliam, Autor curioſe perluſtrans, nihil reperit, quod magis animum caperet, quam paſſim inventi & in Bibliothecis abſconditi theſauri, ex quibus ſingulis aliquid collegiſſe in uſus ſuos non immerito in magna felicitatis parte ponit. Multitudine vero bibliothecarum inſigniorum ita abundare Pariſienſes, ut nulla urbium illuſtrium cum illa contendere queat, non ibimus inficias,

ficias, at unam illam urbem plus divitiarum ſervare quam gentes omnes reliquas, jactantius aſſerunt nonnulli. Dignæ certe Bibliothecæ Pariſienſes doctiſſimo Autori habitæ ſunt, in quibus novem menſium ſpatio perluſtrandis deſcribendisque induſtriam exerceret ſuam, maxime cum ante eum nemo extitiſſet qui Bibliothecarum Pariſienſium deſcriptionem ediderit ſatis accuratam. Conſiderat vero earum origines, progreſſum, ſtatumque præſentem, ſimulque quæ ad intimam earum cognitionem faciunt, in prima imprimis libri parte exponit, admixtis eruditorum, quos benevolos expertus eſt, elogiis. In altera vero de uſu bibliothecarum, & recta ſtudiorum methodo agitur. Primo loco Bibliotheca regia, reliquis omnino præſtantior, comparet: cujus origines nonnulli a Carolo M. repetunt, at minus recte, quod Cl. Maichelius luculentius demonſtrat. Carolo V & Carolo VI Regibus initia & Ludovico XI potiſſima ejus incrementa vindicat, quorum exempla ſecuti ſint Carolus VIII & Ludovicus XIII, qui Roberti Ganguini & Jo. Laſcaris opera uſi, Bibliothecam hanc inſigniter locupletarunt. Tandem vero Franciſcus I ſingulari in literas & doctos amore ductus, conſtituta & ornata bibliotheca in fonte Bellaqueo, regiis impenſis miſit eruditos ſpeculatores Guil. Poſtellum, Juſtum Penellum & Petrum Gillium, qui ex diſſitis orbis partibus, quicquid præclarum inveniſſent, conſarcinarent, domi vero illi præfecit Guil. Budæum & poſtea Petrum Caſtellanum. Nec eam ornare deſierunt, Henricus II qui ſicut typographiæ ſtudium, collatis honoribus, promovit, ita & bibliothecam multum auxit lege data, ut potiſſimi libri ex typothetarum officinis ei inferrentur; Carolus IX, qui Ranconeti MS. eam auxit, Jac. Amioti & Jac. Aug. Thuani, Bibliothecariorum, conſiliis uſus; tum & Henrici Reges III & IV, quorum hic Catharinæ Medicææ inſignes Codices manu exaratos, privatorum conſilio ſupprimendos, regiæ inſeruit. Ludovicus XIII non modo typographiam regiam in palatio ſuo condidit, ſed & Philippi Huralti libros emit, & Petri Puteani atque Nic. Rigaltii cura in regiam Bibliothecam inferri juſſit. Præfuit tunc illi Hieron. Bignonius, & ſuo merito illuſtris, & nepotis, Jo. Pauli Bignonii

in cujus Viri laudibus evehendis Galli pariter, & exteri, inſignem ejus comitatem experti, merito decertant, quique nunc eidem Bibliothecæ præeſt, nomine clarior. Verum nemo rei magnitudini par fuiſſe videtur ante Ludovicum XIV, cujus auſpiciis ex omnibus orbis regionibus libri ſelecti comportati ſunt, in quo negotio magnam otii ſui partem Mabillonius poſuit; nec minus auſpicata initia præbet Ludovicus XV, qui pupillus tutoris, ſummi literarum Mœcenatis, autoritate, celeberr. Baluzii MSCtos codices in regiam intulit. His incrementis aucta & perfecta Bibliotheca regia, nunc ſedecim mille codices MS. & octoginta mille impreſſos adſervat. Ex his quosdam recenſet Autor plenius, & ex ſuo penu addit, quæ ad intimam Codicum manuſcriptorum cognitionem & uſum pertinent. Partem Bibliothecæ regiæ antea conſtituit theſaurus antiquorum numiſmatum, qui quidem ab eadem juſſu Regis hodie regnantis ſeparatus eſt, propediem tamen eum illa iterum conjungendus. Curam librorum MStorum doctiſſimus Jo. *Boivinius*, regius Profeſſor Græcæ linguæ & Academiæ Inſcriptionum Socius, gerit; impreſſos ſervant *Fourmondus*, Prof. linguæ Arabicæ & ejusdem Academiæ membrum, atque *Deboſius*, Viri docti; cuncta vero moderatur Illuſtris, quem diximus, *Bignonius*, Abbas S. Quintini, Comes Conſiſtorianus, utriusque Academiæ, Inſcriptionum atque Scientiarum, Præſes; nec nullæ ſunt in adminiſtranda Bibliotheca partes Doctoris Sorbonici *Tarnie*. Catalogus Bibliothecæ, quem Nic. Clemens promiſerat, nondum prodiit. Regiam Bibliothecam proxime Colbertina ſequitur, ſi non numero manuſcriptorum, qui ad 18000 accedit, horum præſtantia tamen cum illa comparanda. Origines debet Illuſtri Colberto, Status adminiſtro ſupremo, operam ſuam conferente Steph. Baluzio. Exſtat hic inter MSptos unicus, qui hodie, quantum conſtat, ſupereſt, codex de mortibus perſecutorum, vulgo Lactantii creditus, quod Nicol. Nourrius negare auſus fuit, cui Autor noſter integram Diſſertationem Criticam, parti ſecundæ hujus introductionis inſertam, oppoſuit. Poſſidet nunc Bibliothecam Vir Illuſtris de Seignelay, Filius tanto Patre dignus, qui & in ea ornanda

Biblio-

Bibliotheca, ſtrenue pergit. Proxima inter illuſtres eſt San-Germaniana, Ordinis Benedictinorum ex Congregatione S. Mauri, quæ inſtructa primum a P. Dubrevil ejusdem Ordinis, defuncto anno 1614, aucta inde eſt cura ſociorum, in eccleſiaſticos ſcriptores imprimis propenſa, perfecta demum donationibus Virorum illuſtrium, Darrhii JCti, Valliantii Medici, Baudrantii Geographi, & præcipue Etrei, qui ex Abbate factus Archiepiſcopus anno 1718 fatis functus eſt, & bibliothecam privatam ſuam locupletem Bibliothecæ huic legavit. Præterea & horum monachorum fidei commiſſa eſt Bibliotheca Coisliniana, olim Seguieriana, cujus catalogum Montfauconius dedit. Præſunt illi Viri docti & ad officia prompti, Antonius *la Prade*, & Fr. Martinus *Bouquet*, qui in edendo Joſepho occupatur. Mazariniana Bibliotheca, Mazarini Card. ſumptibus ac opera potiſſimum Naudæi collecta, variamque fortunam experta, olim diſperſa & iterum reſtaurata, nunc etiam præſtantioribus accenſetur; exhibet illa triginta & ſeptem millia librorum impreſſorum, manuſcriptos nullos: qua occaſione Autor adſert teſtimonia non ubivis obvia pro artis typographicæ inventione Moguntiæ aſſerenda. Patet hæc bibliotheca bis in ſeptimana, unde a Cl. Struvio in privatis poni non debuit. Curam vero ejus gerit *Quinaltus*, Doctor Sorbonicus. Recenſetur inde Bibliotheca Facultatis Theologicæ Sorbonicæ, inter antiquiſſimas habenda, quippe jam inde ab A. 1289 illuſtris. Potiſſimam vero ſui partem habet ex dono Cardinalis Richelii, cujus & liberalitati ipſæ debentur ædes. Sed publica illa bibliotheca non eſt, nec laudibus par, quæ ei vulgo tributæ ſunt: qua occaſione iterum de typographiæ origine, maxime in Gallia, Cl. Autor differit. Catalogum ejus adornat Franciſcus *Salomon*, ex ſodalibus. Sanctæ Genovefæ Bibliotheca inter Pariſienſes haud infimum locum obtinet, quæ acceſſione Tellerianæ inſigniter crevit, ut de Muſeo, quod Cl. Molinetus luculentius deſcripſit, nihil addamus. Bibliothecarii munere fungitur *Courayerius*. Jeſuitarum Bibliothecæ Pariſiis duæ ſunt, in quibus eminet quæ in Ludoviciano Collegio viſitur. Inſtrui illa cœpit poſt reditum ab exilio fatali ſodalium in Galliam, & variorum liberalitate ſuccrevit. Præter

MSptos enim, in quibus Græci ſunt trecenti & quinquaginta, impreſſos continet 47000, quorum omnium curam nunc habet Rev. P. *Thoubeau.* Altera, Collegii domus profeſſæ Bibliotheca, ad tantam claritatem nondum pertingit, verum expectat opimam hæreditatem librariam ab illuſtri Huetio, qui per plures annos in hoc Collegio deliteſcit: interim Bibliothecæ magna cum laude præeſt Vir doctus *Tourneminius.* Bibliotheca Canonicorum Abbatiæ S. Victoris originem refert ad A. 1113, quo domus condita eſt, publico vero uſui deſtinata demum A. 1640, & nunc ter per ſeptimanam patet; maxima pars librorum ad Theologicos pertinet, inſignisque præterea apparatus adeſt manuſcriptorum eccleſiaſticorum. A. 1611 Patres Oratorii nati ſunt Pariſiis, & ſimul Bibliotheca eorum cœpit colligi, quæ nunc libris conſtat duo & viginti millibus, in quibus eminent ex Oriente advecti. Ejus regendæ munus tenet Celeberr. P. *Longus*, ejusdem Ordinis. Claret hinc PP. Prædicatorum Bibliotheca, cujus origines pariter ad principium Sec. XVII referuntur: ea liberalitate aliorum aucta, libros nunc complectitur 25000, tum & manuſcripta quædam, præſertim Orientalia, quæ omnia demandata ſunt curæ P. *Le Quien.* Auguſtinianorum diſcalceatorum, prope viam Victoriarum, qui vulgo *Petits Peres* dicuntur, Bibliotheca eſt recentior, & inde plurimum laudis habet, quod ab inopibus condi cœpta, ad minime contemnendum numerum adſcendit, cujus hodie Cuſtos eſt Rev. P. *Euſtachius.* Minimorum Bibliotheca illud peculiare habet, quod abundat liturgiis manuſcriptis, quæ Cel. Launoii donatione eo pervenerunt. Fratres Cœleſtini quoque Bibliotheca ſua gaudent, inſtructiſſimis ab Autore annumerata, cui P. *Becquetus* præfectus eſt. Hinc ad ſecundam Introductionis ſuæ partem procedit Cl. Autor, in cujus primo capite de uſu bibliothecarum Pariſienſium ita agit, ut & ad aliarum uſum applicari pleraque queant, quamvis non tam ad tirones, quam ſubactos ingenio eruditos reſpiciat. Caput ſecundum notitiam hiſtoriæ literariæ exhibet, atque ejus indolem, naturam & præſtantiam tradit; cujus quidem imperitos in Bibliothecarum ſacra non admittit. Artem criticam inter ea refert Autor, quæ ad verum

verum Bibliothecarum uſum faciunt, hinc de ejus natura & præſtantia Cap. III luculentius agit, cumque præcipua Criticæ ars in eo verſetur, ut genuina veterum ſcripta a falſis diſcernantur, artis ejus porro ſpecimen exhibet C. IV, ubi de Libro de mortibus perſecutorum agens, quemadmodum ſupra jam indicavimus, Lactantio eum vindicat contra Clariſſimum Nourrium. C. V fontes hiſtoriæ literariæ eruit, & ejus ideam quaſi exhibet in hiſtoria literaria eccleſiaſtica. Proximum caput ſigillatim Bibliothecarios recenſet Pariſienſes, quodque adeo propius jungi primæ libri parti debet. Omnes non a doctrinæ modo excellentia, ſed, quæ præcipua Bibliothecarii virtus eſt, morum ſingulari elegantia & facilitate Autor dilaudat impenſius, imprimis autem faventes ſe habuiſſe Quinaltum & Longum, gratus teſtatur. Præterea aliquot ex pluribus eruditis Pariſienſibus ſelegit claros Viros, quorum nomen in primis commendat lectori. Latinæ linguæ præ aliis peritiam tribuit Poireto Jeſuitæ; Græcæ vero Boivinio & Montfauconio; Orientalium Longoruæo & Renaudoto; Arabicæ Fourmondo; Syriacæ denique Henrionio. Ab Antiquitatum quoque Eccleſiaſticarum ampla ſcientia atque ingenii & memoriæ felicitate laudari vulgo Pariſiis Longoruæum monet Autor, & ex ejus commercio multum ſe profeciſſe fatetur. Nemini vero concedere in Antiquitatum & Criticæ vaſta ſcientia Montfauconium, inter omnes conſtat, cui tamen jungitur Cel. Harduinus, ad oſtentationem contemtor artis, in qua ipſe eminet. In Hiſtoria literaria Longus, in civili, Gallica præſertim, Daniel & Tourneminius, Jeſuitæ, inter Theologos Sorbonicos Quinaltus eminent. Dagumerius Philoſophus & Diſputator ſubtilis eſt. Inter plures Academiæ Scientiarum inſignes Mathematicos elucet maxime Varignonius. Denique, cum Bibliothecarium vagum & incertum eſſe haud deceat, Autor Capite ultimo de ſtudiorum ſcopo recte inſtituendo accurate agit & ſuccincte.

HISTORIAE BIBLIOTHECAE FABRICIanæ, Autore JOANNE FABRICIO, Pars IV.

Wolſenbuttelii, apud Godofr. Freytagii Viduam, 1721, 4. Alph. 3.

QUam induſtriam Autor in III Partibus Hiſtoriæ Bibliothecæ ſuæ, de quibus diximus in Actis noſtris A. 1717 p. 501, A. 1719 p. 135 & A. 1720 p. 431, adhibuit; eam etiam præſtat in Parte ejus quarta, qua recenſentur volumina formæ quadripartitæ CLXXXIX, iisque præmittuntur IIX formæ grandioris. Longum foret ſingulorum contenta repetere, autorumve nomina indicare; juvabit potius, ipſum evolvere atque inſpicere librum, e quo curioſus lector cognoſcet, in ſcenam hic produci libros Biblicos, patriſticos, juridicos, rituales, dogmaticos, & polemicos, omnes bonæ in ſuo genere notæ, & dignos, qui excuſſi ſint ac recenſiti. Multa quoque reperiet memorabilia, e quibus nos tantum aliqua excerpemus. Obſer-
p. 1. vat nimirum doctiſſimus Vir, ex P. Dominici *Viva* Trutina Theologica Theſium Quesnellianarum demum intelligi, quas ob cauſſas, qualescunque illæ ſint, Theſes Quesnellianæ CI a *Cle-*
14. *mente* Papa XI ſint confixæ. Marqu. *Gudium* a Sam. Sciaſſio heredem factum, magnas illas divitias obtinuiſſe, quibus incompara-
132. bilem ſibi bibliothecam acquiſiverit. *Virum Illuſtrem*, de Pufendorfii jure naturæ & gentium judicium ferentem, eſſe G. G. Leib-
169. nitium. In *manuali parochorum pro Salisburgenſi Provincia*, talem dari formam abſolutionis, ut ea ſignificetur, peccatorum remiſſionem a Deo propria poteſtate fieri, a confeſſionario autem, tanquam miniſtro, ſecundario loco: ſi res cogat, nec ſacerdos in promtu ſit, fideli laico permitti moribundi confeſſionem audire, & deprecatoria hac uti forma: *miſereatur tui omnipotens Deus:* moribundum juberi propriis meritis diffidere, & in ſolo Chriſti merito acquieſcere; ſicut in *Collectario*
170. *Benedictino-Monaſtico*, Neuhuſii A. 1709 edito, dicatur, impletionem boni operis eſſe a Domino, ſpei gratiæ cœleſtis unice innitendum, alendam fiduciam impetrandæ remiſſionis peccatorum, protectionem ſancti eſſe ſub protectione Chriſti,
181. fierique deprecatione. Mich. *Heldingum* ita præfuiſſe Epiſcopatui Merſeburgenſi, ut Proteſtantes nullo modo premeret at-
185. que affligeret. *Weſſelum*, cui libera a Papa Sixto IV data optio, quic-

quicquid vellet, petendi, nihil aliud rogaſſe, quam ut e Bibliotheca ſibi darentur Biblia Ebraica & Græca. *Zephyrinum de Pa-* p. 222.
ce eſſe Georg. Chriſtoph, Ferdinand. a *Ræſewiz*, eundemque 221.
maſcule evincere, Proteſtantes non eſſe hæreticos. Hiſtoriam, 289.
quæ tecte narretur a Scheurlio, eſſe hanc, quod Cornelius *Martini Gretſero*, præſentiam ejus, tanquam Philoſophi, in colloquio Ratisbonenſi ægre ferenti, dicentique, quid Saul inter Prophetas? promte reſponderit: quærit aſinam domini ſui. *Au-* 316.
torem pietatis Academiæ Juliæ eſſe Herm. Conringium. Frid.
Ulr. *Calixtum* ſcribendæ hiſtoriæ immaculatæ conceptionis B. 321.
Mariæ virginis occaſionem ſumſiſſe ex colloquio cum Illuſtri Viro, Ern. Leopoldo a Bockenvorde, dicto Schungel. Juſt. *Vin-*
dicium Severianum, Teli defenſivi fabrum, eſſe D. Wolfg. Tex- 326.
torem, anteceſſorem Altorfinum, deinde Heidelbergenſem.
Sub larva Guſtavi ab *Erskheim* latere D. Frid. Ulr. Calixtum; 332.
ejusdemque eſſe appendicem contra A. R. Sal. *Glaſſii* judicio 333.
controverſias, inter Saxonicos & Helmſtadienſes agitatas, non fuiſſe capitales, & fidem evertentes. Cetera lectori relinquimus: cui ſine dubio gratæ erunt partes operis ſecuturæ, de quibus Autor porro nobis ſpem fecit.

Burcard Gotthelf Struvens Ausführlicher Bericht von der Pfältziſchen Kirchen-Hiſtorie.

i. e.

BURCARDI GOTTHELF STRUVII Juſta Deſcriptio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Palatinæ ſiſtens varias Religionis mutationes & Statum Eccleſiaſticum in Palatinatu Electorali aliisque Regionibus Palatinis a tempore Reformationis ad noſtram usque ætatem.

Francofurti, apud Johannem Bernhardum Hartung, 1721, 4.
Alph. 9.

CUm animadverteret Autor Celeberrimus, poſt Seculi ſuperioris decurſum puriorem Evangelii doctrinam anci-

 piti

piti fortuna hucusque pugnantem dura quæque in Palatinatu expertam fuiſſe, mancos vero eſſe aliorum labores, nec ſine affectibus abſolutos, qui illius conditionem ad noſtra usque tempora deſcribere aggreſſi ſint, conſilium cepit contexendi Hiſtoriam Eccleſiaſticam Palatinam, qua omnes religionis mutationes Eccleſiarumque Palatinarum ſtatum a tempore reformationis ad noſtram usque ætatem perſequi conſtituit, adjectis ſimul religionis, ut ajunt, gravaminibus omnibusque iis, quæ hujus cauſa hucusque acta fuerunt in Comitiis Ratisponenſibus. Totum opus abſolvitur XIV Capitibus, quorum primo de præparatione ad reformationem ante Lutheri tempora diſſerit, eam obtigiſſe dicens regionibus Palatinis felicitatem, ut cum ſpiſſa Papatus caligine laborarent omnes, in mediis tamen tenebris iis exorta fuerit lux Evangelii, accenſa nimirum per Hieronymum Pragenſem, Johannem de Weſalia, Rudolphum Agricolam, Johannem Reuchlinum, Spangelium, Jodocum Gallum & Jacobum Wimpfelingium, ſinceros veritatis confeſſores, quos omnes in Palatinatu ante Lutherum docuiſſe, ſuisque doctrinis præparaſſe ait ad proxime inſtantem reformationem convertendos ab antiquis erroribus ad Evangelicæ veritatis doctrinam animos. Ad ipſam deinde Reformationem progreditur Capite II, quo de initiis reformationis Palatinæ ſub Ludovico Electore ab A.17 usque ad 44 Seculi decimi ſexti loquitur. Scilicet Lutherum ait ad conventum ab ordinis S. Auguſtini fratribus celebratum Heidelbergam veniſſe, ibique diſputaſſe, theſibus, quæ diſputationis materiam ſuggerebant, partim ex Theologia partim ex Philoſophia deſumtis; hanc diſputationem, magna quidem Studioſorum, Monachorum, Aulicorum, nec non Profeſſorum confluente caterva, publice habitam, nec ſine Lutheri laude finitam, toti in Palatinatu reformationi initium dediſſe, ipſum vero Electorem Ludovicum, cognomento Pacificum, ſuperſtitioni Papali licet deditum, ſuis tamen conſiliis promoviſſe magis, quam impediviſſe, docet reformationem, paulo poſt a Johanne Brentio & Theodoro Billicano magno conatu nec infelici ſucceſſu continuatam. Succeſſorem in Electoratu Ludovicus habebat fratrem, Fridericum II, de quo Capite III diſſerit

Autor

Autor doctiſſimus, quo ſtatum Religionis ſub Friderico II Electore ab A. 1544 usque ad A. 1556 exponit, docetque, animum ſatis quidem propenſum in Evangelicæ veritatis doctrinam habuiſſe Fridericum II, ipſum tamen metu externo, quem Imperator incuſſerit, detentum, nondum publice eam profeſſum fuiſſe, usque dum tandem Philippi Melanchthonis conſilio commotus, abrogato Miſſæ ſacrificio, ſacram cœnam ſub utraque diſtribui juſſerit, & de reformando ſimul Heidelbergenſis Academiæ ſtatu cogitaverit, Nominalium, Realium, Thomiſtarum & Scotiſtarum factionibus eliminatis. Nihilominus tamen eundem Imperatoris potentia coactum Cæſareæ declarationi, quam Interim vocant, ſubſcripſiſſe, eodem Capite probat Autor Clariſſimus. Paulo poſt tamen, mortuo Friderico II, incrementa longe majora cepiſſe docet Evangelii doctrinam; Ottonem namque Henricum, qui in regimine ſuccedebat Friderico, ſummo zelo Auguſtanæ Confeſſioni addictum, omni tandem conatu introduxiſſe in Palatinas regiones Religionem Evangelico-Lutheranam, &, remoto ab Academia Heidelbergenſi Profeſſore, Matthia Keulero, Tilemannum Heshuſium, Paulum Einhornium & Petrum Boquinum, qui publice Theologiam profiterentur, ſua autoritate conſtituiſſe, atque ſic tandem Palatinis regionibus Evangelii lucem ſummo ſplendore affulſiſſe, ait Capite IV, quo de ſtatu Religionis ſub Ottone Henrico ab anno 556 ſupra milleſimum usque ad annum 1559 prolixe loquitur. Hanc vero Evangelii doctrinam vix introductam poſt Ottonis Henrici mortem ſubito ſuas mutationes expertam fuiſſe, certum eſt. Fridericus namque III, ex ſtemmate Simmerienſi Elector, de introducenda in ſuas quoque regiones Reformata Religione, quam publice profitebatur, magno conatu laborabat, hoc modo Lutheranorum iram atque odium in ſe concitans, cujus mutationis cauſam ſuppeditabant atque occaſionem exortæ inter Heshuſium & Clebitium contentiones, quas prolixe perſequitur Vir doctiſſimus Capite V, quo Religionis mutationes ſub Friderico III ab anno 1559 usque ad annum 1576 exponit. Mox tamen oppreſſam hanc Lutheranorum Religionem rurſus ſuperiorem factam fuiſſe obſervat, ſub Ludovico

dovico nimirum, filio Friderici natu quidem majori, quem, remotis ab Academia Heidelbergenſi Theologis & Profeſſoribus & per totum Palatinatum circiter mille Paſtoribus una cum Ludimagiſtris, Libro Concordiæ tandem ſubſcripſiſſe, docet Cap. VI, quo mutationes Religionis deſcribit ſub Ludovico Electore ab anno 1576 usque ad annum 1583. Non diu autem durabat felix ille Lutheranorum in Palatinatu ſtatus; mortuo enim Ludovico, Johannes Caſimirus, Comes Palatinus, cui commiſſa fuerat Friderici IV, minorennis adhuc filii ex Ludovico nati, tutela, in id unice incumbebat, ut, Lutheranorum Profeſſoribus plurimisque verbi divini Miniſtris magno impetu regione expulſis, ſola ſancta eſſet & ſuperior Reformata Religio, quæ etiam paulo poſt magis magisque propagari cœpit ſub Fridrici IV & V Electorum imperio, donec tandem bello, ut vocant, tricennali, imprimis vero poſt infauſtum illud Pragenſe prœlium mirifice concuteretur Proteſtantium Religio, introductis ſcilicet Pontificiorum ſacris, Lutheranorum vero & Reformatorum Religione penitus fere oppreſſa, quarum tamen poſterior poſt pacem religioſam Weſtphalicam reſtituta fuit cum detrimento prioris, annisque inſequentibus ſuam ſub Caroli Ludovici & Caroli Electorum regimine autoritatem obtinuit, cum eorum tandem morte ſepulta. Quarum rerum geſta atque hiſtoriam Capite VII, VIII, IX, X, XI ab anno 1583 usque ad annum 1685 prolixe perſequitur Autor doctiſſimus. Jam ad Philippum Wilhelmum, ſtirpe Neoburgica oriundum & Catholicorum ſacris accedentem, una cum Palatinis regionibus Electoratus pervenerat, ſub cujus quidem auſpiciis vi & autoritate ſic dicti Receſſus Svevo-Hallenſis utramque & Lutheranam & Reformatam Religionem ſua ubique libertate gaviſam fuiſſe, animadvertit Capite XII; Gallos vero, cum ii invaderent occuparentque nonnullas regiones Palatinas, in id unice laboraſſe, Cleri Romani artibus impulſos, ut opprimerentur Proteſtantes, & Simultaneum, ut vocant, introduceretur, non renitente Johanne Wilhelmo, qui tum temporis faſces tenebat. Cumque poſtea adjecta quarto Pacis Ryswicenſis Articulo clauſula ſancitum eſſet, ut in iis regionibus, quæ ex poteſtate Gallorum

rum ad Electorem rurſus pervenerant, in eodem, quo bello adhuc ſæviente fuiſſet, ſtatu illibata maneret Romano-Catholica Religio, ingenti ſane cum Proteſtantium diſpendio; hæc tandem tot querelarum & motuum, qui indies aucti fuerunt poſteriori ætate, fundamenta fuiſſe, ait Capite XIII., quo de ſtatu Religionis ſub Johanne Wilhelmo ab anno 90 ſuperioris usque ad annum 16 præſentis Seculi diſſerit. Tandem Religionis ſtatum ſub Carolo Philippo, Electore, qui hodie regnat, ſiſtit, & diuturnas illas propter Religionem exortas in Palatinatu contentiones omnesque motus, horum originem atque progreſſum, nec non Principum Proteſtantium ea in re conatus ab anno 16 hujus Seculi usque ad præſentem, qui nunc vertitur, annum non interrupta temporis ſerie Capite XIV exhibet, atque ita univerſo ſimul Operi finem tandem imponit Autor Conſultiſſimus. Reliqua, quæ addi potuiſſent, conſulto præteriit, ut in Præfatione fatetur, ne in molem excreſceret Opus, reſervanda tamen ejus Continuationi, quam propediem in lucem emiſſum iri, ſpem eruditis injecit Vir Celeb. In deducenda autem totius rei Hiſtoria duces ſibi elegit optimos quosque Scriptores, documenta & Acta publica, tum quæ prodierunt, tum quæ publicam lucem nondum aſpexerunt, imprimis vero omnia, quæ propter modernas in Palatinatu Religionis contentiones in Comitiis Ratisponenſibus acta fuerunt, uno quaſi faſce collecta conjunctim in hoc opere exhibuit. Unicuique Capiti præfixit ſummaria, adjecit animadverſiones, quibus res geſtæ ulterius deducuntur & illuſtrantur. Stylo utitur, ut decet Hiſtoricum, terſo, concinno ſatisque huic ſcribendi generi congruo, ut adeo nullum ſuperſit dubium, quin ſtudium atque labores Viri doctiſſimi calculo ſuo comprobaturi ſint intelligentes rerum illarum æſtimatores.

NOUVEAU DENOMBREMENT DU ROIAUme par Généralitez, Elections, Paroiſſes & Feux &c.

i. e.

REGNI GALLIÆ JUXTA GENERALItates,

tates, Electiones, Parochias, Focos, &c. enumeratio nova, Partibus II.

Pariſiis, apud Saugrain Sen. 1720, 4.
Alph. 4 pl. 16.

GAlliarum reditus omnes (*Finances*) qui in Theſaurum Regis a Quæſtoribus conferuntur, ordinarii ſunt, qui jure Dominii tam e terris ad Dominium ſpectantibus, quam aliis, quæ Regalia & Feudalia (*Roiaux & Feodeaux*) vocantur, juribus; ex importatione & exportatione, feudalium obligationum præſtatione & exſolutione, nobilitatione, ſucceſſione in bona peregrinorum & nothorum; quæ jura ſunt fiſci; & aliis hujus generis Regi cedunt. Deinde extraordinarii ſunt, ex oneribus & vectigalibus (*Charges de l'Etat*) & Donis gratuitis. Accedunt, qui ex ſubſidiis, neceſſitate urgente a Regibus olim petitis, hodie ex arbitrio imperatis colliguntur. Hæc propria ſubſidiorum natura eſt, quanquam nec eorum ſermo ab uſu hodierno abhorreat, qui ſubſidiorum generali nomine id omne comprehendunt, quod quocunque tributi titulo cogitur. Jam onera (*Charges de l'Etat*) ſunt vectigalia ex omni potuum genere (*Aides*); ex Sale venali (*Gabelles*); portoria ex tranſportatione (*doüanes & traîtes foraines*); præcipue tributa ex fundis (*tailles*). Tributa ex fundis conſenſu ordinum regni, id eſt, Nobilium, Cleri & Populi, in Comitiis Provincialibus vel generalibus congregatorum, indixerunt Galliæ Reges ante Ludovicum XI. Ab illo tempore ſumma pecuniæ cogendæ per conſilium Regis (*Conſeil du Roi*) definita, quæſtores generales (*les tréſoriers généraux*) in circulis regni (*Généralitez*) conſtituti tributum conſcribunt. Dividitur autem Generalitas quævis in ſuos veluti pagos; Electiones vocant, (*élections*), quibus ſingulis ſui Electi (*les Elûs*) præſunt. Electorum eſt, pecuniam, a quæſtoribus imperatam, in illa circuli parte, (*dans leur election*) cui præſunt, cogere, diſtributione facta per oppida, vicos, & habitationes ſeu focos, quibus ſingulorum cenſus abſolvitur. Cogunt autem per collectores a Parochia quavis, accepto ab electis diſtributionis rotulo, ad id conſtitutos. Et hæc ratio eſt libri

præ-

præſentis, regnum Franciæ juxta Generalitates, Electiones, Parochias & Habitationes enumerantis: ut Galliam hic contemplari liceat tributariam, (*la France taillable*). Enimvero duplici ratione a methodo hac ſuis locis recedendum fuit. Principio conſtat alicubi in diſtributionis negotio juxta populationes (*communantez*) procedi, ut in locis *le païs de Nebouzan* & *les quatre Vallées* indigenis dictis, quæ loca olim ad Generalitatem Montis Albani relata ſunt; alibi juxta præfecturas ſupremas Intendentium, (*Intendances*) & ſubalternas Baliviorum & Seneſchallorum, quas proprie juſtitiæ vocant, ut in Benearnia & Comitatu Burgundiæ ſeu Generalitate Veſontionis: alibi juxta Diœceſes vel Receptas, ut in Generalitate Montispeſſulani & Toloſana: alibi juxta Viguerias (*vigueries*) Præfecturæ genus in Provincia Narbonenſi, ut in Aquiſextienſi Generalitate. Deinde quod *feu* in hoc negotio ſeu focus audit, non ſemper notat numerum habitationum, ſed ſæpe partem aliquotam cenſus totius, cujus ratione tota aliqua Provincia tributa pendit. Sic Benearniæ pro numero terrarum cultarum undecim mille foci (*feux*) imputantur; focis per parochias ita diſtributis, ut quælibet tanto plurium focorum dicatur, quanto plus pendit. Generalitas Montis Albani hoc modo ex numero focorum alio plane a numero habitationum æſtimatur, & in eo etiam a reliquis diſtinguitur, quod ad ineundum calculum, & habendam rationem fractionum focus quilibet centum partium conſtituatur, quas *Bellugues* vocant. Porro inferioris Navarræ Merindatus a Fano S. Johannis Pedeportuenſis dictus, ex quo a reliquis quinque hujus nominis Præfecturis avulſus eſt, reliquam Navarram a Ferdinando Hiſpaniæ Rege occupatam & 22 Jan. 1506 teſtamento filiæ relictam efficientibus, bis mille librarum Turonenſium cenſetur, nulla habita ratione focorum, quos tamen Autor pro numero librarum in calculum ſuum introduxit, ut reliquorum computum ex focis ingredi poſſent. Quocirca notandum eſt, ſummam focorum Galliæ 3547940 ſub finem operis poſitam ex duplici foci notione capiendam, ne quis pro numero habitationum habeat, quo multis modis eſt minor: perinde ac ſumma Parochiarum 39016 a vera deficit, urbibus

 oppi-

oppidisque ſingulis non niſi pro unica habitis. En tibi quæ ad eſſentiam Operis faciunt, duabus partibus ſecunda hac vice auctius & correctius editi. Quæ vero, ut ſuis utile magis redderet, præterea adjecit Autor, ſequentia fere ſunt. Primo Archiepiſcopatuum, Epiſcopatuum, Univerſitatum, Parliamentorum ſedes & aliarum per regnum jurisdictionum. Ejusmodi ſunt, Cameræ rationum, *Chambres des comptes*; curiæ juri circa vectigalia dicundo, *Chambres des aides*; monetariæ rei, cum locis monetis fabricandis & diſtribuendis deſtinatis, *Cours & Hôtels de monnoye;* Tabulæ Marmoreæ, id eſt, Jurisdictiones Comeſtabilis & Mareſchallorum Franciæ; Jurisdictiones magni ſaltuum & aquarum Magiſtri, *grandes mâitriſes*, & magiſtrorum ſubalternorum per Provincias, *mâitriſes particulieres des eaux & forêts.* Horum, quos & Saltuarios cuſtodes vocant & in *verdiers* & *gruïers* dividunt, officium eſt attendere, ne ſaltus vel aquæ in ſuæ jurisdictionis locis detrimentum capiant, & lites circa hæc ortas diſcutere, vel partibus non acquieſcentibus, magni Magiſtri deciſioni ſubjicere. Hic per vicarium generalem (*ſon Lieutenant général*) auſpiciis tamen primi Præſidis Parliamenti Pariſini, vel alius ex octo Præſidibus, quos a proprio ipſis inſigni cudonis honorarii *Préſidens à mortier* vocant, aſſiſtentibus quibusdam conſiliariis, appellantium lites ultima inſtantia dirimit. Porro ſunt venationis regiæ Præfecturæ, *Capitaineries des Chaſſes;* Jurisdictiones Franciæ Admiralis, *Amirautez*, quæ de iis, quæ mari fiunt, ut & de aſſecurationibus, cognoſcunt; Baliviatus, Seneſchallatus, jurisdictiones Electorum, Præpoſituræ, *Prevôtez*, ſeu tribunitiæ jurisdictiones, Vicecomitatus, Caſtellaniæ, Vigueriæ, quo nomine veniunt Baliviatus Provinciæ Narbonenſis; Scabinatus, Conſulatus, Jurisdictiones Mareſchallorum, *Marechauſſées*, & aliæ, de quarum ratione multa dicere nec præſentis inſtituti, nec pretium operæ eſſe videtur, cum ex ſcriptoribus de jure officiorum & de jurisdictionibus, quorum complures proſtant, a quovis peti poſſint. Adjiciendum ſolummodo eſt, præter ſuperiora haberi hic loca vectigalibus ex potu, ſale, tabaco &c. recipiendis deſtinata; fundos vectigales & exemtos cum redemturis (*fermes*); caſulas militum habi-

habitationi ſervientes, *Caſernes*, cum intervallis, quibus primariæ Regni urbes a Lutetia abſunt; & in enumeratione trium primarum electionum Campaniæ adjici nomina proprietariorum & ſoli naturam, ſpecimine hoc dato, ut Autor ait, ſi quis voluerit reliqua eadem methodo perveſtigare.

HISTORIÆ COELESTIS LIBRI DUO, QUOrum prior exhibet Catalogum Stellarum fixarum Britannicum novum & locupletiſſimum, una cum earundem Planetarumque omnium Obſervationibus, poſterior tranſitus Syderum per planum arcus Meridionalis & diſtantias eorum a vertice complectitur. Obſervante JOHANNE FLAMSTEEDIO A. R. In Obſervatorio Regio Grenovicenſi continua ſerie ab A. 1676 ad A. 1705 completum.

Londini, typis J. Matthews, 1712, fol.
Alph. 6 pl. 8 fig. æn. 5.

Hiſtoriam cœleſtem, triginta fere annorum fructum, quo temporis intervallo plurima molitus eſt Obſervator Grenovicenſis, utinam ipſo editore prodeuntem videre licuiſſet. Nunc cum primum cunctator perpetuus, deinde, ſenio morteque præventus abſolvere, quæ cœperat, non potuerit: bene nobiſcum agi exiſtimandum eſt, quod interim præſens opus ſalvum nobis præſtitum ſit. Et quanquam ſatis conſtet, quam ægre tulerit Flamſteedius, quamque multa deſideraverit circa hanc obſervationum ſuarum editionem; exinde tamen publico bono factum eſt, ut & ſponſorem nactæ ſint tantum, quantus eſt *Edmundus Hallejus*, & Autorem ipſum ad maturandam propriam editionem ſuorum omnium impulerint. Quo in negotio paucis ante mortem menſibus eo pervenerat, ut maximam partem impreſſam penes ſe haberet, mappis tamen cœleſtibus ex Catalogo ſuo conſtructis æri nondum inciſis. Horum jam poſt fata Autoris editionem ſperare licet, ſi modo Aſtronomicæ rei intereſſe videbitur illi, cui præſens opus debetur. Sunt autem in

univerſum Libri duo, quorum primus dividitur in partes ſeptem. Initium fit a Catalogo fixarum ad initium anni 1690 ſeu annum completum 1689 conſtructo; producto fixarum numero ad 2672. Undecim columnis enumeratio ipſa abſolvitur; prima numerum ordinis Britannici ex aſcenſionibus rectis deſumti, altera numerum ordinis Ptolemaici, tertia Tychonici continet, quarta denominationes ponit Stellarum, quinta aſcenſiones rectas, ſexta diſtantias a Polo Boreo, longitudines ſeptima, latitudines octava, variationem aſcenſionis rectæ nona, variationem Diſtantiæ a Polo decima habet, undecima magnitudinem ſubjungit. Pars ſecnnda Stellarum diſtantias ab anno 1676 ad 1689 ſextante captas complectitur; ubi duplex plerumque notatio facta eſt, altera ope diagonalium, altera per cochleæ revolutiones & circuli partes reſpondentes. Tertia pars continet obſervationes Cometarum & Planetarum a 1676 ad 1689, diſtantiis Sextante captis; quarta Lunæ ad fixas appulſus & ab iisdem diſtantias; quinta obſervationes configurationum & Eclipſium Jovialium; ſexta obſervationes macularum ſolarium; ſeptima altitudinum Solis & diſtantiarum a vertice, quadrantibus, nec non Veneris a Sole, refractionum gratia captas, ope Sextantis. Secundi Libri partes ſunt tres: prima planetarum primariorum obſervationes ſelectas; altera Solis & Lunæ; ultima immerſionum Jovialium comitum a 1689 ad 1705 quadrante meridionali habitas complectitur. De his omnibus præfatio Operi præmiſſa docet; Sereniſſimi Principis Daniæ Georgii autoritate e Regia Societate Delegatis cum Flamſteedio conveniſſe, pactionibus ſcripto ſigilloque utrinque firmatis, ut, bipartito opere, Volumen primum obſervationes Sextante A. 1690 notatæ conſtituerent, quibus præmitteretur Catalogus fixarum: poſterius contineret ea, quæ ſubſequentibus annis ope arcus meridionalis obtinuerat. Hac enim poſteriore methodo obſervandi, Catalogum fixarum ex obſervationibus Sextante captis erutum ab A. 1690 verificare denuo eſt aggreſſus. Erat autem utrumque organum tam perfecte fabrefactum, quam hactenus fortaſſe nullum; & quadrans quidem hodie adhuc muro affixus octo fere pedum radii cernitur. Convenerat porro

porro Delegatis cum Flamſteedio, ut hic corrigeret ſphalmata Typographica, & manuſcripta tempeſtive ſubminiſtraret. Subſtitit autem prælum, quod belle ſub initium procedebat, ob Catalogum fixarum plurimis conſtellationibus orbum, multisque nominibus imperfectum a Flamſteedio traditum, deinde ob mortem Optimi Principis. Quo fatis functo Regina mandavit *D. Joh. Arbuthnot*, e Delegatis uni & Medico ſuo, ut opus Regiis ſumtibus imprimendum aſſumtis ſibi eam ad rem neceſſariis adjutoribus curaret, atque perficeret. Juſſu hoc Reginæ reſumta editio eſt, & D. Hallejo, quod deerat, maturandi & ad umbilicum perducendi negotium datum. Hic igitur, acceptis chartis Grenovicenſibus, ante omnia Catalogum fixarum cum obſervationibus ipſis ſumma cura contulit & recenſuit; nec raro Scriptoris vel ſupputatoris vitio admiſſos in Fixarum locis errores correxit & emendavit, & hiatus haud paucos ſupplevit; ſpeciatim vero in Zodiaci ſignis Stellas omnes, quarum uſus frequentior, accurato calculo inſtituto ad examen rigide revocavit. Dein Aſteriſmos ſex Polo proximos, quintam fere Catalogi partem conſtituentes, ſed in MSto deſideratos, ex Flamſteedii obſervationibus eruere, ingentemque calculi Trigonometrici molem ſubire neceſſe habuit: nonnullos autem ex auſtralioribus adjecit. Hæc præfatio totidem fere verbis, ſed de erratis typographicis nil ſpondet, quorum magnus numerus ad finem operis ſub titulo notatus eſt, qui ſuſpicionem plurium in opere occurrentium prodit. Notandum vero, obliquitatem Eclipticæ aſſumtam 2°3 2′9: variationem annuam longitudinis 5″0 a Flamſteedio poni alias conſtat. Quibus poſitis intelligi poterit, unde petenda ſit cauſa diverſitatis locorum fixis ex obſervationibus Pariſinis convenientium, ab iis, quæ aſſignat Catalogus Britannicus. Cujus diverſitatis inſtantiam dabit ſequens laterculus aſcenſionibus quinque illuſtrium fixarum & diſtantiis a Polo comparatis cum illis, quales prodeunt per Tab. IX Tabularum Ludovici Magni, facta reductione ad annum 1689 completum.

Stellæ

Stellæ	Paris.	Britan.	
In Ar. Cornu. præc.	24,09,07 72,14,11	24,08,30 72,14,45	Aſcenſ. R. D. a P.
Aldebaram	64,32,18 74,09,21	64,32,20 74,09,40	A. R. D. a P.
Sirius	97,51,50 106,19,35	97,52,30 106,19,15	A. R. D. a P.
Vindemiatrix	191,40,35 77,22,12	191,41,10 77,22,25	A. R. D. a P.
Fomahant Aq.	340,04,47 121,15,23	340,05,00 121,14,45	A. R. D. a P.

Unentbehrliche Regul der Symmetrie oder des Ebenmaſſes &c.

i. e.

REGULÆ SYMMETRIÆ, EÆQUE IN ARchitectura templi Salomonæi conſpicuæ, & ab eadem mutuo in noſtra opera transſumtæ &c. Autore L. C. STURMIO.

Auguſtæ Vind. Imp. Jerem. Wolf, 1720, fol, Pl. 4 fig æn. 10.

Anweiſung innerer Austheilung der Gebäude &c.

i. e.

INSTITUTIO DE INTERIORIBUS ÆDIficiorum rite ordinandis & diſponendis &c. Eodem Autore.

Ibid. 1720, fol. pl. 3 fig. æn. 7.

Nic. Goldmanns Abhandlung von den Bezierden der Architectur &c.

i. e.

INSTITUTIO GOLDMANNIANA DE ORnatu

natu Architectonico extraordinario, illuſtrata a L. C. STURMIO.

Ibid. 1720, fol. pl. $4\frac{1}{2}$ fig. æn. 5.

POſt mortem Autoris Libri hi, cum aliquot in ſubſequentibus a nobis recenſendis tractatibus, prodierunt, partem facientes Operis Architectonici completi, quod affectavit Autor, cujusque priores partes in Tomo VII Supplementorum nuper edito exhibuimus.

In priori vero horum tractatuum ſiſtuntur pauci Symmetrias vel proportionis inter partes Architectonicorum Operum obſervandæ canones, & iis jungit Autor conjecturas ſuas de figura templi Salomonæi, & illius in Ezechielis viſionibus deſcripti ad imitationem *Villalpandi*, tum a *Goldmanno*, tum a ſe excogitatas, ingenioſas quidem, ſed ſane parum ad veterum Autorum teſtimonia & ſcripta, imo nec ad uſum pro functionibus in templo obeundis accommodata. Quapropter etiam in recenſione earum longioribus eſſe non convenit, præſertim cum eædem dudum in prima editione Goldmanniani Operis, & in *Sciagraphia* templi Salomonæi peculiari tractatu ab Autore exhibitæ, rationes aſſertorum ejus extent.

In altero Tractatu de his, quæ de diſpoſitione partium interiorum domus moneri poſſunt, dein de aperturis feneſtrarum & januarum, & de ipſis interioribus, caminis, ſcalis, cœlis conclavium, aulis ſubdialibus, præcepta generalia breviſſimis traduntur.

Tertii Tractatus materiam faciunt picturæ, quibus exornantur opera Architecturæ. Singularia quæ exhibet de modo pingendi vitra, opere *Muſivo* & quod dicitur *Marqueterie*, depromſit, quemadmodum ipſe indicat, ex *Felibienii* laudatis principiis Architecturæ. *Statuarum* porro & ſculpturæ quam *Baſſo relievo* dicunt Itali, *Hermarum* & *Caryatidum* regulæ expenduntur. Inter alia baſes ſtatuarum laudantur quæ altitudinem $\frac{4}{5}$ ſtatuæ ſuperimpoſitæ habent, & pro peccato ducitur, quod *Marci Aurelii* antiqua ſtatua baſin habeat longe humiliorem, *Ludovici M.* Pariſina multo majorem; tolerabile vero eſſe, quod

Friderici Wilhelmi Statua Berolinenſis altitudinem baſi æqualem habeat. Longas baſibus his ſubjectas inſcriptiones tanquam a veterum genio abludentes ridet. De *Obeliſcis* agens, multo minoribus impenſis, quam quas *Fontana* adhibuit, erectionem Obeliſci celeberrimi coram Vaticano templo conſtituti præſtari potuiſſe ſtatuit. Stupendam lapidis ex quo factus eſt magnitudinem dum miratur, non abſurdam omnino credit opinionem eorum, qui forſan auderent aſſerere artis ope per fuſionem ejusmodi lapides factos eſſe, cujus artis veſtigia occurrant in libro *Fratris Bernardi Amici*, qui in Bibliotheca Auguſta Guelpherbytana aſſervatur. Quæ quidem ars cum deperdita ſit, nec noſtris temporibus, in regionibus ſaltem cognitis, aut cultioribus exiſtant ejusmodi lapidicinæ, quæ tantam molem ſubminiſtrare poſſent, oſtendit modum aliquem ejusmodi obeliſcum ex pluribus lapidibus componendi, qui ad alios etiam uſus v. g. pro turri horodictica ſerviturus intus cavus parari poſſit. De *Encarpis* etiam & *cornibus Amalthea* aliisque hujus generis ornatibus, & demum de vaſibus ad antiquum morem cælatis ultimo loco diſſerit.

Anweiſung, allerhand öffentliche Zucht- und Liebes-Gebäude &c. wohl anzugeben.

i. e.

INSTITUTIO DOCENS ÆDIFICIA PUblica, quæ curæ Orphanorum, liberalibus ſtudiis erudiendorum, ob flagitia caſtigandorum, ſenum, ægrotorum, peregrinorum, & vinctorum cuſtodiæ deſtinantur, rite parari debeant. Autore L. C. STURMIO.

Auguſt. Vind. Imp. Wolfii, 1720, fol. pl. 6½ fig. æn. 15.

Anweiſung die Grabmahle der Verſtorbenen &c. behörig anzugeben.

i. e.

INSTITUTIO DE MONUMENTIS DEFUNctorum

ctorum, Cenotaphiis, Suggeſtibus doloris &c. præcipiens; eodem Autore.

Ibid. apud eundem 1720, fol. pl. 2 fig. æn. 5.

QUæ de priori Tractatu memoranda ſunt pauca exiſtunt. Exemplis enim & figuris illuſtrantur ſaltem, quæ de conditionibus & natura horum ædificiorum aliunde ſatis nota ſunt. *Triviales* ſc. primo *Scholas*, dein *Gymnaſia*, poſt *Academias equeſtres*, ut vocant, ſive in quibus nobiles ſcientiis ſuæ conditioni aptis inſtruuntur; porro *Univerſitates* vel Academias literatorum perluſtrat. Et de his agens exhibet exempla ædificiorum, non ſolum ad actus & uſus Academiarum publicos neceſſarias commoditates, ſed & hoſpitia aliquot centenis ſtudioſis præbentium. Hoſpitales ſuccedunt domus, ut vocantur, inter quæ *Xenodochia*, *Gerontotrophia* & *Noſocomia* præceptis illuſtravit Goldmannus, de Orphanotrophiis inſtitutionem Autor addidit. Occaſione Noſocomiorum novas delineationes templorum rotundæ vel octogennalis & cruciformis figuræ procudit, talium ſcilicet, in quibus ægri in lectis recubantes cultui divino intereſſe poſſunt commode. *Carceris* publici formam cum dat, videtur in oculis habuiſſe maximam & ſceleratiſſimam aliquam civitatem, dum locum plusquam 400 vinctorum capacem ſupponit.

In poſteriori Tractatu pariter brevis eſt Autor. Taxat, quod *Algardius* celebris Architectus Leonis XI ſarcophagum breviorem formaverit quam ut corporis ejusdem longitudini in ſitu jacentis æqualis exiſtat. Effigies vel ſtatuas demortuorum loculis ejusmodi impoſitas non reclinato & directo capite, ſed paullum elevato ſuper culcitram aliove modo, ſtatuendas, quo facies commodius ſpectari poſſit, docet. Imitationem columnæ Trajani proponit pro monumento regis alicujus ſervituram, & de ſuggeſtibus vel *caſtris doloris*, ut vocant, aliquas regulas tradit.

Anweiſung zu Waſſerkünſten, Waſſerleitungen, Brunnen und Ciſternen wohl anzugeben &c.

i. e.

INSTITUTIO DE MACHINIS HYDRAUlicis, aquæductibus, fontibus & Ciſternis publicis; Autore L. C. STURMIO.

Aug. Vind. Imp. Wolf. 1720, fol. pl. 4½ æn, fig. 10.

Vollſtändige Anleitung Schiff-Häuſer oder Arſenale und Anführten oder Seehafen gehörig anzugeben.

i. e.

INSTITUTIO DE NAVIUM ARMAMENtariis & Stationibus, itemque Portibus rite parandis; eodem Autore.

Ibid. apud eundem, 1721, fol. pl. 2½ fig. æn. 4.

QUoniam Goldmannus in ſuo opere de his etiam egit, de quibus prioris Tractatus titulus inſcribitur, Autor, qui in eundem commentari inſtituit, non ſolum ad completam tractationem faciendam, ſed etiam animo, ut quædam in ſuo Tractatu de *Mechanica molarum*, nobis ſupra pariter recenſo, omiſſa ſuppleret, ſeparatim de hiſce egit. Exhibet inter alia imitationem Londinenſis machinæ ſive pompæ aquaticæ, cujus emboli perpendiculariter elevantur, ope planorum inclinatorum in rota aliqua grandi horizontali affixorum. Quoniam vero Goldmannus aſſeruit, ope cochleæ Archimedeæ aquas etiam ad majorem altitudinem quam vulgo omnes, non male ſentientes, judicant, poſſe elevari, tentavit ei patrocinari Autor, deſcripta ejusmodi machina, quæ ope animalium agitata, per infimam claſſem cochlearum prægrandium ſtupendam aquæ quantitatem in reſervatorium primæ contignationis effundit, unde ope novarum cochlearum ex hac contignatione in alteram & tertiam usque promovetur. An vero difficultas agitandarum ſuperiorum cochlearum modo, quem Autor ſibi proponit, expediri valeat, judicium relinquimus his, qui ipſum lecturi ſunt. Æque grandem machinationem requirit *Beſſonii* modus elevandi aquam ab ipſo deſcriptus, in quo commendando elaborat

borat, etſi fateatur, hactenus eum in praxin nondum eſſe deductum. Inter machinas vero in praxin jam deductas proponit *Papinianum tympanum & rotam aquariam Bremenſem.* De *Aquæductibus* ſolertius agit, quam Goldmannus. Præcipue de altero genere aquæductuum, quod tubis utitur; in quibus, quomodo juncturæ ſive anguli, qui & genua vocantur, ſint præparandæ, docet. Poſtea & de fontibus fodiendis & ciſternis parandis, piſcinisque tandem faciendis diſſerit.

Altero libello de ædificiis, ubi naves ædificantur, & neceſſaria ipſis inſtrumenta conficiuntur, primo loco agit. Quæ ſint requiſita ejusmodi ædificii enumerat, & minus apto Goldmanniano exemplo aliquod melius & commodius ſubſtituit. Simile inſtitutum tenet in tractatione de portubus, ubi modum artefacti cujusdam portus ex ſtagnante aliqua palude prope mare parandi non inconcinne exponit. De cætero lectores ad *Cornelii Mayeri* & *Baratterii* notos tractatus ablegat.

Ceterum ſub finem monendum, ab editore horum operum indicem adjectum eſſe in omnes hoſce tractatus junctim, una cum generali titulo, quo horum opuſculorum idem uſus eſſe poſſit ac pridem editi Operis Goldmanniani.

JOANNIS OLEARII DE STILO NOVI TEſtamenti Liber longe plurimis mendis purgatus, animadverſionibus & Notis illuſtratus, neceſſariis quibusdam Capitibus auctus, & indice accuratiore inſtructus a JOANNE CONRADO SCHWARTZ, S. Theol. Lic. Eloqu. & Græc. Linguæ Prof. Publ. in Gymn. Cob.

Coburgi, impenſis Pauli Guntheri Pfotenhaueri, 1721, 8.
Alph. 1 pl. 10.

UT de Oleariano libro jam ſæpius excuſo nihil dicamus, non tacenda tamen nobis eſt Cl. Schwartzii opera, qui paſſim heic oſtendit, multo terſiorem habendum eſſe ſtilum novi fœderis, quam multi fortaſſis antea exiſtimarint. Accurate enim docet, *ἀνάγκην ἔχειν, ἔχειν παρῃτημένον, ζητεῖσθαι ἐν τοῖς οἰκονόμοις, κελεύειν ἀπαχθῆναι, σὺ ὄψει*, & alias hujus ge-

neris locutiones minus recte ad Latiniſmos referri; nec ad Hebraiſmos pertinere verbum ἄρχεσθαι, quum ipſam verborum, quibus additur, actionem ſignificat, non inceptionem; aut Hebraiſmi notam eſſe, quum tertia perſona pluralis verborum reſciſſo nominativo nominis ἄνθρωποι, vel ſimilis cujusdam, ponitur pro imperſonali paſſivo; vel Hebræorum more dici ἀποκριθεὶς εἶπε: nec ἐν μέσῳ, εἰς μέσον, quum mediam loci partem non ſignant, nec εὑρίσκεσθαι, quum pro *eſſe, apparere*, nec ἀνατολὴ, quum pro *germine*, nec ξύλον, quum pro *arbore* ponitur. Plurimæ item loquendi formulæ colluſtratæ ſunt ex profanis ſcriptoribus elegantiſſimis & ſpectatæ autoritatis. E.g. p. 21 ἀπὸ μιᾶς, p. 32 ἔν τίνι ἀρτυθήσεται, p. 39 εἰς ἑαυτὸν δὲ ἐλθὼν, p. 44 εἰπεῖν ἐν ἑαυτῷ, p. 54 ὅταν ἐκλίπητε, p. 80, 81 διὰ μέσε Σαμαρείας, p. 100 εἰς τέλος, p. 113 Φυλάττειν νόμον, p. 123 προσευχῇ πρoσηύξατο, p. 463 καὶ οὗτος vel καὶ αὐτὸς pro ὅς. Uſus vocabulorum Græcorum N.T. etiam bene ſtabilitus eſt. Ita p. 28 demonſtratur, ψυχὴν apud præſtantiſſimos Scriptores ſæpe pro *homine* poni; p. 67 πεσεῖν pro *vi & autoritate ſua privari*; p. 76 ὅταν interdum nihil, ſaltem parum, ab ἐὰν differre; p. 86, 88 πίςιν *fiduciam*, & πιςεύειν *fidere* ſignare; p. 87 εἰς nonnunquam poni pro *quod attinet ad*; p. 109, 110 δικαιῦν pro *juſtum cenſere*; p. 117 εἰπεῖν pro *jubere*. Interdum novæ ſignificationes vocabulorum Græcorum oſtenduntur, v. g. verbi ἐγκεντρίζεσθαι, quod etiam de ſtirpe dicitur, in quam injicitur ſarmentum. Interdum vocabulorum quorundam dignitas vindicatur, v.g. nominis κοιλίας pro *quovis cavo loco*, Ἱεραθήκης & μέγα adverbialiter poſiti, ac verbi βασανίζεσθαι, quod apud Iſocratem reperitur. Interdum belle corriguntur loci ſcriptorum veterum, qualis eſt p. 37 Pollucis X c. 5. Ἡ χρῆσις γὰρ, ἀπὸ τῦ σαρῦ (non σαρῶ) καὶ ἐπὶ τὺς οἰκέτας (non τῆς οἰκείας) ἄγει τὔνομα. *Uſus enim a ſcopis ad ſervos transfert nomen* σαρῦ. Scilicet ut nomen *canis* ad ſervos traductum eſt apud Latinos, quia canis officium interdum ſuſtinerent: ita σαρὸς apud Græcos pro *ſervo verrente domum ſcopis* accipitur. Loca veterum Scriptorum ab Oleario citata,

tata, quia tum capita & Sectiones libris antiquis fere nondum erant adſcriptæ, ſignavit Editor plurimis locis. v.g. p. 38, 39, 107, &c. Nec pauca ab operis corrupta loca ſcriptorum ſacrorum correxit, quæ comparatio hujus & veterum Editionum facile docebit. Scriptoribus iis, qui de dialectis Græcis egerunt, plurima ab Editore moventur dubia, ita ut quæ vulgo Atticis tribuuntur uti propria, ea cum Jonibus communia eſſe oſtendantur. Poetica dialectus exploditur, & quæ illi tribuuntur, ea pleraque Jonibus & aliis aſſeruntur. Ipſa dialectus Attica ex reliquis dialectis conflata eſſe ſtatuitur, autoritate Xenophontis: exploditurque eorum opinio, qui Atticæ dialecto plus tribuunt, quam reliquis, quaſi nobilitas ſoni vocabulorum ex una ſola regione judicanda magis eſſet, quam ex uſu ſcriptorum magnæ autoritatis, ſapientiæ, doctrinæ quarumvis regionum. Neque vocabula, quæ idiotica putavit Salmaſius, omnia comprobantur pro talibus. Ipſa vero idiotica dictio curatius oſtendetur ab Editore alias. Interjecta ſunt præterea huic editioni tria capita nova. Unum agit de ſtili elegantia, in quo Longini præcepta primum explicantur, deinde ad exemplum Scriptorum Sacrorum applicantur. Inter alia hic Sanctitas Chriſti elucere dicitur ex uſu vocabuli *ζιζανίων*, cujus dignitatem non parum inquinari putat Cl. Editor Germanico nomine Unkraut. Alterum caput de verſione LXX Interpretum agit. In quo primum Jo. Alberti Fabricii judicium de illa collaudatur. Tum Editoris ſententia de verbis ejus & verborum ſignificationibus exponitur. Hic itidem multa defenduntur, quæ vulgo in ſtilo eorum reprehenduntur. Cumprimis lectu digna videntur, quæ adverſus Lambertum Bos diſputantur de verſu ſexto Pſalmi XXXIX. Aperitur etiam ratio, cur Paulus *πλοῦτον* poſuerit pro *multitudine*. Nec reliqua minus ſtudioſe perluſtranda putemus. Tertium caput Arabiſmos tractat Novi Teſtamenti. Quos neceſſario ibi quærendos putat Editor, ut Pauli ſalva ſit autoritas & ſignificatio plana & commoda aliquorum verborum, quæ ex aliis linguis non tam commode demonſtrari & lectoribus doctis probari queat. Promittitur etiam Tomus alter de Stilo N. T. ubi quæ reliqua ſunt, congerentur & diſceptabuntur diligenter.

Hi-

Hiſtoriſche Beſchreibung von dreyen in und bey der Güldnen Aue gelegenen Oertern &c.

i. e.

DESCRIPTIO HISTORICA TRIUM IN AUREA Tempe & prope adſitorum locorum, Monaſterii nempe Ciſtercienſis S. Georgii, quod Kelbræ viſitur, una cum narratione Genealogica de Comitibus Beichlingenſibus, tum & veterum Palatinarum Imperialium Alſtedii & Walbuſæ; Autore JO. GEORG. LEUCKFELDIO.

Lipſiæ, & Guelfferb. ap. God. Freytagii Vid. 1721, 4. Alph. 2.

PErgit in eruenda Germaniæ Hiſtoria monaſtica Maxime Rev. Autor.
C. I. Kelbra, Præfectura hodie Schwartzburgenſis, in pago, quem olim
Helmingove a fluvio Helme præterlabente, nunc Guldenayiam ſeu au-
ream Tempe ab amœnitate dictum conſtat, ſita, olim Comitibus Ro-
II. tenburgi, iisque emortuis, Beichlingicis paruit, a quibus fundatum il-
lic Seculo XIII videtur Monaſterium Virginum Ciſtercienſium S. Geor-
gii. Qua occaſione Noſter de Beichlingenſium familia paullo accuratius,
quam a Knauthio & Tentzelio antea factum, agit, cunctaque monu-
mentis fide dignis ac tabulis Genealogicis illuſtrat, quæ hic repetere
III. non licet. Hinc ad monaſterium reverſus, ordinem Virginum Ciſter-
cienſium a Bernardo Claræuallenſi Sæc. XII inſtitutum probat, *ſimul*que
obiter monet, Ciſtertium Bis tertium Sartorii, de quo dictum in Actis
Erud. 1702 p. 236 ſqq Germanice quoque Pragæ 1708 in 4 emendatius pro-
IV. diiſſe, cujus quidem & ipſe errata quædam corrigit. Enumeratis dein-
V. de Eccleſiis, in quas Jure patronatus gaudebat Monaſterium, pergit ad
VI. Indulgentias eidem conceſſas, ac denique bona, quæ ad illud quocun-
VII. que modo pervenerunt, Præpoſitos porro & Abbatiſſas recenſet, &
VIII. IX. quoniam S. Georgio conſecratum eſt hoc monaſterium, de hoc quoque
ſigillatim agit. Cumque traditum ſit, in vicinia illa cultum fuiſſe olim
X. idolum *Püſtrich*, quod Rotenburgi demum ante annos ducentos effoſſum
eſt, de eo haud vulgaria profert, nec tamen diſſimulat, & novam eſſe
vocem, nec antiquitus impoſitam, & fieri potuiſſe, ut a Monacho quo-
dam rerum Chymicarum ſtudioſo animi cauſa conflata fuerit hæc ſtatua,
maxime cum ejus apud antiquos nulla fere fiat mentio. Non minori in-
duſtria Cl. Autor in ſubjunctis Antiquitatibus Alſtedenſibus & Walhuſa-
§. 52. nis verſatur, quibus eruditam diſſertationem de Palatinatu Saxoniæ,
33. interſeruit, in qua præter alia diſquirit, num Palatinatus ſoli familiæ E-
lectorali Saxoniæ, juraque adeo Electoralia propter Palatina-
tum eidem conveniant, nec ne.

) o (

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Novembris Anno MDCCXXI.

SEPTUAGINTA INTERPRETUM TOMUS II, continens V. T. libros Hiſtoricos omnes, ſive Canonicos ſive Apocryphos; quos ex antiquiſſimo codice Alexandrino accurate deſcriptos, ope aliorum exemplarium ac priſcorum ſcriptorum, præſertim vero Hexaplaris editionis Origenianæ, emendavit atque ſupplevit V. Cl. JO. ERNEST. GRABE, Boruſſus, S.T.P.

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, 1719, 8 maj.
Alph. 4 pl. 1.

QUod plurimis eruditorum accidit, ut eos, antequam inchoata opera perficerent, ex hac vita emigrare oporteret, idem prorſus contigit V. Cl. *Jo. Ern. Grabio*, qui anno hujus Seculi undecimo, ætatis ſuæ quadrageſimo, cum novam Bibliorum Græcorum editionem nondum abſolviſſet, vitam cum morte commutavit. ***Primum*** ejus Tomum, qui Octateuchum ſeu quinque libros Moſis, Joſuæ, Judicum & Ruth ſiſtit, anno hujus Seculi ſeptimo, ***ultimum***, in quo Pſalmorum, Jobi, tres Salomonis libri cum Apocryphis ejuſdem, nec non Siracidæ Sapientia habentur, anno nono dedit, quorum ille in his Actis A. 1708 p. 193, hic vero A. 1710 p. 469 prolatus eſt. Duorum vero, qui interponi debent, editionem ideo diſtulit, quod neceſſaria ad eos emittendos ſubſidia, quorum impetrandorum ei ſpem Viri eruditi in Gallia, Germania, Italiaque fecerant, ſibi adhuc expectanda eſſent. Interim ſuis Collectaneis Manuſcriptisque ſapienter proſpexit, dum eorum curam cuſtodiamque per tabulas teſtamenti Cl. Hickeſio & poſt eum D. Smal-

Smalridge detulit, & ut tandem in Bodlejana Bibliotheca perpetuo ſervarentur, juſſit; laudeque afficiendi ſunt executores ejus teſtamenti, Illuſtris Bonetus & Nelſonus, quorum cura factum eſt, ut duo diu deſiderati, qui reſtabant, Græcæ verſionis Tomi a prioribus nulla ratione diſcrepantes prodirent. (v. Act. Erud. A. 1713 p. 166.) Tomus hic *ſecundus* libros Regum quatuor, duos Paralipomenon, Estheræ, Tobiæ, Judithæ, duos Eſræ, quorum prior apocryphus & quibusdam tertius audit, poſterior autem verus ex Hebræo translatus eſt, verba Nehemiæ & quatuor libros Maccabæorum complectitur, ſeque perdoctis prolegomenis commendat. In illorum Cap. I ii, qui eorum ſunt Autores, a Grabio alieno inprimis fuiſſe animo Lambertum Bos narrant, qui codicem Bibliorum Græcorum Vaticanum Alexandrino multum prætulerit, & ſecundum illum Biblia Græca Franequeræ anno hujus ſeculi nono ediderit, & æque Tomum Bibliorum Græcorum Grabii ſecundum, ac Grabius ea, quæ contra ipſum Boſius diſputaverat, non viderit: & hic certe, ſi in vivis permanſiſſet, non intermiſiſſet ſuam tueri methodum, de qua, antequam eam elegerat, eruditorum judicia exploraverat. §. 1, 2. Tum Romanam Sixti Græcorum Bibliorum verſionem ad Vaticanum exemplar minus accurate eſſe expreſſam, & ejus primos editores lectiones manu recenti additas a priſcis, quas librarius originarius ipſe deſcripſerit, non recte diſtinxiſſe notant, qua ratione factum ſit, ut quilibet ignoraret, num veram codicis Vaticani lectionem, an alicujus cenſoris temerariam præ manibus habeat lectionem, id quod Richardus Simonius, qui tamen pro Romano contra Alexandrinum codicem ſententiam tulerit, ſit faſſus. §. 3. Quare merito Franequeranæ editioni palmam reddunt dubiam, in qua omnia editionis Romanæ vitia compareant, & recte optant, ut nova Vaticani Codicis prodeat editio, ex qua intelligi poſſit, num impreſſi codices veterem an novam referant lectionem. §. 4. Et quemadmodum Cl. Boſio id dant laudi, quod neglecta Romana Hoſ. III, 3 omiſerit ἑτέρῳ, Joel. II, 16 poſuerit παστοῦ, & v. 30 δώσω, atque III, 17 ὄρει ἁγίῳ addiderit μου, §. 5; ita eidem vertunt vitio, quod non 2 Reg. XIV, 17 εἴη δὴ ὁ λόγος, & Hoſ. XIV, 2 ἠσθένησας exprimi

mi curaverit, Hoſ. IV, 6 ad *ἱερατεύειν* addiderit *μὴ*, & XIII, 2 præpoſitionem ante *γυναικὶ* omiſerit, quæ tamen Grabius quatuor annos ante quam Boſius ſuum opus perficeret, obſervaverit, & in epiſtola ad Millium publice monuerit. §. 6. Hinc porro tradunt, Codices Vaticanum & Alexandrinum & editiones Aldinam atque Complutenſem maxime inter ſe diſcrepare, nec non & codices omnes impreſſos, qui ex illis quatuor tantummodo profluxerint, vitiis ſcatere, quare ad hæc tollenda editionemque emendatiſſime exhibendam, quamplurimos Viros celebres, in Hiſpania Demetrium Cretenſem, Venetiis Andream Aſulenum, Romæ Antonium Caraſam, Pariſiis Jo. Morinum, in Anglia Brianum Waltonum & Jo. Pearſonum, & in Friſia Lambertum Boſium animum applicaſſe, §. 7, nullum autem inter omnes illum ſcopum certius attigiſſe, aut ad eum propius acceſſiſſe doctiſſimo Grabio, qui Alexandrinum codicem ſibi edendum elegerit, in eoque omnem curam poſuerit, ut ſua editio eum exacte referret, & ne latum quidem unguem ab eo diſcederet; & id ita etiam factum eſſe, inſtituta accurata collatione a celeberrimis duumviris, Pottero & Wanley, eſſe deprehenſum. §. 8, 9, 10. Deinde pluribus de hujus editionis ipſiusque Græcæ verſionis ortu & dignitate diſſerunt, & quid de hac re ſentiant, aliquot propoſitionibus, quibus continuo explicationem ſubjiciunt, expromunt. §. 11. Sunt vero iſtæ: I *Septuaginta Interpretum verſio, quæ verſionum omnium eſt antiquiſſima, fuit Alexandrina, eaque ſub Ptolemæo Philadelpho facta.* §. 12, 13. II *Hæc verſio ante ſeptimum Philadelphi annum facta non fuit.* §. 14-17. III *Hæc verſio diu fuit ſola.* Et quidem per quadringentos circiter annos. §. 18, 19. IV *Hujus verſionis, quæ ἡ κοινὴ vocabatur, ſumma fuit in Eccleſia primitiva autoritas.* §. 20, 21. V *Prima hujus verſionis depretiatio orta eſt non aliunde, quam ex odio Chriſtiani nominis.* §. 22, 23, 24. Et hæc argumentis, a ſecundæ verſionis autore, a feſti Judaici mutatione in jejunium, & a moribus Judæorum deſumptis, corroboratur. VI *Depretiatio verſionis LXX viralis ſecunda ex ipſius puritate deperdita fuit.* §. 25. Secunda depretiatio eſt illis ea, qua minoris autoritatis facta eſt, non tantum apud Chriſtiani nominis

hoſtes Judæos, aut hoſtes Eccleſiæ, ſcilicet Hæreticos, ſed etiam apud ipſos Chriſtianos eosque Catholicos & Eccleſiæ Doctores. §. 25. VII *Non eſt LXX Interpretum verſio, ut nunc ſe habet, ad præjudicium textus Hebraici prædicanda.* §. 26, 27. Concedunt, LXX viralem verſionem hodie puram non extare, & Hebræum codicem ab ea diſcrepare, ea propter tamen non ſtatim varias hujus lectiones fingendas, ſed potius utriusque conciliationem tentandam eſſe præcipiunt, id quod feliciter ceſſerit Pocockio & Pearſono, ut locis 1 Reg. IV, 19, XIII, 6, Jer. XXXI, 32 & Jeſ. XXVIII, 16 oſtendunt. VIII *Non eſt Maſorethica lectio, ut nunc ſe habet, ad præjudicium LXX viralis Interpretationis & Eccleſiæ Primitivæ mordicus ubique defendenda.* §. 28, 29. Facillimum fuiſſe, ut tractu temporis aut verba aut literæ aut apices in textu Hebræo mutarentur, LXX interpretationem intra centum annos factam eſſe, ex quo conſignatus ſit canon V. T. & ab Esdra traditus, Maſorethicam vero diligentiam, qua nunc ſtabilitus ſit textus Hebraicus, mille circiter annis poſt Esdram acceſſiſſe, contendunt, refutantque Hieronymum, qui ſibi perſuaſerit, multa in codicibus Hebræis legi, quæ in Græcis non habeantur, & eam in rem loca quinque, Matth. II v. ult. Joh. VII, 38, XIX, 37, 1 Cor. II, 9, Matth. II, 15 produxerit. IX *Priusquam quicquam poſitivi ſtatuatur in hac collatione Textuum de Hebræi Græcique Textus ſinceritate & de genuina LXX verſione, conſulendi ſunt codices Hebræi Manuſcripti & adornanda eſt editio τῶν ὀ quam fieri poteſt maxime pura.* §. 30, 31, 32. In hujus propoſitionis expoſitione tradunt, varias lectiones in codice Hebræo fuiſſe ante Maſorethica tempora, & poſt ea etiam quasdam ortas, ut pateat ex 2 Par. X, 14, in quo ſecundum textum Maſorethicum ſint duæ voces אבי הכביר *pater meus aggravavit*, cum in aliquibus codicibus, iisque vetuſtioribus, una vox אכביר inveniatur, quæ etiam in Complutenſi extet, unde judicant, optimum factum eſſe, ut omnes Veteres codices Hebræi & Hebræo-Samarithani inter ſe conferantur, eorumque tam differentiæ quam conſonantiæ notentur, tandemque addunt: *Quod opus utinam aliquando doctiſſimus Vir Thomas Mangey, qui optime poteſt, ſuſci-*

ſuſciperet, perficeret, ederetque. De LXX virali idem ſentiunt, cupiuntque, ut quis eam collatis, quotquot haberi poſſunt, MS. & Patrum, inprimis qui ante Origenis ætatem vixerunt, nec non Joſephi Philonisque ſcriptis ſumma cum diligentia adornet. X *Veritas Hebraica a verſione hac, & præſertim ab exemplari ejus Alexandrino nunc edito, melius ſæpe quam vel ab ipſa Maſorethica lectione dignoſci & diſtingui poteſt.* §. 33. Nolunt quidem ad præjudicium Textus Hebraici, quemadmodum nunc Maſoretharum induſtria exſtat, hanc LXX viralem verſionem, ut nunc ſe habet, prædicari; nihilominus tamen contendunt, veram Hebraicam lectionem haud paucis in locis melius a præſentibus LXX interpretationis codicibus, quam a codicibus Maſorethicis poſſe dignoſci & diſtingui, quoniam ex ſententia Hieronymi ab Evangeliſtis & Domino noſtro nec non Apoſtolo Paulo multa quaſi de Veteri Teſtamento prolata ſint, quæ in noſtris Hebræis codicibus non ita hodie legantur, & Joſephus, qui Hebræos codices contulerit, alia exemplaria viderit, quam quæ nobis Maſorethæ tradiderint. XI *Ab Hebraica veritate non eſt cenſenda aliena hæc verſio, nec a Codice Maſorethico Codex Alexandrinus diſſentiens in locis plurimis, ubi a ſe invicem diſſentire videntur.* §. 34-39. Hoc ex Pocockii, Pearſoni & illius labore & conatu, de quo Waltonus in Bibl. Polygl. proleg. *Novi virum doctiſſimum linguarum peritiſſimum, qui quarundam Hebrææ vicinarum ſubſidiis aliisque fundamentis nixus verſionem Græcam cum Hebræo reconciliare feliciter incepit, & libros quosdam perfecit*, patere monent, & hujus apparentis diſſenſus cauſam in linguæ Hebraicæ notitiam imperfectam, & dialecti Alexandrinæ atque Helleniſticæ imperitiam rejiciunt. XII *Nonnulla in ſe continet codex Alexandrinus, quæ Alexandrinorum dialectum maxime ſapiunt.* §. 40-45. Ubi contendunt, hanc verſionem inter κειμήλια Bibliothecæ Alexandrinæ eſſe conſervatam, in Synagogis Alexandrinis prælectam, præ ſe ferre voces Alexandrinas, & ita hunc codicem ratione ſcribendi literas ſuam antiquitatem docere. XIII *Hexaplari Origenis editioni Alexandrinus codex magis eſt conſonus quam Vaticanus: & quoad loca, ubi Romana editio habet addi-*

tamenta ex Theodotione, Heſychio, aliisque, codex noſter Alexandrinus ibi rariſſime videtur corruptus. §. 45, 46. XIV. *Nonnulla in ſe continet codex Alexandrinus, quæ ad Eccleſiam Alexandrinam reſpiciunt.* §. 47-63. Hanc propoſitionem 1) ex epiſtola Athanaſii ad Marcellinum, 2) ex hypotheſibus Euſebii, 3) ex canonibus Apoſtolorum, 4) ex canticis annexis, 5) ex tertio Maccabæorum libro, 6) ex Pſalmis Salomonis, 7) ex traditione Eccleſiæ Alexandrinæ probant. XV *Codex Alexandrinus ex literarum ductu, accentuum defectu notisque aliis characteriſticis ſummæ vetuſtatis eſſe demonſtratur: & licet ætatem ejus aut ſeculum, quo deſcriptus fuerit, præciſe hinc determinare haud ſit poſſibile, mille tamen annorum ad minimum antiquitatem indubie præ ſe fert.* §. 54, 55. Summæ vetuſtatis codices eſſe, 1) Vaticanum exemplar celebratiſſimum, 2) librum Geneſeos Cottonianum, 3) Fragmenta Sarraviana ſive codicem Voſſianum, 4) Membranas Thuanæas ſive codicem Colbertinum, 5) Cod. Paralipomenon Cantabrigienſem, 6) Eſtheris Arundelianum, 7) Eſaiæ Rupifucaldinum, 8) Prophetarum minorum Barbarinianum. concedunt facile, ſed ſimul ſibi dari poſtulant, ut codici Alexandrino antiquitas mille annorum, quam varia criteria probent, tribuatur. XVI *Nonnulla in ſe continet codex Alexandrinus, quæ ante ſeculi poſt Chriſtum quarti medium ſcripta non fuerunt: adeo ut ante ſeculi ejusdem finem vix ſcribi potuerit.* §. 56. XVII *Nihil in ſe continet codex hic Alexandrinus, quod ad ſeculi quarti finem vel ad quinti initium non poterit adaptari, cumque ætate illa probe convenire.* §. 57-60. Diluunt hic ea, quæ ad probandum codicem hunc eſſe multo recentiorem proferuntur argumenta, nimirum Epiſtolam Athanaſii a Grabio editam eſſe ſuppoſitiam, ſub finem Seculi octavi demum extitiſſe, & interpretationi ejus in Pſalmos eſſe præmiſſam, codicem ipſum a monacho quodam Acæmeto in uſum cujusdam monaſterii Acæmetorum ſeu Acumenſium monachorum eſſe exaratum, & continere canticum Mariæ, quæ in eodem epitheto θεοτόκȣ ornetur. XVIII *Librorum hiſtoricorum genuinam LXX Interpretum verſionem exhibet codex Alexandrinus: non autem Romanus.* §. 61-63. XIX *Codex Alexandrinus aut antiquiſſimus eſt, aut*

inter

inter antiquiſſimos numerandus. §. 64-66. XX *Codex Alexandrinus ea non habet, quæ a veteri LXX verſione abſuerunt.* §. 67. XXI *Codex Alexandrinus ea habet, quæ olim in LXX editione fuerunt, ſed a textu Hebræo abſuerunt.* §. 68, 69. Verba 2 Reg. Cap. ult. v. ult. καὶ προσέθηκεν Σαλωμὼν ἐπὶ τὸ θυσιαςήριον ἐπ' ἐχάτῳ, ὅτι μικρὸν ἦν ἐν πρώτοις. 3 Reg VIII, 53 Τότε ἐλάλησεν Σαλωμὼν ὑπὲρ τȣ͂ οἴκȣ, ὡς συνετέλεσεν τὸ οἰκοδομῆσαι αὐτὸν, ἥλιον ἐγνώρισεν ἐν ȣ̓ρανῷ. Κύριος εἶπεν τȣ͂ κατοικεῖν ἐν γνόφῳ. οἰκοδόμησον οἶκόν μȣ, οἶκον εὐπρεπῆ σεαυτῷ, τȣ͂ κατοικεῖν ἐπὶ καινότητος, ȣ̓χὶ αὐτὴ γέγραπται ἐν βίβλῳ τῆς Ὠδῆς, quæ in codice Alexandrino leguntur, olim in Hebræo non abfuiſſe, ſibi veroſimiliter perſuadent. XXII *Codex Alexandrinus partium diſpoſitione cum vetuſtiſſima LXX concordat.* §. 70. XXIII *Codex Alexandrinus cum Scriptorum veterum allegatis & citatis concordat.* §. 71-74. Grabium diſſertationis a ſe conſcriptæ annoque hujus Seculi ſexto, quoad quinque libros Moſis & hiſtoriam Joſuæ, perfectæ, *de Alexandrini Codicis præ Vaticano præſtantia* meminiſſe, ſed eam inter libros MSS. & ſchediaſmata ejusdem, quæ poſt ejus obitum ad teſtamenti curatorum manus pervenerunt, minime repertam eſſe, monent. XXIV *Libri, qui in hoc volumine continentur, vel ex Hebræo in Græcum translati ſunt, vel Græce ſcripti ſunt, perque Senatum Alexandrinum probati.* §. 75-78. Cap. II de methodo in his libris hiſtoricis obſervata agunt, & cum induſtriam atque fidem, quam in ornanda eorum editione adhibuit Autor, laudant, tum eum exemplar Alexandrinum prorſus ut ſe habet dare, emendationes atque ſupplementa minori charactere exprimere, vitiatam ſcripturam in margine adjectam habere, manifeſtos autem librarii errores peculiares etiam & obſoletos quosdam ſcribendi modos ideo ſimul non ſiſtere, quoniam lectori in legendo impedimento ſint, tradunt. Ut tamen natura hujus codicis Alexandrini perfecte cognoſcatur, non tantum ejus loca in Bibliis Polyglottis Waltoni vel non recte expreſſa vel plane omiſſa, ut & ſphalmata ejusdem, quæ in his libris hiſtoricis ſe offerunt, in margine autem cujusque loci commode exprimi non potuerunt, a Grabio tamen obſervata ſunt, recenſent, ſed

etiam

etiam qua ratione in eodem vocales permutatæ, conſonantes duplicatæ, ſimplices loco duplicium poſitæ, ut & conſonæ permutatæ ſint, indicant & exemplis declarant. Poſtea Cap. III MStos impreſſosque codices, cum quibus a Grabio, Wanlejo, aliisque viris in hoc ſtudiorum genere verſatiſſimis textus Alexandrinus hujus tomi collatus eſt, enarrant, atque codicem regium vetuſtiſſimum, ex quo Eſtheræ liber ſuperiori Seculo ab Uſſerio editus ſit, Codicem Cantabrigienſem Thomæ Archiepiſcopi, qui duos Paralipomenon, & Oxonienſem, qui primum Maccabæorum comprehendit, nominant. Commemorant ſimul Grabium ingens tenuiſſe deſiderium videndi codicem Alexandrinum Syriacum de Græco LXX exemplari origeniano ad verbum converſum, qui libros hiſtoricos complexus ſit, notasque criticas ſumma cum cura appoſitas habuerit, cum Cel. Maſium eundem poſſediſſe, ex ejus commentario in Joſuam conſtet, ſed voti ſui non potuiſſe compotem fieri, perveniſſe autem eundem ad manus Cl. Jablonski, qui etiam in eo edendo verſetur. Præterea de varia nominum propriorum in libris Paralipomenon occurentium ſcribendi ratione, quæ in Alexandrino & Vaticano codice deprehendatur, differunt, & illum Hebraica optime exprimere, & prorſus Cantabrigienſi convenire, & etiam utrumque 1 Par. I, 32 Dedanis filios, qui in Vaticano & Hebraico deſiderantur, nominare, indicant. Subjiciunt etiam codices, qui in edendis Eſtheræ, Tobiæ, Judithæ, & Eſraicis libris collati ſint, & obſervant, in libro Eſræ apocrypho, qui tertius quibusdam audit, c. II, 12 legendum non *Salmanaſſar* ſed *Saſſabar*, quo nomine Princeps quidam Judææ appellatus ſit. Ad extremum, quartum Maccabæorum librum cum Codice MS. Collegii Novi, cujus inſcriptio *Ιωσίππȣ περί σώφρονος λογισμȣ̃*, Aldi Luidiique exemplaribus, nec non cum aliis Joſephi operibus collatum eſſe referunt, & his varia cum veterum, Photii, Anonymi, qui in Biblioth. Reg. Chriſtian. aſſervatur, Euſebii, Gregorii Nazianzeni, Nicetæ, Suidæ, Hieronymi, tum recentiorum Eraſmi & Luidii de hoc libro Joſephi adjiciunt. Cap. IV recenſent nonnulla loca, quæ in his libris hiſtoricis vel emendata ſint, vel illuſtrata, contenduntque, 1 Sam, I, 8 ἐκάθετο & non ἐμάθετο legendum, atque

atque 1 Sam. I, 18 in Ebræo olim lectum הציב & non ut hodie הצבי, quibus ſpecimen variarum lectionum codicis Romani & Alexandrini e 1 Reg. I addunt, ex quo appareat, hunc illi omnino præferendum eſſe. Et hæc de Tomo II, tertium proximo Menſe producemus.

THE OLD AND NEW TESTAMENT CONnected in the Hiſtory of the Jews and neighbouring Nations &c.

i. e.

VETUS ET NOVUM TESTAMENTUM connexum in Hiſtoria Judæorum & vicinarum Nationum ab inclinatis Regnis Iſraelis & Iudæ usque ad Chriſti tempus perducta; Autore HUMPHREDO PRIDEAUX, Th. D. & Dec. Norvicenſi.

Pars II.

Londini, apud Knaplock & J. Jonſon, 1718, 8 maj. Alph. 2 pl. 3.

POſtquam operis hujus Partem I in Actis 1718 p. 97 ſq. recenſuimus, par videbatur, ut alteram quoque, quamvis alia forma ad nos perlatam, non plane intactam relinqueremus, maxime cum nuperrime apud nos operis integri verſio Germanica luculenta, de qua dicemus ſub finem, prodierit, quam utpote ubique obviam in foliis deſignandis ſequemur. Etenim in hac Parte II S. R. Autor ita verſatur, ut a Simonis Juſti Pontificatu usque ad Chriſti aſcenſionem in cœlum res a populo Judaico finitimisque gentibus geſtas exponat. Quamvis vero in nonnullis videatur ὑποθέσει δουλεύειν, opus tamen ipſum, ſi illud in univerſum æſtimes, vix ſatis commendari poterit, cum hiſtoriam complectatur illorum temporum, quæ per Syrorum, Ægyptiorum, Macedonum, Maccabæorum imperia & viciſſitudines fortunæ mire fuerunt impedita, quorum Autor vel minutiſſimas circumſtantias apte excutit. Sed ut ipſam rerum ſeriem omittamus, lubet nonnulla paſſim obſervata excer-

p. 15. pere. *Joſephum*, Jacobi Patriarchæ filium, non fuiſſe ***Serapidem*** ab Ægyptiis adoratum demonſtrat Autor, refellitque eorum opinionem, qui ex modio, capiti hujus idoli ſuperimpoſito colligere velint, famem, quam Joſephus diſtribuendo frumentum depulerit, innui; cum non minus Ptolemæi Soteros I diſtributio frumenti, qua Sinopenſes hujus divinitatis cultores ſibi devinxerit, ſignificari potuiſſet. Græcum potius idolum origine eſſe probat, 1) quod Serapis ſeu Soroapis Græcam habeat etymologiam, 2) quod Herodotus, qui omnia Ægyptiorum idola recenſeat, hujus tanquam ætate ſua nondum cogniti nullam faciat mentionem, 3) quod Nicocreon Rex Cypri miſerit Alexandriam, qui diſcerent, qualis eſſet hic Deus: quem tanquam eruditiſſimum principem antiquitas hujus idoli, ſi ulla fuiſſet, haud latere potuerit, 4) quod Origenes, Ægyptius nativitate, illius meminerit tanquam idoli haud ita diu recepti, 5) quod cum cultu hujus idoli victimæ cruentæ cœperint in uſu eſſe, quas alias ſemper Ægyptii abhorruiſſent: adeo ut illarum abominatio vel maximum Iſraelitis prætextum ſuppeditaverit ſecedendi paululum in deſertum, ut nempe ibi liberius mactarent, Deoque ſacrificarent, nec tamen Ægyptiorum oculos offenderent. Qua occaſione de templo in ſuburbio Rhacotidos conſtituto, quod Serapeum vocabant, & de Bibliotheca 100000 voluminum, illic a Ptolemæo inſtituta, ejusdemque
23. fatis erudite diſſerit Autor. Multa ibidem de Demetrio Phalereo, ſupremo & Bibliothecæ & reliquorum ejusmodi inſtitutorum Directore, non vero Bibliothecario aut cuſtode, quod tanti Viri autoritate haud dignum fuerit, ut & ejus fine luctu-
33, 34. oſo, reperias. Irruptionem ***Gallorum*** in Græciam & Macedoniam, & quam acriter puniti ab oppugnatione templi Delphici diſceſſerint, deſcribit Autor: ſuperſtites vero, ſub Leonorio & Lutario in Aſiam trajeciſſe docet, & a Bithyniorum Rege Nicomede, ſub quo meruiſſent ſtipendia, impetraſſe, ut partem min. Aſiæ, Gallogræciam poſtea ſive Galatiam ab aliis dictam,
35. colerent, unde nomen Galatarum. Cum Uſſerio *ſeptuagintaviralem Sacri Codicis verſionem* Græcam in annum collocat Ptol. Phil. octavum & 277 ante Chriſtum, de qua operoſe admodum

admodum & erudite diſputat, nec dubitat Ariſteæ hiſtoriam ceu commentitiam explodere, ſimul extollens Codicem Alexandrinum, qui Londini aſſervatur. Eorum porro tuetur ſen- p. 227.
tentiam, qui Maccabæorum derivant nomen a Symbolo vexillis ſub Juda Heroe Judaici populi inſcripto. Hoc enim deſumptum fuiſſe ex Exod. XV, 11: מי כמכה באלם יהוה, ex cujus literis initialibus, quod Judæis maxime uſitatum, nomen *Maccabi* emergat, eoque deinceps omnes Martyres aut Heroes pro Dei cauſa militantes, cumprimis autem eum, qui ſummam rerum teneret, Maccabæos dictos eſſe. Peropportune 246.
monet de Edomitis ſive Idumæis, quod poſt captivitatem Babylonicam, ſiquando eorum nomen occurrat, nulla alia ſignificatio locum habeat, quam quæ Nabathæos ſiſtat, utpote a quibus priores Edomitæ ex illo tractu, qui eſt inter lacum Sodomiticum & rubrum mare, ejecti profligatique ſint: hos Judæam vaſtam & derelictam videntes deſediſſe tandem in partibus occidentalibus regionis illius, tribui Judæ quondam aſſignatæ, quæ Hebronem ibi primariam ſedem ſibi conſtituerit. Hos vero Idumæos omnes poſtea in unum cum Judæis corpus nomenque coaluiſſe. Varia affert, quæ regni Angli- 295.
ci vetuſtum concernunt ſtatum, cumprimis de controverſia ſolenni, quo die Paſcha Chriſtianorum celebrandum eſſet, veteribus Chriſtianis inter Britannos & Hibernos, quos Patricius olim Chriſtiana religione imbuiſſet, Judaicum mordicus tenentibus morem, & quarto decimo die cum ipſis celebrantibus hoc feſtum: aliis vero poſt A. 598, quo Auguſtinus Monachus Roma ibi appuliſſet, in diverſa hujus inſtitutione traductis, & Dionyſii Exigui calculum probantibus. Controverſiam hanc ſatis diu duraſſe, donec tandem in Concilio Hildenſi Rex Septentrionalium Humbrorum Oſwyus ridicule ſatis pronuntiaverit, ***non Johannis, ſed ejus Apoſtoli tuendas eſſe partes, qui cœli claves teneat idque aperire poſſet.*** Tandem tamen & Hibernos per Egbertum Presbyterum & ultimo omnium Wallenſes, obſtinatiſſimum genus, ab Elbadio Epiſc. commotos, ut 84 annorum cyclo renuntiarent. De templo Ægyptiaco Judæo- 326.
rum Alexandrinorum, cui ab Onia ædificatore nomen Onion,

prolixe agit Autor, & de 70 Interpretum verſione demonſtrat liquido, eam ab Helleniſta profectam. Quis enim alius auſurus erat, locum Jeſaiæ Prophetæ Cap. XIX, 8: עיר ההרס יאמר לאחת ita interpretari: πόλις Ασεδὲκ κληθήσεται μία πόλις, cum *Air Haheres* non *Hazzedek* in textu ipſo legatur? Nempe interfuiſſe autoris hujus interpretationis, locum *juſtitiæ* pro *vaſtationis* ponere, ut templum eo appareret auguſtius. Apolloniorum accuratam diſtinctionem affert Autor. A-

p. 332. 403. git & de *Bath-Kol* & ex Talmude citat locum, ***ubi duo amici Doctorem quendam Babylonicum viſere volentes Samuelem nomine, domum prætereunt, in qua parvulus puer verba legit: Et Samuel moriebatur; quod ad iter ſuum applicantes eum poſt re vera mortuum cognoverunt.*** Ex his Autor oſtendit, hanc *filiam vocis* ſeu *Bath-Kol* non fuiſſe ſemper vocem e cœlo demiſſam, ſed prima quæque verba poſt deliberationem ipſorum ſuper aliqua re habitam, caſu ex cujuscunque hominis ore evolantia, ipſis hoc præſtitiſſe. *Evolutionem Bibliorum* ſimile quid, plane ut & hanc Judæorum vocem, apud Chriſtianos cum ſortibus Virgilianis habuiſſe. In Occidente & præcipue apud Gallos magnopere hunc uſum ſeu ſuperſtitionem vel in ipſa *Epiſcoporum* conſecratione valuiſſe, & a Normannis in Angliam manaſſe. Cum Gailielmus II Norvicenſis Epiſcopus conſecratus fuiſſet, hæc verba occurriſſe ex Johanne: *Non hunc ſed Barrabam*, quod præmaturam ejus mortem & ſucceſſorem Simoniæ crimine infamem denotaverit, & ita accidiſſe in electione Herberti de Lozinga: conſecratum enim hunc paulo poſt conſultis Bibliis audiviſſe verba: *Amice ad quid veniſti?* Matth. XXVI, 10, quod ita percuſſerit diſſolutum hominis animum, ut ſerio pœnitentiam ageret & multa pia opera faceret, quæ allegat Autor ex Knightoni libro de Eventibus Angliæ & Barthol.

407. de Cotton. De Hyrcani palatio in Caſtello *Baris* memorabilia ſunt, quæ differuntur, ſimul & explicatur modus, quo tumultus ſuper Paulum in templo excitatus a præſidio iſtius Caſtelli obſervatus & ſopitus ſit. Locis Luc, XXII, 52, Act. IV, 1, V, 24, 26, XXI, 26, de *Capitaneo*, ſeu *Præfecto templi* inſignem hinc

421. fœnoratur lucem. Ad ſectas Judæorum diverſas deſcendit Autor,

tor, potiſſimisque in *Zadikim & Chaſidim* diſtinctis, priori or-
dini Samaritanos, Sadducæos, Karraitas, poſteriori Phariſæ-
os & Eſſæos adjudicat, quorum omnium dogmata & vitas
perſequitur. De *Herodianis* ad finem diſputat libri, & eos pro p. 414.
Syncretiſtis ſeu Theologo-Politicis habet, qui pro Magiſtratus
regimine diverſi diverſam religionis morumve induere for-
mam & ſuperioribus gratificari, ſimulque omnia ad quie-
tem & utilitatem referre haud illicitum putarent; & hujus ſe-
ctæ conditorem Herodem ideo fuiſſe, ut, cum Romanorum in-
ſtitutis & religione plurimum faveret, numero hypocritarum
conſcientiam trepidantem pacaret, ſibique ipſi ſolus minus diſ-
pliceret. Non obliviſcendum quoque, Autorem Pontificios, mo- 446.
nachatum exemplo Eſſæorum, quos pro Chriſtianis cupiant
venditare, ſtabilientes, ſtrenue oppugnare & longe aliam illi-
us originem, a Paulo nempe, notiſſimo illo Juvene Nobili, de-
ducere. Non minus delectationis lector hauriet ex obſervatione 532.
Autoris de Balſamo Hierichuntis & Meccæ: ſed hæc tanquam
nimis devia hic omittimus. Originem porro oſtendit *Inter-* 517.
pretationum Chaldaicarum ſeu *Targumim*. Cum enim poſt redi-
tum e Babylonia Judæi Hebraicam linguam fere dedidiciſſent, &
lex in ſuas ſectiones diviſa illis quidem Hebraice prælegeretur,
Chaldaice tamen ſimul explicaretur, interpretationes tandem
illas Chaldaicas in unum congeſtas & ad deſcribendum ei, qui
vellet, datas, factumque id eſſe primo in Lege, poſtea & in Pro-
phetis, probat Autor, atq; illa Targumim ordine recenſet. Tum 648.
& tuetur priorum Targumim antiquitatem Chriſti temporibus 659.
æqualem, uſumque eorum commodum, refutans eos, qui
ex ſilentio Origenis, Epiphanii & Hieronymi argumentum
novitatis ducant. Ubi de *Serum* legatione ad Auguſtum com- 730.
memoratur, de ſerico obſervat Autor, Juſtiniani tempore mo-
nachum quendam ad bombyces arceſſendos in Indiam ablega-
tum nil retuliſſe niſi hoc nuntium, animalcula illa frigora Oc-
cidentis ſuſtinere non potuiſſe & in via intercidiſſe; juſſum
itaque denuo eſſe ovula tantum afferre, quæ hanc aeris mu-
tationem paſſa, quidquid ſerici uſpiam elaborati poſtea in com-
mercia tranſierit in Occidente, unice produxerint. De *Sibyllis* 760.

ita agit, ut luculentis theſibus, quid ſibi videatur ſinceri in illa hiſtoria, a falſo & fabuloſo ſecernat, ſtatuatque, 1 Oracula talia Sibyllarum olim extitiſſe, id quod ex fide digniſſimis, quos citat, autoribus conſtet; 2 & 3 non divina, ſed diabolica fuiſſe, cum mulierculæ iſthac inſpiratione gaviſæ turpiter & obſcene vixerint, multasque nefaſtas & abominabiles adhibuerint cerimonias; 4 Hiſtoriam illam de 3 libris a Tarquinio emptis meram fabulam ſed bono Reip. inventam eſſe; 5 nemini, niſi Collegio eorum, quibus cuſtodia illorum curaque commiſſa, licitum fuiſſe inſpicere, videlicet ut populo ſcitis & reſponſis, quibus vellent, illuderent; cujus rei exempla Autor producit; 6 poſteaquam oracula illa cum Capitolio arſiſſent, ad reſtituenda illa, quidquid uſpiam in ſuis promptuariis arcani aut prophetici habuiſſet, unumquemque protuliſſe; 7 inter has prophetias multa quoque de Chriſto contenta eſſe; 8 Deum hoc ita prædeſtinatione quaſi quadam conſtituiſſe, ut adventus filii ſui ejusmodi rumoribus tanquam tuba omnem mundum perſonaret; 9 hos rumores Judæorum diſperſione, qui liberatorem ſuum ſemper avide expectarint, quam maxime ubivis circumlatos eſſe; 10 Oracula Ethnica quoque, ut quondam Bileami, vi *quaſi divina* coacta veritati teſtimonium perhibuiſſe; 11 cum collecta illa fuerint nomine oraculorum Sibyllinorum paulo ante Chriſtum, redactaque in verſus Græcos, Chriſtianam fidem contra Ethnicos hæc ex ipſorum penu deprompto teſtimonio multum ponderis accepiſſe; 12 at eadem a quodam Chriſtiano parum caute poſtea interpolata plus damni quam adjumenti Chriſtianorum rebus attuliſſe; cum, quæ antea parce adhibita valerent, nunc inſipide aucta plane ſorderent & rejicerentur. Difficultatem *de Deſcriptione Judæorum* ſub Auguſto ita ſolvit Autor, ut Sentium Saturninum doceat illam per 3 annos in pluribus aliis Syriæ, quæ Romanis parebat, Provinciis perfeciſſe, ac poſtea demum eundem quoque in Judæam perveniſſe & ibi eodem defunctum eſſe officio. Nec ſtatim hic tributorum impoſitionem & coactionem factam, ſed illam demum annis 12 expletis & Archelao depoſito ſub Cyrenio ſeu Quirinio Syriæ Præfecto ſubſecutam eſſe; de priori verſum 1 Luc. II, de poſteriori

p. 788.

v. 2

v. 2 agere. Et hunc duodecimum Archelai annum, quo Chriſtus adſcendit in templum, ſeditque inter Doctores, juſſa Patris ſui executurus, eſſe terminum illum fatalem regni Judaici, a Deo per Patriarcham Jacobum prædictum, quo nempe Judæa ſceptro penitus exuta & a Cyrenio, tributa imponente & exigente, in formam Provinciæ Romanæ redacta ſit: idem manifeſto quoque argumento eſſe, Meſſiam adventaſſe. Ceterum prætermittere non poſſumus, quin iterum hoc loco ſignificemus, totum hoc Opus a Rev. M. *Auguſto Tittelio*, Pörſtenenſium prope Leucopetram Paſtore, in Germanicam linguam translatum & Dresdæ ſumtibus D. Lobeckii impreſſum hoc anno 1721 in 4 cum venuſtis ſculpturis & Indice locupletiſſimo prodiiſſe. Cl. Interpres id maxime ſtuduit efficere, ut omnia plane & perſpicue traderet, nec unquam a textu Autoris, quantum ejus fieri poſſet, declinaret. Et ſperandum ſane, magnum hujus laboris fructum ad Germanos noſtros perventurum, cum Theologus fere nullus hoc tam utili & ad verum Scripturæ V. T. addo & Novi, ſenſum neceſſario opere carere poſſit. Illud tamen diſſimulari nequit, ob abſentiam Interpretis, in II Partem menda typographica fœda irrepſiſſe, quorum nonnulla ad calcem operis correcta ſunt, plurima tamen adhuc latent. Parti priori Cl. Tittelius Dedicationi ad Potentiſſ. Polon. Regem, cui adeo arriſit doctrina rerumque nexus, ut per aliquot dies a menſa non depoſuerit librum, ſubjunxit præfationem ſatis longam, in qua de linguarum autoritate & quantum cuique præ ceteris tribuendum, diſſeritur. Græcæ linguæ apud Romanos quam maxime florentis mentione inductus, in Ciceronis filii, Athenas miſſi, vitam prolixius evagatur. Refellit vero vulgarem opinionem, quaſi diſſolute & prodige vixerit, cui rei contraria proferuntur documenta: 1) ex epiſtolis ipſius Patris XV ad Artic. 14 & 16, 2) ex Trebonii epiſtola L. XII ad fam. 16, 3) ex Ciceronis filii modo ſcribendi ad Tironem, quo ſitis ejus & cupido literarum, nec non amor in Præceptores, Cratippum, Brutum & reliquos native exprimuntur, 4) ex literis Bruti, ſub quo militiam orſus eſt, ad patrem Ciceronem plenis optima commendatione & magnam Patri ſpem præbentibus de

filii

filii virtute, 5) ex Patris teſtimonio publico, quod in Philippica quadem coram Senatu filio gloriabundus præſtiterit, 6) denique ex dignitate Conſulis, ad quam Auguſti favore poſt patris mortem adſpirarit. Omnis vero culpa ſuſpicionis de eo ſiniſterioris in alterum Ciceronem, Quinti filium, peſſimum flagitium, confertur. De Autore quoque noſtro monet, hunc ſupra Ahazi tempora non aſſurgere propterea, quod tum veritas Hiſtoricorum profanorum, unde certi quid haberi queat, luculentior effulgeat, fabulæ vero & nugæ veterum, quibus omnis ſuperiorum ſeculorum ſeries oppleta ſit, deſinant. Denique nec taceamus, eundem librum Gallice translatum nuperrime Amſtel. V Voll. in 12 prodiiſſe.

DISCOURSES CONCERNING THE Everbleſſed Trinity.

h. e.

SERMONES DE SANCTISSIMA TRINITATE, compoſiti ab Autore Divini Juris Epiſcopatus.

Londini, apud W. Taylor, 1720, 8. Plag. 20.

Autor in Præfatione Apoſtaſiam ſeu defectionem a vero Chriſti cultu, in Anglia, eorum cumprimis, qui ſanam docere debuerant doctrinam, lamentationes piorum & zelum doctorum provocare teſtatur. Et ſe quidem pridem ſuſpicatum, iſtos tantos clamores de naturalis religionis præſtantia, iſthanc tam ſtolidam libertatis cogitandi defenſionem & undiquaque irruentem morum improbitatem, in Arianiſmo, Socianiſmo quin & Atheiſmo tandem deſitura. His malis obviam iturus duodecim ſermones ſeu diſſertatiunculas homilarum ad modum compoſitas conſcripſit, in quibus a Scholaſticis terminorum involucris, plus tenebrarum quam lucis afferentibus, ſtudio abſtinuit, idq; egit potiſſimum, ut miſeros Laicos, qui in devia facile deducuntur, hoc velut Theologiæ Syſtemate præmuniat. Declarat porro Autor, cum *Whiſtoni* & *Clendoni* ſcriptis, quorum ille Arii, hic Socini tueatur partes, ſe decertare, ita quidem, ut contenta ſcriptorum utriusque ſemper reſpiciat, prolixis vero locis recitan-

tandis ſtudio abſtineat. Et Whiſtoni quidem theſibus, quæſtionibus & obſervationibus primitivis, quas vocat, ſatis a ſe reſponſum putat, tametſi teſtimonia Patrum I & II Seculi ab ipſo producta haud multum moretur, cum quod Scriptura ſola nitendum putet, tum quod illa ipſa, niſi bene fundata, nullibi valeant, præterea & doctiſſimus *Waterlandus* in divinitatis Chriſti vindiciis, quantum hic Ante-Nicænorum Patrum ſententiis roboris inſit, contra ipſum & Clarkium optime evicerit. Nec in refellendis primitivis quibusque erroribus præter eos quorum in N. T. mentio fit, magnopere deſudare voluit, quod in iſthoc argumento quam diligentiſſime verſati ſint *Mangey* & *Berrimannus:* nec ſymbolis denique antiquiſſimis multum angi; ea enim maximam partem eſſe privatæ interpretationis & condemnata, ut majus minusve Symbolum Eunomii, reliqua non niſi argumentum negativum efficere contra coeſſentialitatem & coæqualitatem Filii & Spiritus S. cum Patre, cum forte hæreticorum aut numerus aut technæ non ita fuerint magnæ, nec opportunitas Conciliorum adeo parata, ut ante Nicæni Concilii & Athanaſii tempora ad vindicandam utriusque divinitatem, profligandasque contrariorum dogmatum peſtes, undique concurreretur. Quod ad *Clarckium* ejusque *doctrinam Scripturæ de Trinitate* attinet, eum ſe ait obiter tantum refutare. quod *Robertus Nelſon*, *D. Bennetus* aliique eum ex profeſſo jam oppugnaverint. Denique Noſter de iſthoc Primitivi Chriſtianiſmi reſtauratore (qualis videri velit) Whiſtono nempe, vehementer conqueritur, quod contra baptiſmi fœdus, contra ſanctiſſimas ſtipulationes, quas ordini ſacro adſcriptus dederit, in Appendice tamen ad Vol. IV p. 10 audeat impudenter affirmare: Concilia œcumenica nihil fere aliud fuiſſe quam horrendam Diaboli machinam ad explodendam fidei veteris Chriſtianæ morumque probitatem.

Hinc progreditur ad rem ipſam. Nos ut Lector ſpecimen habeat ejus & conſilii & induſtriæ, quæ primo ſermone continentur, qui agit de ſtultitia Atheiſmi, paucis delineabimus. Ex Pſalmo XIV, 1 proponit 1 Athei fidem, ſeu votum: *Non eſt Deus;* 2 ejus ſtultitiam: *dixit enim ſtultus in corde ſuo* &c.

Autor diſtinguit Atheos in eos, qui tales ſunt judicio ſeu intel-
lectu, & qui tales ſunt corde: ſive, ut ſcholæ loquuntur, in Spe-
p. 5. culativos & Practicos. Contra primos, qui continuo peccato-
rum exercitio infatuati obduruerunt, ut aut ſtupidi vix ſpiritu-
alia & quæ Dei ſunt ulterius cogitatione percipiant: aut fero-
citer omnem de Deo ſenſum inſectentur, vaniſſimaque ſophi-
ſmatum textura extinctum eant, quaſcunque aut ſibi aut aliis
adhuc ſupereſſe ſentiunt timoris ipſius ſcintillas, ita pugnat
Autor, ut monſtret hæc omnia non niſi fatuis & dementibus
accidere poſſe. Qui incomprehenſibilis ſit, hunc eos capere,
& qui infinitus ſit, hunc eos intelligere velle, cum quæ ante
oculos ſint corporeis ſenſibus obvia, nec capiant ſæpe nec intel-
6. ligant. Hos tamen plane convictos & tales eſſe, quales ipſi ſe
jactent, vehementer dubitat Autor. Senſum quidem Dei infir-
mari & quaſi ſupprimi poſſe concedit, & eos quam maxi-
me niti, ut eum ſuffocent penitus, ſed hoc vix fieri poſſe contendit
in totum, 1) ob objectorum divinæ potentiæ & gratiæ continu-
7. am præſentiam, Act. XVII, 27, 28, 2) ob conſcientiæ internam
reclamationem: cujus exempla in Tiberio & Caligula tonitru a
expaveſcentibus profert. Nec diffitetur tamen, dari *Atheos ſpe-
culativos*, qui iſtum pernicioſiſſimum errorem profiteantur
aliisque perſuadere cupiant: experientiam enim teſtari, vitium
in homine adultum tantum operari, ut omnis intellectus tan-
dem ſtupeſcat & hebetetur, adeo ut & communes notiones na-
turæ poſtremo imminuantur. Adducit Autor loca 1 Tim. IV, 2,
2 Theſſ. II, 11, Rom. I, 28. Tum & exempla profert: unum
Matthæi Cnuzen, qui Oldenſwortæ in ducatu Sleſwicenſi natus,
Regiomonti in Pruſſia literas coluiſſe & tandem Jenæ congre-
gationem quandam Conſcientioſorum, quo vocabulo vocari
amabant, inſtituiſſe dicitur, qui non niſi rationis & naturæ dictata
ſequerentur, ceterum exiſtentiam Dei, immortalitatem animæ
& divinitatem Scripturæ tantum non riderent; alterum *Jordani*
9. *Bruni*, cujus librum, *Spaccio della beſtia trionphante* dictum, vix
18 nummorum Angl. pretio dignum, 28 libris in quadam ven-
ditione publica apud Anglos venditum refert. Autor Viri hu-
jus vitam breviter perſtringens, eum Nolæ in regno Neapoli-
tano

tano natum & Ordinis S. Dominici Monachum fuiſſe, & inquieto & turbulento animo Italiam Galliamq; pervagatum, tandem Germaniam intraſſe ac Vitebergæ in publica Panegyri Diabolum laudaſſe teſtatur. Titulum libri effugiſſe ſeu feſelliſſe Inquiſitores Romanos notat: librum ipſum, quanquam videatur commendabilis, quod Cleri Romani vitia acerrime caſtiget, meram tamen Satyram Enthuſiaſtico-Atheiſticam eſſe, quæ omnem cultum Dei religionesque quascunque proſcindat. Jovem enim ibi, Momum & Conſtellationes invicem ſermones & conſilia miſcere, Jove quidem conquerente, quod omnis Deorum cultus apud mortales intercidat; Momo culpam ejus in Deorum amores & regiminis ipſorum perverſitatem rejiciente & denique Conſtellationibus decernentibus, religiones omnes poſthac abolendas, ſubſtituendasque in earum locum virtutes morales: ubique fabulas Poetarum ſacris hiſtoriis, Moſen & Chriſtum Mahummedi æquari, Deum ſemper appellari naturam. Jam ad Practicos pergit Noſter, qui corde exoptant, ut p. 10.
Deus non detur, nec id alios docent, ſed ſibi ipſis perſuadere allaborant, non quidem argumentis, ſed cogitationes ſuas rebus cœleſtibus ſubducendo, & vultum quaſi a Deo avertendo ſenſumque ipſius magis magisque exuendo: & notanter addit Autor: *Corrupiſſe eos vias ſuas & perpetrare abominanda* &c. quod 12.
congruat cum Pſalm. X, 4. Hinc conſectaria deducit: 1 Eos, qui de Deo falſa ſibi fingant contrariaque naturæ ipſius, & providentiam aut unum alterumve attributorum ejus negant, Atheis jure æquiparari, exemplo paganorum, qui quamvis multitudine Deorum laborantes, Athei tamen cenſeantur, Eph. II, 2; 2 omnes impios haud multo meliores eſſe Atheis, ſed ipſis prorſus pares, maxime ſi perſeverent impœnitentes; 3 habitum peccati, timoremque judiciorum Dei, qui inde fluit & ſubinde reos vexat, fontem eſſe Atheiſmi, 1 Tim. I, 19, ubi ulteriores adultæ iniquitatis progreſſus connumerat, oſtenditque, hanc iniquitatem non tantum a fide abducere ſed & in Apoſtaſiam & Atheiſmum præcipitare. Sicut enim multum intereſt, quamdiu impius in iſto pernicioſo erroris ſtatu hæreat, nec Deum nec ſcelerum vindicem dari, ita ſibi ipſi magis indies per-

ſuadere cupit, hæc omnia ita ſe habere. Et cum facile credantur, quæ commoda nobis videntur, haud ſane difficulter opinionem iſtam induit tandem, familiaremque ſibi reddit, adeo ut quamvis ſenſus omnis divinitatis evelli in illis haud poſſit, ex parte tamen conculcetur idem & ſupprimatur. His expeditis accingitur Autor ad demonſtrandam utriusque generis Atheo-
p. 15. rum ſtoliditatem. Ubi in genere impios omnes homines ſtultitiæ accuſat, Prov. I, 22: ſicut enim ſanctitas conſiſtat in conformitate actionum noſtrarum cum ſanæ rationis & ſapientiæ præceptis, ita oppoſitam huic malitiam pugnare cum iſthac ſapientia & conſequenter eſſe ſtultitiam: unde & illud facile pateat, Atheiſmum, tanquam omnium malitiarum maximam, apicem velut & culmen eſſe ſtultitiæ. Quod probat Autor de Speculativis 1) quod negent ea aut deducant in litem, quæ ſint certiſſima & vel in ipſos craſſiſſimos rudis plebeculæ ſenſus cadant: ſicut enim certiſſimum ſit, Romam urbem alicubi eſſe, & Alexandrum quondam fuiſſe, ſic & fidem de Deo, quod ſit, apud omnes ſemper populos omni tempore obtinuiſſe adeo, ut gentiles numerum Deorum multiplicare maluerint, quam Entis alicujus ſupremi exiſtentiam haud confiteri; 2) quod ex duobus, quorum alterum certiſſimum & ſecuriſſimum, alterum incertiſſimum & periculoſiſſimum, contra omnes intellectus humani regulas, eligat Atheus, quod eſt teterrimum & periculoſiſſimum: doctrinam enim de Deo nos in hoc quoque mundo ab intemperantia variisque morbos gignentibus flagitiis cohibe-
17. re, Atheiſmum autem & hanc & futuram affligere vitam; 3) in eo ipſo Atheos ſe ſtultos exhibere, quod omnia comprehendere velint: ita quippe ſupponit, eos tam vaſti ingenii eſſe, ut nihil eos lateat, ut omnium rerum notitiam perfectam habeant, omniaque facillimo negotio capiant, quod eſt abſurdum. Finita enim non capiunt, quanto minus infinita? Contra Practi-
18. cos quoque ita pugnat, ut exemplum naucleri proponat, qui, ubi tempeſtatem imminentem videt, non abſcondit caput & hoc timore depellendam eam putat, ſed eo fortius remis inſtat neceſſariaque obvertit: ſic & ab illis judicia Dei non negando, ſed recte ambulando evitari.

In reliquis Sermonibus Autor pari verſatur induſtria; quorum

rum contenta breviſſimis indicabimus. Nimirum Serm. II occaſione Exod. III, 2, *Sum, qui ſum*, Autor exponit 1 Nomen Dei, 2 naturam ſeu deſcriptionem ejus, 3 exiſtentiam; Serm. III ex 1 Joh. V, 7 Trinitatem adſtruit in Unitate; Serm. IV, Matth. XXVIII, 19 Baptismum in nomine Trinitatis; Serm. V, Joh. I, 1, verbum ſemper Deum ita conſiderat, ut 1 monſtret, verbum fuiſſe in principio, 2 apud Deum, & 3 quod hoc verbum ſit Deus; Serm. VI, Philip. II, 6, JEſum Chriſtum æqualem Deo demonſtrat, ut pateat 1 quomodo Jeſus in forma Dei fuerit, 2 quid ſit forma iſta, 3 qua in re æqualitas ejus cum Deo conſiſtat; Serm. VII, Col. I, 15, Jeſum Chriſtum imaginem Dei exhibet; Serm. VIII, Hebr. I, 6, Angelicam adorationem Jeſu Chriſti ſiſtit, notatque 1 textus præfationem, 2 tenorem ipſum; Serm. IX, Joh. I, 14 Verbum incarnatum explicat & quidem 1 vocem verbi, 2 carnis, 3 propoſitionem: Verbum factum eſt caro; Serm. X, Joh. XIV, 16, Spiritum veritatis concludit eſſe divinam perſonam; Serm. XI, Joh. XIV, 7, Spiritum S. Paracletum, & Serm. XII, Hebr. X, 28, 29, pœnam Apoſtaſiæ fortiter urget.

PETRI ANTONII MICHELOTTI, TRIdentini, ex inclyto Collegio Medic. Venet. Scient. Academ. Reg. quæ Londini & Berolini ſunt, Socii, de ſeparatione fluidorum in corpore animali, Diſſertatio Phyſico-Mechanico-Medica.

Venetiis, Pinellorum ære, 1721, 4 maj.
Alph. 1 tab. æn. 1.

CUm Clariſſimus diſſertationis hujus Autor, exemplo *Bellini*, *Pitcarnii* atque *Jacobi Keillii*, principia Matheſeos ad doctrinam de ſecretionibus animalibus applicet; in præloquio, quod præmittit, Matheſeos in Medicina rationali neceſſitatem tuetur, abuſum improbat. Apparet ſane, ipſum duce *Hermanno*, Geometra celeberrimo, cum adhuc Patavii Mathemata profiteretur, ad ſublimiora Geometriæ haud infeliciter penetraſſe: id quod gratus plus ſimplici vice profitetur. Neque etiam diffitetur, quod ex *Johannis Bernoullii*, Viri in hoc ſtudiorum

genere incomparabilis, commercio literario multum profecerit, quem data quavis occaſione invidendis elogiis ornat. Antequam vero ad ipſam de fluidorum ſecretione tractationem accedit, principia quædam ſub prænotandorum nomine larga manu profert, quæ duas fere tertias operis partes explent.

Prænotatione prima nonnullas fluidorum affectiones & proprietates explicat. In definitione eam ſumit, quod partes vi cuicunque illatæ cedant & cedendo facile inter ſe commoveantur. Mox cum *Joanne Bernoullio*, quem Geometrarum noſtri Seculi Principem magno ſuo merito appellat, obſervat, fluidorum craſſitiem duplici modo conſiderari poſſe, vel reſpectu denſitatis, quo e. g. Mercurius craſſior eſt melle, vel reſpectu conſiſtentiæ, quo Mercurius tanquam fluidior ac ideo in particulas mobiliores diviſus melle tenuior. Craſſitiem priorem conſiſtere in magna copia materiæ ponderoſæ contentæ in minori volumine, poſteriorem in partium ob figuram minus mobilium aſperitate. Uſum diſtinctionis oſtenſurus cum *Newtono* docet, eam reſiſtentiæ fluidi partem, quæ a craſſitie priore proficiſcitur, minui non poſſe; minui tamen poſſe alteram, quæ a craſſitie poſteriore pendet. Docet deinde, quomodo materia, *licet* denſiſſima, parum reſiſtere queat. Fallitur autem, dum ait, Mercurium per poros ligni non penetrare, cum Cl. *Wolfium* dudum contrarium experimentis docuiſſe noverimus. Diſputat contra *Pitcarnium*, fluidorum craſſitiem particularum magnitudine perperam æſtimantem, & in definiendo liquore ab *Hermanno* diſſentit, qui liquorem definit per fluidum in volumine non nimium exiguo fluens, donec ſuperficies in ſitum horizontalem ſe compoſuerit, cum hic ſitus a gravitate pendeat, minime autem liquiditas. Ipſi itaque liquida ſunt, quorum partes viribus vel imbecilliſſimis, eas ſeparare conantibus, cedunt, motuque inteſtino continenter agitantur. Cum *Leibnitio* vero ſentit, aerem facilius ſuperare majorem reſiſtentiam aquæ, quia ſuperficiebus decreſcentibus proportionalis. Et quoniam ejus rei mentionem fecit in epiſtola ad *Bernhardum Ramazzinum* data, idem repetit in alia epiſtola ad Autorem poſtea data, in qua ad priorem provocat; *Leibnitii* experimentum de deſcen-

ſcenſu gravium in fluido, in Actis 1711 p. 11 relatum, & ejus ad phænomena barometri explicanda applicationem contra *Deſagulierium*, pueriliter (ipſa Autoris verba recitamus) errantem, defendit: id quod etiam data opera præſtitit Cl. *Raſtius*, Profeſſor Regiomontanus, quem Noſter ſuppreſſo Autoris nomine citat. Monet deinde, fluidum elaſticum inter non elaſtica vel exiguum elaſticitatis gradum habentia niti quaquaverſum; ſi mixtum ex liquore glutinoſo & non glutinoſo feratur in canale parietum reſiſtentium, partem fluidi glutinoſam lateribus canalis adhærere, minus glutinoſam in medium ſeſe recipere; ſi liquor miſtus ex fluidis, quorum vires centrifugæ ſint inæquales, propellantur per canalem reſiſtentem, ubi is incurvatur, fluida validiora fore in parte convexa canalis, debiliora in concava; fluida quæcunque premere ubique ad perpendiculum ſuperficiem, cui inſiſtunt. Ope analyſeos *Leibnitianæ* ſolutionem generalem affert problematis de invenienda figura ſectionis, quando ſingula ejus puncta a fluido contento premuntur viribus inæqualibus & ſecundum datam legem variantibus. Oſtendit porro, ſi liquor miſtus ex craſſiori & fluidiori moveatur per canalem durum aut mollem, elaſticum vel non elaſticum; guttulas liquoris tenuioris influere in ramum lateralem hiantem ad perpendiculum in cavum canalis, ſi canaliculi orificium adeo anguſtum ſit, ut partem liquoris miſti craſſiorem recipere nequeat. Atque hinc refutat *Cheynæum*, Noſtro judice, doctrinam motus compoſiti inutiliter in uſum vocantem pro invenienda ratione omnium facillimæ ſeparationis alicujus fluidi a ſanguine. Monſtrat porro, cujuslibet canalis ſuperficiem interiorem a transfluente liquore (ſi a gravitate abſtrahamus) premi æqualiter in omnibus partibus atque inde corollaria nonnulla deducit pro motu ſanguinis in machina animali, & demonſtrationem quoque extendit ad liquores graves. Tandem definit vim fluida per canales pellentem; quam proportionalem facit ſummæ orificiorum & quadrato velocitatis conjunctim, nec minus reſiſtentiam, quam patitur fluidum iſtud & quæ Noſtro eſt in ratione compoſita velocitatis fluidi in immiſſarium ingredientis, velocitatis ejusdem emiſſario egredientis & ſuperficiei concavæ canalis.

Præ-

Prænot. 2 motum ſanguinis per arterias & fluidorum a ſanguine ſeparatorum per canaliculos cum arteriis communicantes expendit, ubi ea potiſſimum ſeligit, quæ ad illuſtrandam ſecretionis animalis doctrinam conferre videntur. Refutat *Cheynæum*, ſcholion prop. 34 lib. 2 Principiorum *Newtoni* ad motum ſanguinis per arterias applicantem, cumque *Newtonus* nullam iſtius ſcholii demonſtrationem dederit, eam communicat, quam a *Nicolao Bernoullio* accepit. Recenſet deinde, quid huc usque in præſenti argumento præſtitum ſit; a *Borello* inprimis, *Bellino* atque *Gulielmino*. Cum vero nullus eorum ſanguinis per cavum aortæ transeuntis velocitatem inveſtigarit; ipſe in eam inquirens tandem obſervat, ſanguinis ab aortæ cavo in ejus ramos decurrentis velocitatem infinite variare ideoque definiri non poſſe, & *Jacobum Keillium* tale quid molientem hypotheſibus fallacibus inniti pronunciat. Docet, ſanguinem ceteris paribus celerius moveri in arteriis capillaribus cordi proximis quam in iis, quæ longiſſime a corde diſtant, & eundem *Keillium* atro carbone notat, quod in vi cordis ſanguinem per univerſum corpus impellentis determinanda plurimum peccaverit, ubi inter alia notat, falſam eſſe propoſitionem *Newtoni* de velocitate aquæ ex foramine vaſis effluentis, cui ſolutionem problematis ſuperſtruit. Monet, *Hugenium* errorem *Newtoni* agnoviſſe, quemadmodum conſtet ex ejusdem Annotatis poſthumis in *Iſ. Newtoni* Philoſophiæ Naturalis Principia Mathematica, a *Jo. Groningio* Hiſtoriæ Cycloidis, quam A. 1701 evulgavit, ſubjunctis, etſi ipſe non minus deceptus fuerit, cum aſſeruerit, pondus, quod in aquam effluentem ad ejus motum generandum impenditur, æquale eſſe duplo ponderis aquæ foramini ad perpendiculum inſiſtentis. Refutat porro *Keillium*, quod non bene ſupputaverit rationem vis veſicæ urinariæ ad expellendum lotium. Progreditur hinc ad motum liquorum ſimplicium a ſanguine erumpentium per vaſcula, vel ab arteriis emanantia, vel cum eis communicationem habentia, ubi refutat canones *Pitcarnii* eam in rem datos. Ipſe utitur principio *Torricellii* de velocitate aquæ per foramen vaſis erumpentis, a *Mariotto* experimentis confirmato, & primum a *Vari-*

gno-

gnonio, deinde quoque a *Joanne Bernoullio* diverſa ratione demonſtrato. Cumque *Jacobus Jurinus* in Tranſactionibus Anglicanis A. 1717 num. 355 diverſa tradiderit, eundem refutat, & *Bernoullianam* demonſtrationem contra Viri a partibus *Newtoni* ſtantis objectiones vindicat. Affert tandem nonnulla de retardatione motus fluidorum in corpore animali a tubulorum plicis & convolutionibus proficiſcente, ubi *Bellinum & Cheynæum* refutat, & quid *Joannes Bernoulli*, quem conſuluit, ea de re ſentiat, exponit.

Prænot. 3 in vim aeris in pulmone ad ſolvendum ſanguinem per canales ejus fluentem inquirens, de aeris cum ſanguine in pulmonibus permiſtione dubitat & contra *Bellinum* atque *Hombergium* ea de re multum diſputat. Obiter monet, non minorem aliquando eſſe dubitandi cauſam in ſcriptis Mathematicorum Geometriam Phyſicæ applicare conantium, quam in Phyſicorum Medicorumque ſcriptis. Monſtrat, in calculo *Keilliano*, quem pro definienda vi ab aere in pulmonem acto exercita tradidit, plurima deſiderari. Demonſtrat theorema, quod *Keillius* tanquam fundamentum calculi ſui ſupponit, &, quænam *Walliſius* de vi flatus, quo aer in veſicam impellitur, tradidit, ad examen revocans adducit, quid *Bernoullius* in iis reprehendat. Poſtquam ipſe calculum ſuum produxit pro definienda vi aeris ex pulmone expulſi; methodum quoque *Joannis Bernoulli*, quam cum ipſo pro ſupputanda vi pectoris in dato homine, qua aer pulmone repulſus per laryngem expellitur, communicavit, publici juris facit. In genere autem obſervat, vim iſtam niſi hypotheſibus quibusdam conſtitutis determinari non poſſe, eamque datis atque poſtulatis variantibus etiam variare. Tandem cum *Bellino* contendit, commune fermentum ſolvens ſanguinem atque chylum eſſe aerem, & cetera fermenta rejicit, quæ ab aliis accenſeri ſolent ad fluidorum partes, quæ in vaſa ſecretoria congrua derivari debent, dirimendas ſejungendasque a cruore arterias præterfluente.

Prænot. 4 glandularum ſtructuram exponit. Ex *Heiſteri*, quem ſummum Germaniæ Anatomicum appellat, Compendio Anatomico repetit, glandulas eſſe partes peculiaris habitus,

ex congerie minutiſſimarum arteriarum, venarum, nervorum & plerumque etiam ductu excretorio conflatas, propria membrana cinctas, variæ figuræ, coloris & conſiſtentiæ, uſibus diverſis ut plurimum tamen ſecretioni alicujus liquidi deſtinatas. Recenſet deinde, quæ *Malpighius*, *Nuckius*, *Litrius*, *Ruyſchius*, *Winslowius*, *Cowperus*, *Bellinus*, *Leuwenhœkius*, *Keillius* aliique de glandularum ſtructura dedere. Integram quoque affert *Morgagni* epiſtolam, quam ea de re ab Autore conſultus exaravit. Omnibus probe penſitatis tandem concludit, veriſimillimum eſſe, pentiſſimam glandularum ſtructuram eſſe vaſculoſam.

Hiſce prænotationibus abſolutis, ſequitur ipſa de ſeparatione fluidorum in corpore animali diſſertatio, cujus tamen nunc non niſi pars prima prodit. Tribus ea capitibus abſolvitur, quorum primo leges generales tradit Cl. Autor, quibus fluida a ſanguine in corpore animali ſeparentur, ſecundo in fluidorum animalium naturam inquirit, tertio denique rationem reddere conatur, cur fluidorum alia in hæc, alia in illa glandularum vaſa ſecernentia influant.

Leges generales, quas ſancit, nonniſi duæ ſunt. Lex prima ita habet: *Cujusquemodi fluidum in arteriis præexiſtens, cujus pates cum ſanguinis partibus ſimplici contactu cohærent, ad glandulam aliquam perductum ac per eam fluens, in canaliculorum ſeparantium orificia, intra glandulæ cavum aperta minimeque reſiſtentia influet, dummodo fluidum ipſum ſit actu diviſum in partes, quarum maxima diameter ad minimam orificiorum diametrum haud habeat rationem majoris inæqualitatis.* Lex altera hujus tenoris eſt: *Cujuslibet fluidi a ſanguine ſeparandi partes intra arterias præexiſtentes, ab ipſomet ſanguine abſcedere poſſunt in ductus ſecretorios idoneos glandularum, quæcunque ſit ſanguinis per glandulas ipſas fluentis velocitas, dummodo partes ipſæ ſeparandæ cum reliquis ſanguinis partibus non ſint conglutinatæ, ſed eas ſolum contingant, ita ut ſeparationi haud obſiſtant.* Vi legis primæ cum *Pitcarnio* rejicit determinatas orificiorum in vaſis ſecretoriis figuras & magnitudines, quas in ſecretionis negotio multi admittunt, etſi cum *Gulielmino* ſentiat, ratiocinium *Pitcarnianum* adverſus pororum

multi-

multiformium propugnatores multa infirmitate laborare. Legis ſecundæ ſententiam *Baglivii* a *Jacobo Keillio* & *Jo. Bapt. Blanco* adoptatam, quod ſecretio hujus vel illius liquoris potiſſimum pendeat a majori vel minori propinquitate partium ad cor, explodit, qua in re ſibi conſentientem habet *Morgagnum* in Adverſariis Anatomicis.

C. 2 in fluidorum animalium naturam inquirens obſervat, *Joſepho Zambecchario* & *Laurentio Bellino* experimentantibus, lymphas ſaguinis, vaſorum lymphaticorum, ventriculorum cerebri & ſpinalis medullæ craſſitie inter ſe differre; lachrymas, *Nuckio*, *Hovio* & *Lovvero* inprimis annotantibus, perinde ac liquorem pericordii a ſero ſanguinis non differre; urinam ac ſudorem cum eodem ſero ſanguinis coincidere; ſalivam eandem eſſe cum liquoribus, qui in gulæ, ventriculi, pancreatis inteſtinorumque glandulis ſecernuntur; humorem muciloginoſum, qui in glandulis aſperæ arteriæ, in inteſtinis, oſſium omnium commiſſuris ſecernitur, eundem eſſe cum liquore, quo humeſcentes uteri, vaginæ, ureterum atque urethræ tum virilis, tum muliebris parietes interiores irrigantur; nec mucum a ſaliva & liquoribus iſtis albuginoſis, quas modo diximus, differre niſi craſſitie, & convenire cum liquore glutinoſo, qui in ſumma vagina uteri ſecernitur; ſemen virile ea craſſitie, qua urethra recens ejectum conſpicitur, ſanguini arteriis ſpermaticis concluſo haud ineſſe, determinatu tamen difficile eſſe, ſitne materia ſeminis idem cum lympha ſanguinis, aut vaſorum lymphaticorum, aut potius ventriculorum cerebri & ſpinalis medullæ; ſanguinem ſeu partem rubram cruoris craſſiorem eſſe ceteris fluidis corporis animalis, hoc eſt, in partes exiguas difficilius diviſibilem, immo pinguedinem & medullam craſſitudine antecellere; bilem liquoribus ceteris ante commemoratis craſſiorem eſſe ac inter liquores craſſos, lentos & oleoſos referendam; ſordes aurium non differre a liquore felleo; medullam eſſe oleum ſeu pinguedinem quandam; inter craſſitiem lactis mammarum arteriis comprehenſi & craſſitiem chyli cruore commiſſi nullum intercedere diſcrimen; ſpiritus animales eſſe admodum exiguos. Diſputat deinde contra vim attractivam, quam *Keil-*

lius ſpiritibus animalibus tribuit, cumque eam arguat ex attractione luminis a *Nevvtono* aſſerta, eandem quoque atro carbone notat, etſi *Nevvtonum* de attractionibus loquentem eodem modo excuſet, quo nos Virum ſummum excuſavimus in Actis A. 1713 p. 310 & ſeqq. Producit argumenta eorum, qui exiſtentiam ſpirituum animalium in dubium vocarunt, atque ea ſub incudem revocat.

Accedit tandem C. 3 ad ipſam problematis ſolutionem, cur fluidorum alia in hæc, alia in illa glandularum vaſcula ſecretoria influant. Cum lympham ſanguinis craſſiorem ſtatuat ea, quæ in vaſis lymphaticis continetur, ipſam difficilius dividi concludit in particulas perexiguas, atque ideo ex ductibus lymphaticis excludi, quod partium minimæ diametri maximis diametris orificiorum, quæ ad vaſa lymphatica pertinent, ſint majores. Similiter cum lympham cerebri & ſpinalis medullæ tenuiorem ſtatuat lympha ſanguinis & ductuum lymphaticorum; eam peranguſtis arteriarum evaneſcentium foraminibus primum fere ſub forma vaporum manare, tum hujusmodi vaporibus ſeſe apprehendentibus inque majores globulos coaleſcentibus in cerebri atque ſpinalis medullæ caveis inſtar aquæ *tenuiſſimæ* apparere infert. Quoniam itaque ante ulterius oſtendit, quodlibet fluidum, quod in corpore animali a ſanguine ſecernitur, cum aliqua iſtarum lympharum convenire; ideo hinc in ſpecie rationem reddit, cur hic & non alibi hic vel iſte liquor ſecernatur: quæ ſigillatim perſequi inſtituti noſtri ratio non fert. Cum hæc meditatus eſſet, meditationum ſuarum ſummam ad *Leibnitium* perſcripſit, qui d. 17 Sept. A. 1715. reſpondit, plures comminiſci licere rationes mechanicas, quibus ſecretio aliqua promoveri poſſit (quales etiam recenſet) ſed ſe ſuſpicari, quod fluidorum in corpore animali ſeparatio magis adſcribenda ſit cauſis phyſicis, quarum mechaniſmus occultus ſit. Putat nimirum, tubulos ſecernentes vel cognatos inde a nativitate continere liquores, qui ſibi ſimiles vel cognatos in vaſis ſanguiferis appellentes facile aſſumant, cujus inter alias cauſa eſſe poſſit harmonia conſentientium vibrationum motuumve inteſtinorum. Conſuluit quoque ea de re *Joannem Bernoullium* ante quatuor

tuor circiter annos, atque eum cum *Leibnitio* ſentire intellexit. Commendat ipſi *Bernardum Connorum*, eadem ſentientem, quem de ſecretione animali non inepte ſcripſiſſe judicat. Monet autem Noſter, jam dudum ante *Connorum* eandem ſententiam defendiſſe *Franciſcum Gliſſonium*. Adhortatur tandem rerum Medicarum & Anatomicarum ſtudioſos, ut ſibi perſuaderi patiantur, ſententiam iſtam non eſſe tam levem, tamque ineptam, cum *Leibnitius* atque *Bernoullius* in Mechanica excellentes eandem amplexi fuerint.

DISSERTATIO MEDICA DE SYMPAthia ſeu conſenſu partium corporis humani, ac potiſſimum ventriculi, in ſtatu morboſo; Autore HENRICO IOSEPHO REGA, Medicinæ Doctore, in Academia Lovanienſium Profeſſore.

Harlemi, apud Matthiam van Lee, 1721, 8.
Plag 17½.

CОnſenſus partium in ſcholis Medicis bifariam accipitur, & modo concurſum plurimarum partium ad hanc illamve actionem perficiendam conſpirantium ſignificat, modo compaſſionem quandam aut condolentiam partium innuit, qua fit, ut una male affecta alia pars ſimili vel diverſo, triſti tamen, ſenſu condoleat, quorum ille actionum, hic paſſionum conſenſus vocari poteſt. Neglecto priore de poſteriori Autori clariſſimo in hac Diſſertatione ſermo eſt. Sympathiam hunc vocat, quo nomine non ſolum plurium partium ſimultaneam affectionem, verum potius connexionem aliquam aut ſubjectionem intelligit, qua unius partis affectio ab alterius affectione dependeat, undecunque hoc proveniat, ſive ex eo, quod pars in partem agat, ſive quod altera alterius vitio quoquomodo patiatur aut laboret. Oſtendere igitur conatur, quam frequenter & quo modo partes male affectæ ſoleant ſecum in afflictionis conſortium trahere ſanas, ac læſam actionem non ſemper incipere aut primo ſentiri in regione & loco, ubi noxa inflicta eſt, verum cauſam mali latere poſſe alibi, quam ubi ſe exerit, &

ſentitur, hinc remedia non ſemper adhibenda eſſe, ubi dolor ſeu ſymptomata ſe manifeſtant, ſed diligenter inquirendum in morborum cauſas, & mali ſedem ante omnia oppugnandam venire. Interim tamen non negat, ſymptomata quandoque ſpecialem ſui indicare mitigationem, curamque palliativam nonnunquam eſſe neceſſariam. Quod originem, cauſam ac modum conſenſus partium attinet, generis ſimilitudinem, operis ſeu officii ſocietatem, vaſorum communionem & vicinitatem veteres allegarunt. Priora duo non admittit Noſter, illam vero ſympathiæ rationem, quam Autores a communi origine vel communicatione nervorum petunt, non rejicit, quoties nimirum hæc obſervatur vel ſubeſſe probabiliter judicatur. Quoniam vero in quibusdam eventibus nulla manifeſta aut probabilis connexio, nulla vicinitas aut contiguitas nervorum contingit, mirabilem illam atque celebrem fibrarum & præcipue membranacearum continuationem per totum corpus productam allegandam eſſe exiſtimat, quatenus ſolidum irritatum & oſcillans in momento temporis oſcillationes ſuas propaget ad remota & vicina loca, quibus per continuam ſuarum fibrarum ſeriem connectitur; nec opus ſemper eſſe putat, ut oſcillationes hæ ad cerebrum *primum* deferantur, ac inde ad partes conſentientes reflectantur, ſi nimirum membranæ, inter quas oſcillationes conſiſtunt, ſibi ſunt contiguæ. Non uno vero ſemper modo ſympathiæ hæ ſiunt, ſed prout textura, tonus, elater membranarum ſibi continuatarum, per quas oſcillationes propagantur, variant, oſcillationes etiam variabunt, majores minoresque fient, hinc pars remotior ſæpius afficitur, quam intermedia aut vicinior, imprimis ſi oſcillationes quædam directiones habeant peculiares verſus certas partes, ibidemque excitent dolores, aliasque ejusmodi affectiones. Contingit etiam, ut noxa, quæ infligitur alicui parti, non in hac ſed in remota tantum ſentiatur, quando ſcilicet in parte affecta talis ſubeſt fibrarum corrugatio, ut motus oſcillatorii verſus cerebrum propagatio, non ſecus quam per vinculum aliquod nervo injectum, præpediatur, adeoque & deſit ſenſatio, quæ in cerebro fit. Interim nec negat Autor, compaſſionem quandoque partium fieri per vaſa ſanguifera; ſiquidem non raro accidit, ut fluida, ſi per partem ali-

quam

quam circulantia retineantur in curſu, ſubito impetu aliorſum rapiantur, variasque ibidem excitent tragœdias. Probat itaque, caput cum omnibus atque ſingulis corporis partibus mediante dura & pia menynge non minus conſentire, quam reliquarum corporis regionum viſceribus, nt & artubus, miram intercedere cum variis partibus ſympathiam. Quoniam autem ventriculi tantus eſt in corpore conſenſus, quantus ullius alterius partis, & experientiis & autoritatibus evictum dat, eum mala, quibus affligitur, remotiſſimis etiam communicare ſolere partibus, inque cauſam hujus phænomeni inquirit, quam præter continuitatem vel contignitatem, partim ſummam ejus teneritudinem ac ſenſibilitatem, partim fibrarum motricum mobilitatem, partim miras nervorum, tam paris vagi, quam intercoſtalis, diſtributiones, quibus mediantibus arcto hic vinculo cum cerebro, dura matre, ſpinali medulla, faucibus, aſpera arteria, corde, pulmonibus, diaphragmate, hepate meſenterio, renibus, inteſtinis, ipſisque artubus connexus deprehenditur, eſſe exiſtimat; hinc ex ventriculo plerasque affectiones, quibus tres corporis regiones una cum artubus vexantur, deducit, imo febres non minus continuas malignas, quam intermittentes, ibidem ſuum nidum, fomitemque ſuum invenire probat. Quibus poſitis, recte inferri poſſe putat, plerorumque morborum originem a ſtomacho repetendam, medicamentorum in eundem præcipuam actionem advertendam, ac proinde in praxi præcipue ad eum attendendum eſſe. Operæ pretium eſſe duximus, quam fovet Autor Clariſſimus de febribus intermittentibus ſententiam, curatius cum L. B. communicare. Cauſa proxima paroxyſmi initio quidem, imo ſub incremento, conſiſtit in crebrioribus cordis majorumque ramorum arterioſorum contractionibus, cum aucta tamen reſiſtentia ad vaſa capillaria, a ſpasmodica eorum contractione ordinario dependente. Impedito ſic plus minus libero ſanguinis ex arteriolis in venas tranſitu hic in vaſis majoribus accumulatus redundet, neceſſe eſt, & inundata hoc modo ac ſubmerſa vaſa, cum ſe pondere & jugo, quo premuntur, liberare laborent, fortius inſurgunt, & ab obice illo, quaſi quodam ſtimulo, concitata motus ictusque ingeminant, ut per reſiſtentes

cana-

canales protrudant ſuccos, ſub qua continua alliſione & fluidorum attritu incaleſcunt ſolidæ partes, ita ut frigori ſuccedat calor. Perruptis denique & ſuperatis obſtaculis, habitus corporis tumidus apparet, vaſa rubent & inflantur, cor palpitat inſolentius, tantoque æſtu afficiuntur membra, ut ſanguinem efferveſcere & ebullire dicas, donec tandem ſudor largius profluat, & catarractæ omnes recluſæ videantur. Periodorum ratio ſequenti modo explicatur. Supponitur ſcilicet quædam materia febrilis, quæ in certa ac determinata quantitate & qualitate fibrillas corporis noſtri afficere, vellicare, ac ad motus anomalos concitare valeat, ita tamen, ut tunc tantum paroxyſmos hæc inducat, dum fibræ motrices ad motum illum ſuſcipiendum & reagendum diſpoſitæ ſint. Materiæ hujus febrilis ſedes in vitiatis, de tono v. g. dejectis, glandulis ventriculi eſt; inde enim fit, ut ſuccus digeſtorius a maſſa ſanguinea ad eas continuo affluens ſenſim magis magisque vitietur, ac inquinetur, donec tandem in ea adſit quantitate, ac qualitate, qua ſtomachi nervoſam ac maxime ſenſilem ſubſtantiam ſtimulet & vellicet, ac conſequenter per conſenſum totum afficiatur vaſorum ſanguineorum ſyſtema. Initium igitur & incrementum paroxysmorum ponendum eſt tum in productione & actione materiæ febrilis, tum in fibris matricibus, non tantum ſtimulatis, ſed & contractis & reagentibus: terminus vero in difflata aut ſubacta eadem materia, ac partibus ſolidis ſponte iterum remittentibus ac naturales oſcillatorios recuperantibus motus. Sic finito e. g. paroxyſmo ſecundo, hæret idem vitium in glandulis, quod erat in ſolutione primi; quo manente intervallum, quod requiritur, ut ea febrilis materiæ copia generetur, quæ ſufficiat ad paroxyſmum tertium, eſt æquale illi ſpatio, quod ſimili generationi impenſum fuit a paroxyſmo primo usque ad ſecundum. Similiter cum conjicere liceat, fibrarum conſtitutionem, quæ fuit a ſolutione prioris paroxyſmi, redire abſoluto paroxyſmo ſecundo, conſentaneum eſt, tempus, quod fluit a ſecundo ad tertium paroxyſmum, priori interſtitio debere eſſe æquale. Quod autem fons & fomes febrium intermittentium in ventriculo lateat, partim per celeberrimorum Medicorum autoritatem, partim per ſymptomata

ptomata, partim per remedia & curam demonſtratur. Autores, qui allegantur, ſunt Sylvius, Williſius, ac Fernelius. Symptomata urgent præcordia & partes, quas illa in conſenſum trahunt. Remedia & curam quod ſpectat, evacuantia primas vias ante omnia exhibentur, quæ excipiunt antifebrilia, ut cortex chinæ, qui in ventriculum adſtrictione ſua agit, impediendo ſcilicet, ne ex maſſa ſanguinea in eum depluat materia febrilis. Sic & reliquorum abſorbentium, præcipitantium, ſalium fixorum, & neutrorum, incidentium, amarorum, ſtypticorum, extractorum vegetabilium &c. virtus ultra primas vias ſe non extendit.

THE DOCTOR SCARIFYET,
ſeu
MEDICINA FLAGELLATA.

Londini, apud J. Batemann, & J. Nicks, 1721, 8.
Plag. 31 dimidiat.

AD edendum hunc tractatum Anglicum ſtimulavit Autorem, ut in Præfatione fatetur, amor in genus humanum, quod partim inſtruere, quomodo vitam prolongare, morbosque præcavere poſſit, partim monere intendit, ut abſtineant homines ab uſu medicamentorum fraudulentorum; vel potius abolere intendit abuſum præſentis, & reſtaurare ſimplicitatem veteris Praxeos cupit, obſervationes ſuas orbi literato communicando, partim methodum medendi fallacem, partim materiæ medicæ efficaciam, cui quoad maximam partem nimis fidere ſolent moderni, vanam concernentes. Hinc taxat pharmacopolas, Latinæ linguæ ut plurimum ignaros, nec materiam medicam ſatis intelligentes, quod medicamenta diſpenſent effœta, genuina non rite præparent, pretium eorum nimis augeant, ac Praxin, quam non callent, exerceant. Reprehendit Medicos, cum Pharmacopolis colludentes, morbos male diſcernentes, inique in cauſas inquirentes, fœminarum benevolentiam captantes, uroſcopos ac empiricos variis technis applauſum ſibi comparantes. Tirones potius inſtruit, illos potiſſimum, qui in Anglia nati ſunt, quomodo ſtudium Medicum rite auſpicari ac feli-

citer abſolvere poſſint, vultque, ut Latinæ & Græcæ linguæ ſint periti, Philoſophiæ per duos annos operam dent, inſimulque Botanicam excolant, in Anatomicis ſe exerceant, hinc Collegium Medicum Inſtitutionum & Practicum habeant, Noſocomia frequentent; conſulitque, ut in pharmacopolæ ædibus divertentes materiæ medicæ cognitionem ſibi comparent, medicamentorumque præparationi adſiſtant, chirurgosque ſibi reddant familiares, a quibus inſtrumenta eorumque uſum cognoſcere & operationes addiſcere queant; itinera inſtituant per Galliam, Italiam, Helvetiam, Germaniam, ibidemque celebriores Profeſſores adeant, ac Antiquitates obſervent. Periculum porro & damnum exponit, quod inferunt illi, qui cruda ſtudia ad Praxin adferunt, quod ut ægri evitare, & ſui quique Medici eſſe posſint, temperantiam commendat & collaudat, ac regulas generales pro conſervanda ſanitate præſcribit. Inter medicamenta, quæ nullius efficaciæ eſſe judicat, numerat lapidem bezoardicum, margaritas, aurum, aurum potabile ac fulminans, pilulas argento obductas, lapides pretioſos, ſarſaparillam, mumiam, partes animalium molles, pulverem viperarum, cranium humanum, nidos hirundinum, exuvias ſerpentum, & alia. De cetero errores quosdam, quos D. Mead, Quincy, Bradley &c. in ſuis ſcriptis de peſte commiſerunt, annotat.

FOEDERA, CONVENTIONES, LITERÆ & cujuscunque generis Acta publica inter Reges Angliæ & alios quosvis &c. ab ineunte Seculo XII ad noſtra usque tempora tractata. Tomus XIV & XV, accurante THOMA RYMER; *Tomus XVI, e ſchedis* THOMÆ RYMER *potiſſimum edidit* ROBERTUS SANDERSON; *& Tom. XVII, accurante* ROBERTO SANDERSON, *Generoſo.*

Londini, per W. Churchill, T. XIV 1712, T. XV 1713, T. XVI 1715, T. XVII 1717, fol.

Conſt. T. XIV Alph. 9, T. XV Alph. 9, T. XVI Alph. 8 pl. 20, T. XVII Alph. 11 pl. 16.

Etſi

ETſi morem, quem in antecedentibus Tomis recenſendis (quos ſcilicet operoſe ſatis & prolixe excerpſimus,) ſecuti ſumus, ſervare nunc nobis haud liceat, quippe librorum novorum copia ita continuo obrutis, ut, ſi unquam, nunc certe brevitate uti conveniat, aliquam tamen potius quam nullam reliquorum Voluminum, quibus opus egregium completur, mentionem facere maluimus, vel ideo, ut in Indice quarto Generali, quem abſoluto hoc anno parabimus, univerſum opus uno conſpectu exhibeatur.

In Tomo XIV, Acta ab A. 1523 ad A. 1543 complexo, plurima occurrunt notatu digniſſima: ut binæ Clementis VII Pont. bullæ, A. 1524 d. 5 Mart. & 11 Sept. datæ, quarum altera Henrico VIII titulum Defenſoris fidei, ob librum adverſus Lutherum editum, tribuit, altera eidem jus concedit atque autoritatem ſupprimendi quædam monaſteria, &, non obſtantibus quibuscunque conciliorum decretis aut Pontificum privilegiis, *etiamſi in illis caveatur expreſſe, quod illis etiam per quascunque Litteras Apoſtolicas nullatenus derogari poſſit*, reditus eorum in commodum Academiæ Oxonienſis convertendi; tractatus pacis A. 1525 inter Anglos Galloſque, poſt captum Franciſcum I, a Galliæ Regente Ludovica procuratæ, & ſponſiones de vigeſies centenis millibus aureorum a Gallis aliquot annorum ſpatio ſolvendis, atque inſtrumentum ſuper juramentum de obſervanda pace a Franciſco genibus provoluto poſt reditum in Galliam A. 1526 præſtitum; bulla item Pontificis, eodem anno ad Regem Henricum miſſa, qua is *Protector Fœderis Italici* declaratur. Patet quoque hinc, jam A. 1529 Aurelianenſem Academiam conſultam ab Anglis reſpondiſſe, *nuptias cum Fratris relicta, quam Fratriam vocant, citra divinæ legis injuriam attentari non poſſe, etiamſi ſummi Pontificis accedat indulgentia*, ut alia taceamus, quæ ad divortium Regis ſpectant. Tacemus &, quæ de ſumma Regis in Eccleſia autoritate afferuntur, ſiquidem ita titulum ſuum concipi Henricus præceperat A. 1535: *Henricus VIII, Dei gratia, Angliæ & Franciæ Rex, Fidei Defenſor & Dominus Hiberniæ, & in terra ſupremum caput Anglicanæ Eccleſiæ.*

Tom. XIV. p. 13. 24. conf. 272 ſſ. 48. ſſ. 175. 187. 290. conf. 392 ſſ. p. 549.

T.XV In Tomo XV, qui ad A. 1586 pertingit, memoratu digna ſunt:
p. 4, 5. Tractatus matrimonii inter Mariam Scotiæ Reginam & Princi-
110 ff. pem Eduardum, ſolenniter confirmati A. 1543, quod tamen
192. 193. effectu caruit; Teſtamentum Henrici VIII integrum; litteræ Regiæ, quibus centum libræ annuæ tum Martino Bucero, tum Paulo Fagio, Germanis, S. Theol. Profeſſoribus, conſignantur;
255. privilegium Laurentio Torrentino, Germano, de imprimendo *opere Digeſtorum, accurate ex archetypo, quod per multa ſecula Piſis, deinde Florentiæ conſervatum exſtitit, quod etiam plurimi docti homines illud ipſum eſſe crediderunt, quo uſus olim ſit Juſti-*
351. *nianus Imp. deſumpto*, conceſſum; Cuſtodia Bibliothecæ Weſt-monaſterienſis, quam Bartholom. Traheron ſub Eduardo VI habuerat, a Maria in Johannem Clyff cum ſalario viginti Marca-
377. 393. rum Sterlingorum tranſlata; documenta quædam ad ejusdem
404. &c. Reginæ cum Philippo nuptias ſpectantia, & alia.

T. XVI. Tomus XVI, ad A. 1616 excurrens, quem a Rymero dige-ſtum, eo mortuo, edidit Cl. Sanderſonus, maximam partem rebus ad ſublevandos non minus Belgas, quam Henricum IV R. G. ab Eliſabetha geſtis oppletus eſt, in quibus & variæ occurrunt
p. 34. 67. Principum Germaniæ Proteſtantium, imprimis *Chriſtiani I*
111. El. Sax. ad Reginam litteræ, cujus quidem Principis mortem, quam ſcelerate veneno a Chriſtianæ religionis hoſtibus maturatam credit, acerbiſſime illa luget in litteris ad Chriſtianum Principem Anhaltinum d. 22 Oct. 1591 datis, quippe *ſublato tali contra tam potentes adverſarios propugnatore, Chriſtianam Remp. graviſſimum vulnus accepiſſe* fatetur, hortaturque Principem, cujus *expeditionis in Galliam autor fuerit Saxo, ut in propoſito conſtanter perſeveret, nec prius exeat e Gallia, quam Henricus IV in coronæ ſuæ dignitate ſtabilitus ſit*, copias inſuper & pecunias libe-
207. raliter promittens. Eminent inter cetera: Litteræ Eliſabethæ ad Rudolphum II Imp. quibus ei omnino perſuaderi cupit, Turcas a ſe minime excitos fuiſſe ad bellum Cæſari movendum A.
284. 1593; ejusdem Imp. Litteræ, quibus Thomæ Arundello ob virtutem in bello Turcico demonſtratam Comitis S. Rom. Imp. dignitatem, *juribus tamen & ſuperioritatibus Eliſabethæ ſemper illæſis ac ſalvis*, contulit; quod quidem absque conſenſu ſuo fa-

ctum eſſe, adeo ægre tulit Eliſabetha, ut, ne in conſpectum ſuum p. 280.
veniret, titulove illo præter morem regni ſuſcepto uteretur, in-
terdixerit, imo & coſtodiæ eum, ad ſpeciem ſaltem animadverſio-
nis, mandaret, ut ex ejusdem Reginæ ad Cæſarem litteris patet;
mandatum porro de exterminandis ſub Jacobo Jeſuitis A. 1604 597.
promulgatum; deſcriptio numorum in memoriam unionis Re- 605.
gnorum Angliæ & Scotiæ cuſorum; tabulæ fœderis inter Jaco- 714.
bum & Electores & Principes quosdam Germaniæ, Veſaliæ d. 28
Mart. 1612 ſubſcripti; poſtremo Litteræ patentes, quibus idem 792.
Rex Carolum filium, qui *Princeps M. Britanniæ, atque Dux
Cornubiæ & Eborum, & Dux Albaniæ in Regno Scotiæ* appellatur,
Principem Walliæ & Comitem Ceſtriæ a ſe creatum, & per *cinctu-
ram Gladii, traditionem & poſitionem Serti in capite, & Annuli
aurei in digito, nec non Virgæ aureæ in manum inveſtitum*, pro-
nuntiat.

Tomus XVII ſeu poſtremus (plures enim non prodituros, T. XVII
Indices Nominum, tum & locorum & rerum in univerſum opus,
ac Syllabus Actorum omnium, qui huic Tomo acceſſere, indi-
cant) qui ad A. 1625, ſeu primum Caroli I, porrigitur, non minus
ſtudioſe a ſolo Sonderſono compilatus eſt. Ut vero pauca attin- 160.
gamus, legi merentur, quæ de renovatione fœderis cum quibus-
dam Germaniæ Principibus, de quo ad Tomum antecedentem 233.
diximus, A. 1619 tractata; mandatum item de herbæ Nicotianæ,
quippe corporibus noxiæ, uſu tollendo, ſtatutis gravibus pœnis, ſi 461. 473
quis aut plantare eam in Anglia, aut ex aliis provinciis advehere
auſus fuerit; pactum de Frankenthalio, quod Jacobus Rex no-
mine Palatini, generi ſui, militibus occupaverat, Iſabellæ Gu-
bernatrici Belgii in ſequeſtrum A. 1623 tradendo; tractatus de 499.
ſuſpenſione armorum in Imperio Germanico a Jacobo Rege d.
30 Maj. 1623 confirmatus, aliaque quæ ad legationes ejusdem
pro Genero inſtitutas pertinent.

Proſtant ergo nunc, quæcunque ab A. 1101 ad A. 1625 pu-
blico nomine exarata, in archivo hactenus Regio, Cottonianis i-
tem aliisque Codicibus latitabant, quibus ex eo ingens pretium ac-
cedit, quod pauca admodum libri exempla impreſſa ſunt, ut a-
deo jam pridem quingentis Joachimicis & ultra venditus fuerit;

nec tamen inficiandum, non ubique ſollicitos de ſelectu fuiſſe compilatores, quædam etiam adeo perverſe edita eſſe, ut vix ſenſus erui poſſit, ac denique ſphalmata irrepſiſſe vix condonanda, ut cum Rex *Daciæ* pro *Daniæ* & lingua *Græca* pro *Gallica* ponitur; nec tamen usquam operæ pretium viſum eſt errata addere. Quo magis laudanda adhuc eſt *Thomæ Madox* diligentia, qui *Formulare Anglicanum, or a Collection of ancient Charters and Inſtruments from the Norman Conqueſt to the End of the Reign of K.Henry VIII*, Londini 1702 in fol. accurate ſatis edidit,& prolixam inſuper ac eruditam de diſcernendis MStis Diſſertationem præmiſit, quod ideo hoc loco monendum duximus, quod liber ille pauciſſimis hactenus in noſtris oris innotuit.

THE ILIAD OF HOMER, TRANSLATED by Mr. POPE.

i. e.

ILIAS HOMERI CARMINE ANGLICO expreſſa, Autore ALEXANDRO POPE.

Tomus V & VI.

Londini, apud Bern. Lintot, 1720, fol. Alph.6 pl. 2 Tab. æn. 1.

EAdem, quam in antecedentis operis recenſione allegavimus, ratio nos movet, ut Voluminum horum,quibus tandem elucubratiſſimum Popii Poema abſolvitur, mentionem hoc loco vel pauciſſimis faciamus, poſtquam de prioribus diximus in Actorum Erud. Supplem. Tomi VII Sect. 7 p. 281 ſſ. Pertexitur in his Ilias Anglica a L. XVII usque ad finem L. XXIV,in quibus ita ſibi conſtat Autor, ut a carminis epici majeſtate, ſermonisque venuſtate, & exæſtuantis imprimis ſpiritus poetici calore nunquam remiſerit. Eandem quoque, quam antea, in Notis ſervavit rationem, niſi quod nunc ad L. XVIII paulo latius excurrat in deſcriptionem Clypei Achillis, & ſingulari diſſertatione probet,1 futiles eſſe Criticorum de eo cenſuras, 2 delineationem clypei, qualem cum Boivinio nos quoque in Actis A. 1716 id p. 184 repræſentavimus, deſcri-

deſcriptioni Homericæ optime reſpondere, 3 denique hanc ipſam deſcriptionem cum exactiſſimis rei pictoriæ regulis convenire, qua in re ad celeberrimum pictorem Anglum Godofredum Kneller, ceu judicem optimum, provocat. Sed ut de his quoque nonnihil hic addamus, more antehac ſervato, quæ ex S. Literis illu-
ſtravit Autor, confert is Il. τ v. 10 cum 2 Maccab. XV, 15; Il υ T.V
496 cum Devt. XXV, 4; Il. φ 13 cum Exod. X, 19; Il. φ 464 p. 179. 241
cum Eccleſ. XIV, 18; Il. φ 522, 523 cum Lament. Jer. I, 13; 283
Il. χ, 64 cum Eſ. XII, 16, Pſ. CXXVII, 9, Hoſ. XIII, 16; Il. χ, 296. 298
171 cum Deut. XII, 2; Il. ω 527, 528 cum Prov. XXXI, 6 & T. VI. p. 39
loca alia cum aliis, paſſimque miratur, ſcriptores duos omnium 47
confeſſione vetuſtiſſimos, Moſen & Homerum, tam belle inter 214
ſe conſpirare. Sub finem obſervationum non diffitetur, annotationes ex Euſtathio paſſim inſertas, a *Broomio* ſibi communicatas, & diſſertationem de Homero toti operi præmiſſam, ex his, quæ ipſe Popius collegerat, a *Parnellio*, nuper defuncto (cujus poemata proxime ſe editurum recipit) compoſitam eſſe; ac poſtremo univerſum poema *Congrevio* conſecrat. Acceſſere ultimo loco Indices, tum perſonarum ac rerum, tum poeticus, in fabulas, characteres, orationes, deſcriptiones, ſimilia, & ea quæ ipſo ſono rem exprimunt, diſtributus, tum denique artium & ſcientiarum, quarum veſtigia in Homero occurrunt. Ceterum cum ingenti ſatis pretio veniret hæc editio (nam ultra tres libras Sterl. conſtat) recudi cœpit liber Londini in forma octava, ita ut Tomi IV priores A. 1718 & 1719 prodierint, quibus hoc tempore haud dubie etiam hi duo Tomi poſtremi acceſſere.

WERNHERI TESCHENMACHERI AB ELVERFELDT Annales Cliviæ, Juliæ, Montium, Marcæ Weſtphalicæ, Ravensbergæ, Geldriæ & Zutphaniæ. Annotationibus, Tabulis Genealogicis, Geographicis, codice diplomatico atque Indice locupletiſſimo illuſtravit JUSTUS CHRISTOPH. DITHMARUS, Hiſtor. in Acad. Viadrina Prof. Ordin. ejusdem Academiæ Bibliothecarius & Societ. Scient. Berol. Sodalis.

Francof. & Lipſiæ, apud Chriſtoph. Gottlieb Nicolai, 1721, f. Alph. 9.

Cum

CUm & unicus fere hactenus in hac hiſtoria Teſchenmacherus, & rariſſime proſtaret, eoque immenſo pretio venderetur, rem oppido gratam fecit eruditis Cl. Editor, quod non ſolum opus ipſum a tot ſphalmatibus probe purgatum recudit, verum & nihil omiſit, quod ad illuſtrationem ejus & ornatum pertineret. Nec levibus ſubſidiis inſtructus hanc operam ſuſcepit: prætérquam enim quod optimorum Codicum, quos ipſe quoque Autor conſuluerat, Chronici imprimis Turckiani & Averdorpienſis, quod Noſter rectius Honſelarianum appellat, copiam habuit, alia quoque adhibuit MSta, Anonymi ſcilicet, quem Eſſendienſem Canonicum fuiſſe putant, Opus Geneal. Hiſtoricum *de Urſinis Principibus ex Harciniæ dominis oriundis, ex quibus veterum Teiſterbantiæ, & ab his ortorum Cliviæ Comitum, nec non Heusdanorum Dynaſtarum, Altenanorum Comitum, a quibus dein orti Comites Marcani, Arembergenſes, Iſembergenſes, & tandem Duces moderni Clivenſes, Bergenſes, Niverſii & Bulionii, item Lumaingæ & Seraingæ Domini* &c. tum & alterius Anonymi, qui ſe Secretarium Adolphi I & Johannis I Ducum Cliviæ vocat, *Genealogiam & Chronicon Comitum poſtea Ducum Clivenſium;* quibus in conſtruendis præſertim Tabulis Genealogicis, quas ſubinde magno Lectoris commodo inſeruit, diligenter uſus videtur doctiſſimus Editor. Nec parum ſe debere Viris in Republica ſummis, Ludovico Ottoni Nob. de Plotho, Potent. Regis Pruſſiæ Status rerumque graviſſimarum adminiſtro & ſupremorum Tribunalium Præſidi, & Jo. Henr. Schlütero, eidem Regi a Conſiliis juſtitiæ ſanctioribus & Societatis ſcientiarum Berolinenſis Directori, gratus profitetur. Quod ad Tabulas Geographicas attinet, quæ ex opere Geographico Blæviano mutuatæ, nonnullis quidem hujus libri exemplis additæ conſpiciuntur in editione priori, quæ Arnhemii 1638 prodiit, eas hic repetere operæ pretium minime duxit Noſter, ſed retenta ſolum Ewichii Tabula antiqua Cliviæ ceterarumque ditionum, novam ipſe adjunxit Tabulam, qua ſummaria medii ævi deſcriptio Geographica repræſentatur. Imprimis vero de Hiſtoria hac bene meruit, quod Codicem Diplomaticum haud vulgarem, Diplomata quippe CLIV complexum, adjecit, quo res in ipſo opere expoſitæ præclare illuſtrantur. E

Notis

Notis multa doctrina refertis ſpecimina promere ſupervacaneum ducimus, cum illæ cum Autoris aſſertis collatæ majori fructu ex ipſo opere petantur; illud tantum monendum, integras ſubinde Cl. Dithmari Diſſertationes, ut p. 189 ſſ. de Comitatu Teiſterbantiæ, p. 430 ſſ. de origine ac ſucceſſione Ducum Limburgenſium &c. & p. 467 ſſ. de rebus geſtis Comitum Ravensbergenſium; Catalogum item Abbatiſſarum Eſſendienſium p. 247, Abbatum Werthinenſium p. 249 ſſ. & Tuitienſium p. 413, aliaque documenta paſſim Notis inſerta deprehendi. Ceterum ut idem Vir Cl. editionem ſcriptorum Saxoniæ Inf. & Weſtphaliæ, cujus alicubi in Notis ſpem facere meminimus, feliciter abſolvat, etiam atque etiam optamus.

ATHENARUM LUBECENSIUM PARS III, auctore IO. HENR. von SEELEN, Rect. Lubec.

Lubecæ, apud Petrum Bœckmannum, 1721, 8.
Alph. 1 pl. 11.

PErgit Cl. Autor Lycei Lubecenſis recenſere diſcipulos, & tertio quidem hoc Tomo eos commemorat, qui vel ICti, vel Medici, vel Philoſophi, vel Philologi evaſerunt, publicisque inſervierunt commodis. Ex his noſtrum eſt producere eos qui non ſolum domi, ſed apud exteros quoque clarius conſecuti ſunt nomen, quosque dum uberius deſcripſit Cl. Selenius, haud dubie magnam inivit gratiam ab Hiſtoriæ literariæ cultoribus.

Inter ICtos occurrit *Daniel Lipſtorpius*, Lubecæ A. 1631 natus, ibidemque A. 1684 demortuus. Factus is eſt A. 1662 Profeſſor Juris in Academia Upſalienſi. Hinc A. 1672 Hagæ Comitis conſtitutus eſt Advocatus Curiæ Hollandicæ, reverſus hinc A. 1675 in patriam, ubi ſibi Muſisque vixit ad mortem usque. Edidit Lugduni Bat. 1653 *Specimina philoſophiæ Carteſianæ*, itemque *Copernicum redivivum* ſive *de vero mundi ſyſtemate* librum; Ienæ 1656 librum *de monarchia Papali*; Lugd. Bat. 1656 librum *de appellationibus in cauſis criminalibus*, & alium, *de concurſu aulici Imperatoris Iudicii cum Camera Spirenſi.* p. 98. ſqq.

 Io.

p. 130. *Io. Fridericus Pœppingius* A. 1638 Lubecæ natus, ibidem A. 1684 e vita diſceſſit. Emiſit A. 1668 *Orbem illuſtratum*, ſeu *Novam hiſtorico-politico-geographicam Imperiorum rerumque publicarum per totum terrarum orbem deſcriptionem*: quem librum acerba quidem cenſura proſecutus eſt Schurzfleiſchius in *Iudiciis Sarcmaſianis*, ſed benigniori exceperunt judicio alii.

160. *Nicolaus Theophilus*, Flensburgi A. 1541 natus, & A. 1604 Profeſſor Iuris Roſtochienſis demortuus, edidit præter aliquot libellos Iuridicos *Epigrammata*, laudatorem nacta Borrichium.

164. *Ioannes Werlhofius* Lubecæ A. 1660 in lucem editus, A. 1686 Politices, & A. 1696 Iuris civilis Profeſſor factus eſt in Acad. Helmſtadienſi, ibique A. 1711 exſtinctus. Præter optimæ notæ poemata pluresque libellos Academicos reliquit librum *de commerciis maritimis*, egregia daturus de Iure publico, de Iure Naturæ & Gentium, de Iure eccleſiaſtico, niſi mors eum occupasſet. Sed de hoc quidem doctiſſimo viro in his quoque *Actis* expoſitum fuit *Supplem. T. V p. 235 ſqq.*

222. Inter Medicos exhibetur *Hermannus Grubius*, Lubecæ natus A. 1637. Fuit is Medicus ordinarius Hadersleblenſis in Holſatia, eoque in oppido A. 1698 diem ſuum obiit. *Scripſit* librum *de malo citreo*, item *de arcanis Medicorum*, porro *de transplantatione morborum*, ac denique *de vi Muſices in ictu Tarantulæ*. Receptus in Sodalitatem Naturæ Curioſorum geſſit nomen Palamedis.

347. *Henricus Meibomius*, Lubecæ A. 1638 natus, Helmſtadii fuit Profeſſor Medicinæ, Hiſtoriæ & Poeſeos, ibique deceſſit A. 1700, relictis compluribus ſcriptis argumenti medici, hiſtorici, poetici, quæ hic ſingulatim commemorantur.

394. *Joan. Jac. Stolterfothius*, Sleſuici A. 1665 natus, Gryphiswaldiæ A. 1693 factus eſt Profeſſor artis Medicæ. Hinc Lubecam migravit ibique A. 1718 Archiater mortuus eſt, relictis libellis plurimis, qui hic recenſentur.

267 -- 290. Inter hæc Cl. Autor exhibet ſpecimen notarum nondum editarum, quas tamen dignas, quæ edantur, cenſuit Morhofius atque Grævius, *Jacobi Holſtii* in Cornelium Celſum, quæ nunc latent Lubecæ in bibliotheca Kryſingiana. Sunt eæ notæ criticæ ſive thera-

therapenticæ. Id enim egit Holſtius, Medicus Tonningenſis, ut mendas librariorum tolleret e Celſi libris *de re medica*. Iudicabunt hinc Critici, quanto ſuo incommodo poſthac carituri ſint hoc labore Holſtiano.

Philologos inter atque Philoſophos obiter meminit *Morhofii*, fateturque non obſcure, errare eos, qui Morhofium ſcribunt inſediſſe ſcholæ Lubecenſis ſubſelliis. Etiam ad ea, quæ jam *P. I p. 50 ſqq.* de *Io. Kirchmanno* protulit, hic annectit Spicilegium, in quo docet, Rev. Kraftium in civitate Huſumenſi poſſidere omnia MSS. Kirchmanniana, quorum hic exhibetur Catalogus. Docti imprimis optabunt, ut edantur hic memoratæ cum ipſius Kirchmanni, tum aliorum eruditione clarorum hominum epiſtolæ. Uberius vero Cl. Autor exponit de *Joachimo Jungio*, Lubecæ nato A. 1587. Is A. 1624 Roſtochii factus eſt Profeſſor Matheſeos; A. 1625 Helmſtadii Profeſſor Medicinæ. Hinc A. 1629 Hamburgenſis Gymnaſii ſcholæque conſtitutus eſt Rector, ibique defunctus A. 1657. Huius viri & elogia & ſcripta hic recenſentur. Eum fuiſſe auctorem Societatis roſeae crucis, hic negatur. Memoratur etiam eius controverſia cum ſacerdotibus Hamburgenſibus de ſtylo N. T. eiusque barbariſmis, item controverſia eius Logica cum Scharfio, Philoſopho Wittebergenſi.

Ultimo loco Cl. Selenius nos docet, ſe in eo eſſe, ut novam Helmoldiani Chronici editionem adornet. Cum enim ſuperiores eius editiones hoc tempore ſint rariſſimæ, recudendam accurate curabit editionem Bangerti, novasque ſubinde notas ei adjiciet, imo & aliquot Diſſertationes Helmoldum illuſtraturas. Pollicetur etiam p. 519 *Delicias Poetarum Lubecenſium*, & p. 540 librum *de Epoptis veterum*.

IO. IACOBI SYRBII INSTITUTIONES Philoſophiæ primæ novæ & eclecticæ.

Ienæ, apud Io. Fel. Bielckium, 1720, 8.
Alph. 1 pl. 17.

P*Hiloſophiam primam* ſive *Metaphyſicam* tam longo ævo nihil aliud fuiſſe, quam Gloſſarium Philoſophicum in qualemcun-

que ſcientiæ formam redactum, inter omnes conſtat. Cum enim Scholaſtici in Philoſophiam ac Theologiam innumeras voces novas veteri Latio incognitas invexiſſent, qui illam addiſcends cupidus erat, ei & has cognoſcere neceſſe erat. Ceterum Scholaſticam iſtam Methaphyſicam injuſte ſuperbire titulo *Philoſophiæ primæ ac ſapientiæ architectonicæ*, doctiſſimus quisque proximis temporibus agnovit doluitque. Non hic ſubſiſtendum ſibi putavit Celeb. Autor, ſed manum admovit novo ædificio, veram ſuoque nomine dignam concinnaturus *Philoſophiam primam.* Scilicet cum in Academia Ienenſi ſuſcepiſſet munus Profeſſoris Philoſophiæ primæ & Logicæ, utrique muneri ſatisfacturus non ſolum edidit *Inſtitutiones philoſophiæ rationalis eclecticas*, in his Actis A. 1718 p. 327 ſqq. recenſitas, verum etiam, poſtquam iam A. 1710 Diſſertationem ediderat *de philoſophia prima in locum & honorem ſuum reſtituenda*, nunc tandem *Novas & eclecticas Inſtitutiones primæ philoſophiæ* producit in publicum.

Vt autem cognoſcatur, quid Cl. Autor vocet *philoſophiam primam*, ipſe eam definit complexum fundamentorum totius philoſophiæ, ſive ſyſtema primarum præcipuarumque veritatum philoſophicarum. Cum vero non omnium, quæ ad philoſophiam pertinent, fundamenta æque clara perſpectaque ſint, hinc duplicem facit Philoſophiam primam, *manifeſtam* & *occultam*: quarum illam appellat *architectonicam*, hanc *metaphyſicam*. *Architectonicæ* obiectum adæquatum non putat eſſe *ens, quatenus ens*, ſed *hominem*: adeoque *Architectonica* ipſi eſt *diſciplina prima, ex ipſa natura hominis doctrinæ reliquæ fundamenta ponens atque applicans*. Diviſit eam in ſeptem Capita, quorum primo agit de natura & partibus hominis in genere; ſecundo de fine ſummo, hoc eſt, DEO, hominisque ad eum relatione; tertio de ſtudiis hominum in genere; quarto de ſtudio ſapientiæ ſive philoſophiæ in ſpecie, diſciplinarumque nexu; quinto de fundamentis logicis; ſexto de fundamentis moralibus; ſeptimo de fundamentis phyſicis. Quod attinet ad alteram partem Philoſophiæ primæ, *Philoſophiam occultam* ſive *Metaphyſicam*, eam Cl. Autor definit *diſciplinam, res occultas & ex traditione philoſophica oblatas ad principia certiora, revelationis divinæ rectæque rationis*,

nis, *exigentem.* Agit igitur Capite *primo* de ſpiritibus in genere, eorumque exiſtentia, eſſentia, attributis, & operationibus generaliſſimis; *ſecundo* de variis ſpirituum generibus; *tertio* de iis quæ de DEO ſunt occulta; *quarto* de occultis animæ humanæ; *quinto* de divinatione huiusque variis generibus; *ſexto* de Magia; *ſeptimo* denique de occultis corporum naturalium. Tertia Pars, quam *Philoſophiam primam verbalem* vocat, eſt *Ontologia*, ſeu Explicatio terminorum vulgarium, quibus hodie carere non poteſt philoſophiæ ſtudioſus: quam quidem Cl. Autor haberi vult pro appendice Philoſophiæ primæ.

Non temere auguramur, Lectores noſtros edoceri velle ſpecialiora huius libri argumenta. Aſt cum ipſe Autor nervoſæ brevitatis ſtudioſiſſimum ſe præbeat, quæque poſt accuratam præſtantiſſimorum librorum lectionem ſubtilemque meditationem cognitu digna cenſuit, arctiſſimo compendio conſtrinxerit, non licet nobis, niſi leges methodi noſtræ migrare lubet, ſingulas perſequi materias. Ne tamen totam ſpem lectorum noſtrorum fallamus, ſingularia quædam excerpemus, digito monſtraturi fontes, unde peti queunt uberiora. *P. I cap. 1 §. 8* incongruum cenſet, brutis abjudicare omnem rationem omnemque intellectum. §. *27* veroſimile putat, unionem animæ cum corpore conſiſtere in amore. *Cap. 2* exhibetur elegans Compendium Theologiæ naturalis, ſive, ut ipſe p. 19 loquitur, *ſumma univerſæ Theologiæ philoſophicæ.* Hic §. 14 *aſeitatem* DEI vocat inficetæ & prodigioſæ barbariei vocabulum, idque ſine cauſa effictum putat. *Cap. 3* de diſtinctionibus *boni* agit, ſimulque de temperamentis hominum eorumque natura. §. *21* ſtatuit, animas hominum non eſſe omnes eiusdem generis ac veluti vnius maſſæ, ſed gradibus inter ſe differre. Tres autem in claſſes diſtribuit humanas animas, in earumque infima collocat animas tardiores & humiles, avaras & melancholicas; in media animas agiliores & lætiores, voluptati intentas; in ſuprema animas acriores & velociores, ad gloriam adſpirantes. *Cap. 4* varias eruditionis diviſiones exhibet & expendit, ubi quidem §. *3* diviſionem *ſapientiæ* in *divinam & humanam* rejicit, cum omnis ſapientia pro divino tantum bono ſit

 haben-

habenda. §. 13 de *pedantiſmo* præclare agit, eumque §. 14 diſpeſcit in ***antiquarium*** & ***novaturientem***, per poſteriorem intelligens illud literatorum vitium, quod nonnulli *galantiſmum* vocant. *Cap.* 5 §. 5 rejicit diſtinctionem inter *ideas innatas & acquiſitas*, putans, ex omnium exemplorum inductione patere clariſſime, ideas omnes eſſe acquiſitas, innatam nullam. §. 7 rejicit diviſionem idearum in *veras & falſas*, eamque putat neque Metaphyſico ſenſu tolerari poſſe: quanquam valde veremur, ne controverſia hæc redeat ad λογομαχίαν. § 12 ſqq. vulgarem rejicit doctrinam de tribus operationibus mentis, arbitratus, plures nominari debere mentis operationes. Eas hoc ordine enumerat: perceptio ideæ, contemplatio ideæ, recordatio, fictio ideæ, comparatio idearum, dubitatio, affirmatio & negatio, abſtractio, ratiocinatio ſive collectio, diſpoſitio idearum, attentio. *Hæ ferme ſunt*, inquit, *potiores mentis noſtræ operationes, a quibus, ſi quæ ſunt reliquæ, non tam ratione formali, quam objectis, videntur diverſæ.* §. 34 rejicit diviſionem Logicæ in partem dialecticam & analyticam. *Cap.* 6 §. 11 vulgarem opinionem, qua voluntas dicitur obſequi intellectui, repudiat. Cum enim *obſequi* ſit facere, quod alter *vult;* intellectus vero *non habeat facultatem volendi;* hinc ſequi putat, nec intellectum imperare voluntati, nec voluntatem obſequi intellectui. Viderint tamen alii, annon hic quoque ſubſit λογομαχία §. 17 *ſqq.* de libertate humanæ voluntatis curate fuſeque diſputat. §. 33 *ſqq.* agit de numero & ordine affectuum, variasque Philoſophorum opiniones recenſet & ponderat, ac deinde ſuam affectuum diſpoſitionem exhibet. §. 39 *ſeqq.* agit de fundamento moralitatis, quo de argumento aliquot abhinc annis controverſia ipſi interceſſit cum S. R. Wernsdorfio. Contendit igitur, primum moralitatis fundamentum eſſe voluntatem DEI, alterum libertatem hominis. Refellit a p. 247 usque ad p. 285 eos, qui intrinſecam ſtatuunt moralitatem, item actiones per ſe & ſua natura morales, id eſt, juſtas injuſtasque, ſententiamque Puſendorfii, quam tuetur, rite explicat, recteque formare ſtudet ſtatum controverſiæ. Ad ultimum tamen manifeſtum facit, in hac controverſia multum eſſe λογομαχίας, ſuosque ac Puſendorfii antagoniſtas obſcuras confuſasque ideas habere. §. 41 agit de principio Iuris naturalis

ralis, miraturque, eruditos in diverſiſſimas de re tam clara diſceſſiſſe ſententias. Statuit igitur, *finem hominis* eſſe verum, primum, clarum, adæquatum, & unicum principium, quod non ſolum voluntatem DEI, ſed & actionum ad normam relationem & moralitatem cumulate cuivis patefaciat. §. *42* de natura legis diſputat, a Viro quodam illuſtri adductis rationibus diſſentiens, qui legem naturalem cenſuit eſſe legem improprie dictam. *Cap. 7* initio de motu diſputat, definitionemque *motus* Ariſtotelicam præbere poſſe cenſet exemplum prodigioſæ obſcuritatis. §. *15* oſtendit, leges motus Carteſianas Newtonianasque non eſſe omni exceptione majores. §. *17* docet, Phyſicam veram maximam partem eſſe occultam.

Venimus ad *Metaphyſicam* Syrbianam, cujus Capite 2 Cabbaliſtarum, Chaldæorum, Ægyptiorum, aliorumque philoſophorum dogmata de ſpiritibus ſtrictim exhibentur eruditeque, contendente autore, barbarorum Græcorumque philoſophorum de ſpiritibus doctrinam originem traxiſſe e Cabbala Judaica. *Cap. 3* §. 4 Cl. Autor docet, philoſophos ethnicos unitatem DEI aſſeruiſſe univerſos, ſimulque diſſenſum ſuum profitetur a Viro quodam celeberrimo, qui Platonem publico ſcripto poſtulavit atheiſmi. §. *6* docet, myſterium Triados divinæ non patere ex nuda ratione, attamen ejus veſtigia in philoſophia barbarica & Platonica ſupereſſe ſtatuit non obſcura, ratus, ex traditione Hebræorum hanc doctrinam perveniſſe ad ethnicos. §. 7 tradit, mundum non poſſe quidem non habere cauſam efficientem, attamen a DEO eum potuiſſe ab æterno creari. §. *11 ſqq.* Spinozæ, poteſtatem miracula patrandi DEO abjudicantis, argumenta refellit. *Cap. 4* §. *4* ad quæſtionem de origine animæ, poſtquam varias retulit opiniones excuſſitque, reſpondendum exiſtimat: *Non liquet.* §. *9 ſq.* philoſophatur de unione animæ cum corpore, creditque, eam fieri *deſiderio*, quod proinde vocat *affectum unionis*. Has ceteraſque de anima quæſtiones docte ſingulas illuſtrat ex hiſtoria philoſophica. §. *17* agit de facultate animæ imaginativa, deque admirabili vi imaginationis humanæ. *C. 5* §. 7 & 8 diſſentit ab Antonio van Dale, qui gentilium oracula ad unum omnia retulit ad fraudem malitiamque hominum, excluſo prorſus Diabolo. *§. 10 ſq.* divinationes naturales, e. g. chiromantiam, phyſiognomiam, ſympathiam, non ſimpliciter rejiciendas putat,

ſuadet-

ſuadetque hic eruditam ἐποχήν. *Cap. 6 §. 9* definit *Magiam* facultatem, qua homines ope Diaboli alicujus, peculiaribus cærimoniis ſibi conciliati, ea præſtare videntur, quæ alias viribus humanis præſtari non poſſunt. Non facit in hac definitione peculiaris cum Diabolo pacti mentionem, quippe quod magiæ accidentale duntaxat ſit, non eſſentiale. Exiſtere illam Magiam, Cl. Autor non ſolum credit, ſed etiam rationibus adſtruit, maxime e S. Scriptura petitis. Speciatim *§. 12* ſqq. Viri cujusdam illuſtris argumenta, in Diſp. *de crimine Magiæ* contra eius exiſtentiam prolata, ſtudioſe refellit. *Cap. 7 §. 4 ſq.* exponit cauſas, cur in Phyſica tam multa ſint incognita. §. 7 docet, doctrinam de anima mundi nondum nec probatam nec refutatam ſatis eſſe. §. *9* harmoniam præſtabilitam Leibnitianam prorſus rejicit. §. *12* de pluralitate mundorum certi quid definiri poſſe negat.

Subſiſtimus hic, paucis addentes, non ſolum ſubnecti huic operi Tabulam, univerſam hiſtoriam philoſophicam compendioſe repræſentantem; ſed & Cl. Autorem in Præfatione polliceri, ſe reliquarum quoque diſciplinarum Inſtitutiones elaboraturum, ac deinde omnes diſciplinas philoſophicas etiam vernaculo explicaturum eſſe ſermone, ut & a rudioribus percipi poſſit philoſophia: cui quidem conſilio felicem apprecamur ſucceſſum.

D. JOANNIS FECHTII HISTORIA ET EXAmen novæ Theologiæ Indifferentiſticæ.

Roſtochii & Lipſiæ, ap. Jo. Henr. Rusvvormium, 1721, 8. Alph. 1 plag. 12.

POſtquam Clariſſimus Vir, M. Guſtavus Fridericus Fechtius, beate defuncti Parentis InſtructionemPaſtoralem & eiusdem Lectiones theologicas in Selectiorum ex diverſa Theologia controverſiarum, recentiorum præcipue, Syllogen e ſchedis paternis in lucem publicam emiſit,ut de erudito Orbe præclare mereri pergeret, Theologiam Indifferentiſticam, a B. Genitore Auditoribus ſuis olim in lectionibus publicis propoſitam, reliquis paternis ſcriptis, quæ porro edere parat, ideo præmittendam eſſe cenſuit,quo peſtilenti dogmati, virus ſuum per patrocinantium ingenia, calliditatem atq; inſidias plus quam credi poteſt, ubique hodie diffundenti,in eo nervi incidantur magis. Ut autem hunc librum magna induſtria elaboratum, & hac ætate maxime utilem Lectori eo magis commendabilem redderet, non tantum eundem e MSS. paterno, inſtituta diligenti & accurata collatione, recenſuit, ſed illi quoque præfationem præmittere, quadrupliceemque indicem, capitum, locorum S. Scripturæ vel explicatorum, vel vindicatorum, vel illuſtratorum, vel adductorum, Actorum allegatorum, & rerum atque verborum ſubjungere haud inconſultum duxit.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Decembris Anno MDCCXXI.

SEPTUAGINTA INTERPRETUM TOMUS Tertius, continens V. T. libros Propheticos omnes ſive canonicos ſive apocryphos; quos ex antiquiſſimo codice Alexandrino accurate deſcriptos ope aliorum exemplarium ac priſcorum ſcriptorum, præſertim vero Hexaplaris editionis Origenianæ, emendavit atque ſupplevit V.Cl. JOAN. ERNEST. GRABE, Boruſſus, S. T. P.

Oxonii, e theatro Sheldoniano, 1720, 8.
Alph. 3 pl. 6.

UNicus, qui adhuc ad complendam LXX Interpretum editionem Grabianam deſiderabatur Tomus, ordineque eſt *tertius*, quem quartus ſeu ultimus multis annis anteceſſit, non multo poſt ſecundum etiam prodiit, ſcripta divinorum Vatum cum majorum tum minorum comprehendens. In his minores majoribus anteire, & ordine, qui ab Hebræis paululum diverſus eſt, ita ſe inſequi videmus, ut ſit I Hoſeas, II Amos, III Michæas, IV Joel, V Abdias ſeu Obadias, VI Jonas, VII Naum, VIII Abbacuc, IX Sophonias, X Aggæus, XI Zacharias, XII Malachias. Qui vero illis ſuccedunt majores, comparent eo ordine, quo in Hebræis habentur codicibus, niſi quod poſt Threnos liber Baruch & epiſtola Jeremiæ ad captivos in Babylonia Judæos, in initio Danielis fabula Suſannæ, & in ejusdem fine Belis & draconis fabulæ ibidem legantur. Offerunt & hic ſe prolegomena, ex quibus cognoſcere licet, *primum* autorem prolegomenon ſecundi Tomi eſſe literatiſſimum Virum, *Fran-*

ciſcum Lee, qui tamen æque ac Georgius Smalridge Epiſc. Briſtolienſis, antequam hic tertius Tomus prodiret, ex hac vita diſceſſit, *tum* Grabium, ut ipſe in ſuis ſchedis notavit, plus centum triginta verſus ad hunc tomum ſpectantes ex antiquis Eccleſiæ ſcriptoribus & MSS. exemplaribus eruiſſe, & locis ſuis in hac editione reſtituiſſe, quos minores literæ a textu Alexandrino diſcernant, *deinde* editionem hanc exemplar Grabianum cum aſteriſcis obelis & reliquis Hexaplaribus notis accurate referre, *tum* aliquot commata Jeremiæ, quibus LXX verſio, Cap, VIII, 10, 11 12, XXVIII, 44-49, LII, 28-30, careat, & quæ nec a Grabio adjecta fuerint, nec ex ejus ſcripto, quod nominavit quidem ſed inveniri non potuit & ita procul dubio periit, peti potuerint, ex Flaminii Nobilii notis, quæ in T. VI Bibl. Polyglot. Waltoni extant, ſuppleta eſſe, *poſtremo* commata 6,7,8 Cap. X Jer. poſt 9 ſtudio eſſe expreſſa. Ac ut melius de codice Alexandrino Prophetarum conſtet, hic, uti in prolegomenis ſecundi tomi factum, exhibentur & lectiones ejus in Bibliis polyglottis Waltoni vel non accurate expreſſæ vel plane omiſſæ, & codicis Alexandrini in Prophetis ſphalmata, & diverſa ejusdem ſcribendi ratio, qua cum vocales tum conſonantes ſunt permutatæ, conſonantes *adjectæ*, loco duplicis conſonantis ſimplex, & loco ſim*plicis* duplex apparet; quamvis fateri oporteat, tantum ſpecimen hujus rei a Grabio eſſe confectum, neque omnia, quæ huc pertinent, ab eo animadverſa. Antequam ab his Autor Prolegomenon abit, illuſtrat quædam LXX verſionis loca, & contendit, Abdiæ XVIII legendum eſſe πυρφόρος, quod eum, qui face accenſa in bello ad pugnandum dederit ſignum, & ſine ſcelere violari non potuerit, notat, cui hebræus textus prorſus conſonet; atque Mal. II, 15 LXX recte legiſſe אחר καὶ ὀυκ ἄλλον, quoniam Propheta arguat, Judæos uxores pro lubitu repudiantes & alias ducentes, cum ſcire debeant, æque illas ac ſe feciſſe eundem Deum & non alium. Ac quoniam in edendo Jeremia Grabium multum juvit Regius Codex, is qui horum prolegomenon eſt Autor iſtum Prophetam a Cap. XXVI ad LII percurrit, oſtenditque, quomodo ea, quæ in Alexandrino codice omiſſa aut minus accurate expreſſa ſint, ex illo ut & Marchaliano, ſeu R. Patrum Societatis Jeſu, qui

cum

cum illo prorſus conveniat, emendata ſint atque ſuppleta. Exhibet idem collationem Vaticani & Alexandrini Codicis in Prophetis Hoſea, Amoſo, Micha & Joele a Grabio factam, qui etiam Barbarinum Laudinumque codices & Theodoreti lectionem in auxilium adhibuerit; ubi & contra Capellum docetur Hoſ. I, 10 LXX legiſſe יפרצו & κατευθύνειν etiam ſignificare proſpera incrementa capere, & in eodem loco com. 22 LXX neque ἐν συμβόλοις, neque ἐν συμβουλαῖς, ſed ἐν ξύλοις ſcripſiſſe. Poſt quæ non tantum aliquot capitum Jeſaiæ variæ lectiones codicum Vaticani & Alexandrini producuntur, ſed etiam hujus cum Hexaplis convenientia oſtenditur, ut Alexandrino codici ſua conſtet autoritas, quæ & contra Morinum variis exemplis defenditur, in quo etiam duo inſignia additamenta Jeſ. IX, 6 & LXVIII, 1 legi animadvertitur. Tum diſſeritur de duobus regiis codicibus, quibus Grabius in adornando hoc Tomo uſus eſt, & ex eorum poſteriori ſumma capitum Jeſaiæ græce breviter ſiſtitur, in quo tamen Prophetæ minores in capita diviſi non compareant. Afferuntur tandem conjecturæ, quas Grabius in textum intulit, quarum cauſa ab eo Mal. II, 16 ἐνδόιμαλα pro ἐνθοίμαλα, Jeſ. XXX, 10 δότια pro λάλια, v. 16 ἀναβάται pro ἀναβάλαις, LVII, 18 παθηνοῖς pro ποθηνοῖς, Jer. XVI, 26 Μαναὰ pro μαννὰ ſit poſitum. Ceterum id adhuc monendum eſt, quod etiam in prolegomenis indicatur, non tantum multa commata *Jeremiæ* hic comparere, quæ in aliis LXX editionibus deſiderantur, ut ſunt Cap. X, 6-10, XI, 7, 8, XVII, 1, 4, XXVII, 1, 7, 13, 14, 17, 19-22, XXVIII, 14-20, XXIX, 15-21, XXX, 10, 11, 15, 22, XXXIII, 14-25, XXXIX, 4-13, XLVI, 26, XLVIII, 45, 46, 47, XLIX, 6, LI, 45, 46, 48, LII, 2, 3, 15, 28, 29, 30, ne quid dicamus de variis vocibus, quæ in aliis editionibus fruſtra quæruntur, in hac vero ad commata perfecte exhibenda leguntur, ſed etiam ejusdem Prophetæ capita a XXV ad LI, ſi Alexandrinum codicem cum Hebræo conferas, multum a ſe diſtare, & quæ hic in poſterioribus habet, illum in prioribus tradere; quemadmodum ea, quæ ſubjicimus, clariſſime docent.

LXX Alexandr.		Hebræus codex.
Cap. XXV, 1-14, 34-39	eſt	Cap. XXV, 1-14 & XLIX, 35-39.

Cap.	XXVI, 1-28	XLVI, 1-28.
	XXVII, 1-46	L, 1-46.
	XXVIII, 1-64	LI, 1-64.
	XXIX, 1-22	XLVII, 1-7 & XLIX, 7-22.
	XXX, 1-6, 28-33, 23-27	XLIX, 1-6, 28-33, 23-27.
	XXXI, 1-47	XLVIII, 1-47.
	XXXII, 15-38	XXV, 15-38.
	XXXIII, 1-24	XXXIII, 1-24.
	XXXIV, 1-22	XXVII, 1-22.
	XXXV, 1-17	XXVIII, 1-17.
	XXXVI, 1-32	XXIX, 1-32.
	XXXVII, 1-24	XXX, 1-24.
	XXXVIII, 1-40	XXXI, 1-40.
	XXXIX, 1-44	XXXII, 1-44.
	XL, 1-26	XXXIII, 1-26.
	XLI, 1-22	XXXIV, 1-22.
	XLII, 1-19	XXXV, 1-19.
	XLIII, 1-32	XXXVI, 1-32.
	XLIV, 1-21	XXXVII, 1-21.
	XLV, 1-28	XXXVIII, 1-28.
	XLVI, 1-18	XXXIX, 1-18.
	XLVII, 1-16	XL, 1-16.
	XLVIII, 1-18	XLI, 1-18.
	XLIX, 1-22	XLII, 1-22.
	L, 1-13	XLIII, 1-13.
	LI, 1-30, 1-5	XLIV, 1-30 & XLV, 1-15.

מפתח לשה הקדש

CLAVIS LINGUÆ SANCTÆ, CONTINENS grammaticalem explicationem 564 verſiculorum ex libro Pſalmorum & 546 verſiculorum ex cæteris libris V. T. in quibus omnes radices pure Hebraicæ cum nonnullis radicibus Chaldaicis (occurrentibus tamen in libris Hebraicis) inveniuntur, & in hac clave referantur, & juxta grammaticas regulas reſolvuntur & explicantur, Autore NICOLAO TROTIO.

Oxonii

Oxonii, e theatro Sheldoniano 1719, fol. maj.
Plag. 16.

SI vel nullo alio, certe hoc duplici nomine opus hoc omni admiratione eſt excipiendum, quod ab illuſtri Autore; quodque ex novo orbe, præſtantiſſimi theſauri inſtar, inaudito hactenus exemplo profectum, præcipuam orientis linguam ad ultimam occidentis regionem delatam, ibidemque a ſummæ dignitatis viro in delitiis habitam eſſe teſtatur. Autor hujus operis, qui Armigeri & Regis Magnæ Britanniæ Conſiliarii titulis eminet, atque ſupremi cauſarum judicis in Carolina, Indiæ occidentalis provincia, munere jam a quatuor luſtris ſtrenue defungitur, non ſolum leges, in coloniis Anglicanis hactenus latas, magna cum ſolertia collegit, quas etiam cum veteris orbis legum peritis communicare conſtituit; ſed &, ſacrarum litterarum dulcedine captus, incredibili labore & induſtria, graviſſimas inter occupationes ſuas, Hebrææ linguæ cultoribus clavem ejusmodi comparare haud eſt gravatus, qua intimos ſacrarum litterarum receſſus faciliori negotio poſſint recludere. Opus itaque in Carolina compoſitum, itinere ob publica negotia facto in Angliam, Oxonii ſuis ſumtibus ſplendidiſſime excudi curavit, ob publicum hoc documentum in illuſtrium ἑβϱαιοφίλων, imo, quod magis mireris, in Lexicographorum numerum, magna cum laude referendus.

Ipſius tamen operis non diminuenda eſt præſtantia, in quo multa peregregie atque ſolertiſſime collecta, & magno cum diſcentium emolumento concinne non minus, quam ingenioſe diſpoſita inveniuntur, quæ fruſtra alibi quæſiveris: id quod, ortu, methodo, ac ordine hujus operis ex præfatione Auctoris ſtrictim delibatis, uno alterove exemplo probatum dabimus. Nempe mirifice Cl. Autori placuit Johannis Lensdenii induſtria, qui in Pſalterio hebraice edito 564 verſiculos ſtellulis notavit, in quibus omnes voces Pſalmorum. & radices uſitatiores 1184 habentur; in fine quoque hujus Pſalterii ex aliis libris Biblicis catalogum 546 verſiculorum contexuit, in quibus cæteræ 683 radices inuſitatiores, (in codice enim ſacro dantur 1867 radices pure Hebraicæ, ſi ex Buxtorfii Lexico eas numeraveris) cum nonnullis

radicibus Chaldaicis inveniuntur. Multis vero difficultatibus quum inventum hoc Leusdenianum obnoxium eſſe animadverteret illuſtris Autor, pro ſuo ſacrarum litterarum promovendarum ſtudio id ipſum juvare, & tyrones a moleſta radicum inveſtigatione liberare, iisque vocum hebraicarum genuinam ſignificationem, grammaticalem reſolutionem, uſumque biblicum commonſtrare voluit. Quem in finem *textum* hebraicum horum verſiculorum nitidiſſimis characteribus, & in eorum gratiam, qui viva magiſtri voce deſtituuntur, vocum hebræarum *lectionem* literis latinis exprimi curavit, *verſionem latinam* eamque litteralem appoſuit, ſingulas *voces grammatice reſolvit*, leviſſimis minutiis grammaticalibus non prætermiſſis: tum *radicum* minio diſtinctarum, & *derivatarum* vocum *ſignificationem, flexionem* & *uſum* ex optimis Grammaticis & Lexicographis, Robertſono, Pagnino, Buxtorfio & aliis deſcripſit; collatis ſubinde antiquis *verſionibus Orientalibus*, præſertim paraphraſi Chaldaica, & *Græcis*, quibus LXX interpretes in vocibus hebræis exprimendis uſi ſunt, verbis ſedulo notatis, nec non inſperſis paſſim *obſervationibus philologicis & theologicis*, ex præſtantiſſimis Philologis & Commentatoribus decerptis: denique egregio inſtituto, magnoq; labore voces non ſolum *ſynonymas*, earumque differentiam ex Criticorum ſententia, ſed etiam *contrarias*, imo *litteris* & *ſono* quodammodo *affines*, ut una eademque opera memoriæ imprimantur, congeſſit, & voces quidem ſono & litteris tantum cognatas lineis incluſit.

Atque hac methodo in prioribus hiſce Partis primæ plagulis titulum Pſalmorum, & Pſ. I v.4, itemque Pſalmi II v. 1,2,6,8, 9, 12, & ſecundum ordinem verborum in his commatibus occurrentium, 52 radices cum vocibus ſuis derivatis expoſuit: & quidem ad *titulum* ספר תהלים non ſolum de utriusque vocis ſignificatione, grammatica flexione, voce prioris ſynonyma מגלה, verbisque græcis βίβλος, βιβλίον, ψαλμοὶ, ὕμνοι, ᾠδαὶ, ψαλτήριον; ſed etiam de pſalmorum autoribus, collectione, diſtributione, de verſuum numero, & medio totius pſalterii verſu, de numeri pſalmorum inter Latinos, Græcos & Hebræos differentia, de Pſalmo 151, de 7 Pſalmis alphabeticis, de 15 Pſalmis graduum, de

de Pſalmorum titulis, dicendi genere, uſu & præſtantia, erudite diſſeruit. Ex ipſa vero clave, ut, quid in illa præſtitum ſit, evidenter oſtendamus, nonnulla excerpemus exempla, quæ etiam uſum hujus clavis ſatis ſuperque demonſtrabunt. Prima, quæ in illa p. 1 explicatur, vox eſt particula לא, quam cum verbis conſtructam, *prohibendi* & *negandi adverbium*; cum ſubſtantivis *ſine, absque*; cum adjectivis *adverbium privandi* ſignificare; & interdum non tam negare quam corrigere, atque per *non ſolum* exponendam eſſe; interdum extra locum, uti Deut. XXII, 4; interdum in interrogatione pro הלא, ita, ut affirmationem includat; interdum nominaliter poni pro μηδὲν; nonnunquam etiam in principio verſus poſitum, in ſequentia ſpargi, ut Pſ. IX, 19, obſervat, docetque, Hebræos verbo affirmanti negationem contrarii adjicere ad innuendam certitudinem & perfectionem, contrarii affirmationem negatione indicare, & duabus negativis vehementius negare. Inſperſis deinde obſervationibus maſorethicis, quibus in locis & quoties ſcribatur לוא, vel לא ponatur pro לו, & vice verſa, vel pro לא ſcriptum ſit לה, voces ſynonymas אין, בל, בלי, בלתי, פן, אל. אם in formulis jurandi, אפס, & differentiam τῶ לא & אל, quibusve cum præfixis hæc particula componatur, annotat; voces denique ejusdem ſoni, vel iisdem litteris ſcriptas, uti לו *illi*, לו vel לוא *utinam* lineis incluſas exhibet. Ad vocem ולאמים pag. 7 radicem inuſitatam אמם de *propagatione* & *cura nutriendi liberos* explicat, adductisque vocibus cognatis אמה *ancilla* & אמן *nutrivit fideliter*, vocem אם *matrem* ſignificare, a propagatione & educatione prolis ſic dictam, & de *avibus* etiam, nec non per metaph. de *civitatibus* & *viis majoribus* adhiberi; quoad ſonum vero ei confinia eſſe אִם *ſi*, & אֵים *terror*: vocem אום & לאום *gentem cognatam*, populum ab una eademque matre propagatum denotare, atque hoc ſenſu a גוי & עם differre: vocem denique אַמָּה, quæ ſono convenit cum אהם *ancilla*, plerumque *cubitum*, & ſemel tantum *poſtem* deſignare tradit, atque hac occaſione non ſolum de quatuor cubiti generibus, communi, ſacro, Babylonico & geometrico, ſed etiam de triplici, cujus in Scriptura

men-

mentio injicitur, menſura differit, & ſicuti nomina *capacitatem* ſignificantia, ad vocem אֵיפָה, nomina *temporum* ad vocem יוֹם ſe enumeraſſe teſtatur; ſic voces, quibus Hebræi *linearum* longitudinem determinant, h. l. 10 recenſet, nempe, אצבע, טפח vel טופח, זרת, פעמים, צעד, אמה, קנה, חבל, כרם, צמדי, & ככרה. Radicem מלך *regnavit*, cui qua ſonum affine eſt מָלַק *ungue ſecuit*, pag. 11 cognatam eſſe docet cum הלך *ambulavit*, quod Regem oporteat bene præire ſubditis, item cum מלח *ſalivit*, quia magiſtratus vel regnans debet habere ſalem ſapientiæ: ex ea etiam deſcendere *μαλακὸς*, quia, vel ipſo Chriſto teſte Matth. XI, 8, *τὰ μαλακὰ* ferentes in domibus regum inveniuntur Expoſitis dein vocibus derivatis מֶלֶךְ, מַלְכָּה, מַלְכוּת, מַמְלָכָה, de *Melchiſedecho*, (nomina enim propria, ſuo quodvis loco, etiam refert,) nihil certi quidem definiri poſſe opinatur, quis fuerit; quo ſenſu tamen typus Chriſti fuerit, aperte ſatis declarat. De nominis divini יהוה vera ſignificatione, epithetis, quibus a Judæorum magiſtris inſigniri ſolet, lectione, ſcriptione, ſynonymis, itemque an ethnicis, & ſpeciatim Pythagoræ, qui per *τετρακτὺν* jurare ſolitus eſt, cognitum fuerit, p. 18-20 multa lectu haud injucunda afferuntur. Ambabus etiam amplectimur, quando inter varias τȢ כל ſignificationes, p. 48 quinto loco relatum legimus, vocem hanc abſolute ſine ſubſtantivo poſitam, denotare ſubjecti ſui univerſalitatem, & in concionibus legalibus, atque promiſſionibus evangelicis omnino univerſaliter accipi debere, ut, cum *omnes* homines peccati accuſantur, & damnantur; & contra, cum *omnibus* ſalus offertur; *omnes* credere jubentur; *omnibusque* credentibus certa ſalus promittitur. Agmen claudat radix חָסָה, quam proprie *confugit*, *recepit ſe* ad aliquem, ſub cujus protectione tutus ſit, ut pulli ſub alis gallinarum, per metaph. *ſperavit*, *confidit* &c. ſignificare: cum ב & תחת conſtrui: cognationem habere cum חזה *vidit*, & cum חָסֹן *robuſtus*, *firmatus eſt ſuppetiis*; nitentes enim alicujus ſubſidio oculos habent fixos in eum, a quo ſperant ſuppetias: a LXX reddi ἐλπίζω, ἀντέχομαι, πείθω, ἐπιπείθω: in ſignificatione *ſpei* convenire cum שׂבר & aliis verbis *ſperare* ſignificanti-

cantibus; in ſignificatione autem *fiduciæ* cum בטח, & aliis ejusdem ſignificationis verbis: differre tamen a בטח, quod hoc verbum ſecuritatem & carentiam timoris, חסה vero quæſtionem, uti loquitur, ſecuritatis & tuti ſtatus vel, ſi mavis, animum auxilia ſolicite circumſpicientem notet: ſono denique convenire non ſolum cum חזה *vidit*, ſed etiam cum הסה & חשה *ſiluit*, & Chald. חשח *opus habuit*: & hinc מחסה, Græcis ἐλπὶς, καταφυγὴ, cum מקלט *aſylum, refugium*, & cum תקוה *ſpem* atque *exſpectationem* denotare, p. 49, 50 oſtendit.

Ex quibus allatis exemplis neminem amplius latere confidimus, clavem hanc non ſolum a Jo. Mehlfuhreri clave L. Hebr. Norib. 1598 & 1628 in 8 edita, quæ omnes Hebræas voces ſententiis tantummodo complectitur, longe diverſam eſſe; ſed etiam Jo. Leusdenii clave Hebr. V. T. 1681 edita, in qua voces anomalæ reſolvuntur, nec non Chriſt. Henningii clave linguæ Hebr. quæ Lexici Buxtorfiani eſt compendium, & 1697 in 12 prodiit, &, ſi quæ ſunt alia opuſcula ejusdem tituli, multis modis præſtare. Hæc enim clavis revera eſt Lexicon Biblicum V. T. in quo voces hebrææ totius codicis ſacri grammatice & philologice explicantur, licet in eo a reliquis Lexicis differat, quod ab ordine alphabetico recedat, quem index operi huic ſubjungendus reſtituet. Quanquam igitur in ea ſimus ſententia, linguæ hebrææ tyrones, brevi inſtitutione grammatica præmiſſa, ad ipſos libros Biblicos, initio facto ab hiſtoricis, debita cum animi ingeniique contentione perlegendos, potius adduci oportere, quam verſiculis illis a Leusdenio collectis, inter ſe plane non cohærentibus, memoriæ imprimendis cruciari, præſertim, quum συνάφεια genuinam vocum hebræarum ſignificationem multo facilius & accuratius ſubminiſtret: nihilo tamen minus omnibus iis, qui hebræam linguam addiſcere cupiunt, clavem hanc maximo commendamus opere, certo perſuaſi, non ſolum tyrones, ſi ſemel atque iterum clavem hanc perlegerint, ope uſuque ejus, linguæ hebrææ penetralia felicius ingreſſuros, & in ipſius codicis ſacri lectione, ad quam cum illuſtri Autore omnes ſacrarum litterarum cultores merito invitamus, facilius progreſſuros; ſed etiam peritiores in explicandis divinis oraculis hac

 clave,

clave, index promiſſus ſi acceſſerit, Lexici inſtar commode uſu ros eſſe: quapropter opus hoc eruditiſſimum quam primum omnibus ſuis numeris & partibus abſolutum videre geſtimus.

LITURGIA: SEU LIBER PRECUM COMmunium & adminiſtrationis ſacramentorum, aliorumque rituum & ceremoniarum in eccleſia Anglicana receptus, &c. Editio tertia.

Londini, typis G. Bowyer, 1720, in 12 maj.
Conſtat plagulis dimidiatis alph. 1 pl. 18.

EX quo Anglia, diſcuſſis tenebris excuſſoque jugo errorum ac decretorum papalium, doctrinam cultumque divinum ſaniore cœpit inſtituere ratione, ſua ſibi elegit *agenda eccleſiaſtica*, quæ *liturgiæ* nomine veniunt, & ab inſtitutis Genevenſis eccleſiæ, quam pleræque Reformatorum eccleſiæ ſecutæ ſunt, tantum non in omnibus cultus externi partibus receſſit. Prima, quæ publica autoritate præſcripta fuit, liturgia auſpiciis Eduardi VI, a XIII viris eruditiſſimis, ſumme reverendo Benthemio in Statu eccleſ. Anglic. p. 99 memoratis, A. 1548 adornata, & A. 1549 ſupremi ſenatus decreto confirmata, Londini edita eſt: ſub Eliſabetha vero A. 1559 ad mentem Martini Buceri & Petri Martyris paſſim immutata, & in formam hactenus receptam, & Caroli II edicto A. 1662 ſtabilitam, redacta. Atque, ut liturgiam Guil. Laudi, Scoticæ eccleſiæ A. 1638 præſcriptam, & in Synodo Glasgovienſi poſtmodum rejectam; itemque Eduardi Stephani, Whiſtoni, Grabii, & ſi quæ aliæ liturgiæ privato auſu conſilioque prodierunt, in præſenti mittamus, primam illam Eduardi VI, Londini A. 1717 recuſam, in ſacris publicis reſtituendam eſſe, magno quidem opere & acriter ſatis multi nuperrime contenderunt (conf. Nova Litt. noſtra lat. 1718 p. 42) communis tamen & uſitata hactenus eccleſiæ Anglicanæ liturgia, utriusque provinciæ Synodorum examini ſubjecta & ab iis approbata, locum adhuc obtinet, quæ latino idiomate jam tertia vice typis eſt deſcripta. Tertiam hanc liturgiæ Anglicanæ editionem ſummatim ut perluſtremus, *Præfatio* eccleſiæ Anglicanæ pru-

prudentiam commendat, quod medium inter duo extrema ſemper tenuerit, nec obſtinate negaverit, ne ulla; nec facile conceſſerit, ut quælibet in liturgia præſcripta fieret immutatio: monetque, liturgiæ Anglicanæ uſum poſtliminio reſtitutum, a turbulentis ingeniis multis modis impugnatum; in nova vero hac recenſione omni ſtudio cautum eſſe, ne vel ulla ex propoſitis immutationibus acciperetur, quæ eccleſiæ detrimento foret, vel rejiceretur, quæ uſui eſſe poſſit: hinc ſacra peracturis meliorem in calendariis & rubricis præſcriptam eſſe directionem; voces & phraſes obſoletas vel dubiæ ſignificationis cum aliis, quæ hodierni temporis ſermoni magis accommodatæ & magis perſpicuæ ſint, commutatas; ſectiones Scripturæ, liturgiæ inſertas, accuratius exhibitas; nonnullas denique precum formulas, ad ſpeciales quasdam occaſiones accommodatas, maxime in gratiam navigantium, una cum officio pro baptiſmo adultorum eſſe adjectas. Præfationem excipit forma adminiſtrandi ſacra, ad antiquorum Patrum mentem & conſilium accuratius præſcribens, quinam textus ſacri, quove tempore ſint prælegendi. Tum de *ceremoniis* diſſeritur, cur aliæ quidem abrogatæ, aliæ vero retentæ fuerint: & indicatur *ordo prælegendi* Pſalterium, & reliquas ſacras litteras, additis *tabulis propriarum lectionum & pſalmorum*, cum *calendario* & *tabulis feriarum*; nec non *ordo in precibus* matutinis & veſpertinis quotidie per totum annum obſervandus. Exhibentur deinde *Symbolum Athanaſii*, *Litania*, *ſupplicationes & gratiarum actiones* pro variis, quæ ſeſe offerunt, occaſionibus, *collectæ*, cum *epiſtolis* & *evangeliis* ex verſione Caſtellionis: *ordo adminiſtrandæ cœnæ Domini*, *Pædobaptiſmus* cum *publicus*, tum *privatus*, & *baptiſmus adultorum*, cum *catechiſmo*, & *ordine confirmationis*, *formula matrimonii celebrandi*, *ordo viſitandi infirmos*, *communio infirmorum*, *ordo pro ſepultura mortuorum*, *purificatio mulierum* & *comminatio*, ſeu denunciatio iræ ac judiciorum DEI adverſus peccatores, cum quibusdam ſupplicationibus. Et interpoſito *Pſalterio* ex verſione Caſtellionis, adduntur *preces in uſum navigantium*, ac præſcribitur *forma ordinandi diaconos*, ac *presbyteros*, & *Archiepiſcopum, aut Epiſcopum conſecrandi*. Adjiciuntur denique *formu-*

læ precum ſolenniorum, utpote in *utraque domo ſynodi*, & Prælatorum, & reliqui cleri, in ipſo ſtatim cujuslibet conventus initio: *die 5 Novembris*, ob Regem Jacobum I, & tres ordines regni, cædi nitrati pulveris, quæ ipſis parabatur, feliciter ereptos, & Guilielmi III adventum: *die 30 Januarii*, martyrio Caroli I ſacro: *die 29 Maji*, ob ſedatam rebellionem, reſtitutumque Regem ac regimen: *die 2 Septembris*, propter diram Londini conflagrationem: & *die 1 Auguſti*, quo Rex Georgius I ſolium feliciter aſcendit, quotannis recitandarum, cum *forma ſtrumoſos attrectandi*, & XXXIX *articulis* fidei in Synodo Londinenſi A. 1562 compoſitis, & A. 1571 denuo confirmatis. Præcipuos ritus eccleſiaſticos & precum formulas in Statu eccleſ. Anglic. ſumme Rev. Benthemii jam ſupra laudato videas, in quo, ſi duplicem exhortationem ad futuram communionem, pædobaptiſmi privati, & baptiſmi adultorum rationem, preces pro navigantibus, nec non ſolenniores preces, & formam ſtrumoſos attrectandi exceperis, non facile quicquam deſideraveris.

מעשה טוביה:

h. e.

OPUS TOBIÆ DE UNIVERSO, AUCTORE R. TOBIA, Medico Metenſi.

Jesnicii Anhaltinorum, typis Iſraëlis bar Abraham, a. 481, C. 1721, 4.

Alph. 1 pl. $7\frac{1}{2}$.

Auctor, prout ipſe in præfatione ſcribit, fuit filius *Moſe* Nadal, filii Eleaſar ויעשלים, Cremnicenſis, filii R. Elieſer (perperam Cl. Wolfius in Bibl. Hebr. p. 163 *Eliam* vocat) de Vidas, qui librum ראשית חכמה ſcripſit, quorum genealogiam usque ad Eſram deduci poſſe, Judaico more gloriatur. Pater ipſius immatura morte decedens ipſum parvulum reliquit, unde is Metis in Poloniam ad conſanguineos profectus eſt. Sed ibi propter belli tumultus ſedem fixam non videns Patavium conceſſit, ubi cum R. Gabriele Medico amicitiam contraxit, &

cum

cum ipſo ab Electore Brandenburgico commendatus Francofurtum ad Viadrum pervenit. Ibi cum primoribus Judæorum primo amice vixit, poſtea cum magnam ſuorum invidiam ſentiret, Patavium repetiit, majorem Medicinæ operam ponens, Philoſophiæ quoque plusquam Chriſtiani ſolent, ſtudens. Tandem in Arabiam contendit, & Conſtantinopolin, ubi hunc ipſum librum conſcripſit, & ope R. Iſrael Konian, Venetias imprimendum miſit. Annus impreſſionis non ſatis clarus eſt: nam in teſtimoniis Rabbinorum legitur a. 462 & 465 C. 1692 & 1695.

Liber eſt Theologicus, Philoſophicus & Medicus in tomos tres diviſus. Primus ſubdividitur in partes V. Prima pars agit de עולם עליון *mundo ſupremo*, & habet ſectiones ſex in capita ſua diviſas. Sect. 1 argumentis metaphyſicis demonſtrat exiſtentiam, unitatem, æternitatem, ſpiritualitatem & providentiam Dei. Sect. 2 agit de Angelis, eorumque numero, quem, quia cuivis ſtellæ angelum præfigunt, eundem cum ſtellarum numero Judæi ſtatuunt. Sect. 3 ſtatuit, Legem Judaicam eſſe veram & divinam, neque unquam mutabilem. Sect. 4 agit de providentia divina circa omnes creaturas, & actiones hominum morales. Sect. 5 de pœnis impiorum poſt hanc vitam. Sect. 6 de adventu Meſſiæ. Sect. 7 de reſurrectione mortuorum ex mente antiquorum, & potiſſimum Abarbanelis.

Pars ſecunda deſcribit עולם הגלגלים h. e. *orbes cœleſtes*. Procemii loco admodum prolixus eſt in explicanda traditione Judaica, quod Schechina propter ſeptem generationes pravas per ſeptem cœlos adſcenderit, propter ſeptem juſtos vero per eosdem deſcenderit, & in terram pervenerit. Deinde c. 1 exponit circulos in globo occurrentes, c. 2 proponit tria ſyſtemata Ptolemæi, Copernici & Tychonis de Brahe, c. 3 ſententiam Judæorum exponens docet, cœlum non eſſe ex materia fixa, ſed aereum & a ſtellis variis pertranſibile; ſtellas circumire & moveri non vero primum mobile; denique Solem moveri, non vero terram. C. 4 argumenta Copernicanorum profert, eaque a Diabolo originem trahere dicit: c. 5, 6 ſyſtema Judaicum exhibetur, ubi terra eſt in umbilico, circa terram aquæ inferiores, deinde aer, poſtea firmamentum, hoc includitur a cœlo ſtellifero, quod in ſa-

cris *cœli cœlorum* dicitur, demum ſequuntur aquæ ſuperiores, & ſphæra intelligentiarum. C. 7 agit de Sole, c. 8 de Luna, c. 9 de reliquis planetis, c. 10 de ſtellis fixis, c. 11 de ſtellis novis, & cometis, c. 12 de vaticiniis ex poſitu ſtellarum, c. 13, 14 de quatuor partibus anni, c. 15 de fertilitate & ſterilitate terræ, c. 16 de mutatione aeris, c. 17 de mutatione lunæ, c. 18 de meteoris, c. 19 de arcu cœleſti & tonitru, c. 20 de ventis & aere, c. 21. de prædictione tempeſtatum a reliquis creaturis facta, c. 22 - 25 de ventis, c. 26 de grandine, c. 27 de tonitru, c. 28 de fulmine, c. 29 de nive, glacie & rore, c. 30 de grandine, c. 31 de rore, pruina & glacie. Pleraque vero illa ex vulgatiſſimis libellis aſtronomicis petita & minoris momenti ſunt.

Pars tertia pertractat עולם התחתון, *mundum inferiorem*, ubi c. 1 quæritur, an ante, poſt & extra hunc mundum alii tales mundi ſint, quæ ſingula Autor negat, c. 2 quo anno & die mundus conditus ſit, c. 3 de quantitate terræ, c. 4 de climatibus, c. 5 de loco, ubi decem tribus commorantur, quem poſt adductas varias ſententias in India Orientali eſſe definit, c. 6 agit de inventione Americæ, c. 7 de inventione terrarum Sinicarum, & magno muro, c. 8 de urbibus Peking & Babel, nec non ingentibus muris earum, c. 9, 10 de cortice China Chinæ, c. 11 de ligno גואיקן, quod alias lignum Sanctum dicitur, c. 12 de Salſaparilla, c. 13 de Saſſafras, c. 14 de Thee, c. 15 de Cacao, c. 16 de קאהבי, Caffe, c. 17 de Tabaco ſeu herba Nicotiana, c. 18 de herba סנסיינטי, c. 19 de herba באקארוס, c. 20 de ligno נפלא.

Pars quarta agit de עולם הקטן, *Microcoſmo* ſeu homine: ubi c. 1 de ætatibus hominum, item de generatione & formatione in utero, c. 2 de chiromantia & metopoſcopia, c. 3 de gigantibus, c. 4 de pygmæis, c. 5 de androgynis, c. 6 de mirabilibus hominum formis, c. 7 de centauris, c. 8 de ſatyris, c. 9 de Sirenibus, c. 10 de planta בוראמיין, quæ ad formam hominis creſcit in Africa in Tartaria majore (hæc eſt geographia Autoris noſtri) & homines proxime ad ſe accedentes diripit, magnos clamores excitat, & non niſi ſagittis a caule ſeparari poteſt, c. 11 de ſimia, quem hominibus ut in aliis, ſic etiam in ſanguine menſtruo, ſimimilem eſſe perhibet. Hæc omnia fere deſumta ſunt ex Plinio,

quem

quem Noſter æque ac Ariſtotelem, Hippocratem & Ptolemæum citavit.

Pars quinta deſcribit יסודי עלם, *quatuor elementa*. C. 1 varias Philoſophorum de numero elementorum ſententias recenſet: c. 2 agit de igne, continetq; theſes & problemata XCV ſed vulgaria: c. 3 de aere, habet theſes LX & mentionem facit barometrorum, thermometrorum & aliorum quorundam experimentorum, ſed cauſſas rerum non tradit: c. 4 de terra, ubi tamen omiſſo elemento, quod vulgo terram vocat, ad globum terraqueum convertitur: c. 5 de aqua, quod habet paragraphos LXXI.

Alter tomus hujus libri vocatur עולם חדש, *mundus novus*, & eſt Medicus, diſtinctus in partes tres. Prima dicitur ארץ חדשה, *terra nova*, in qua phyſiologia, pathologia & ſemeiotica occurrit, formulæ quoque medicinales adduntur. Secunda vocatur בית חדש, *domus nova*, ubi anatomica & chirurgica tractantur. Tertia, משמרת הבית, *conſervatio domus*, regulas conſervandæ ſanitatis continet.

Tomus tertius titulum habet עולם עשיה, *mundus factus*, & eſt Medicus. Pars Prima dicitur גן נעול, *hortus clauſus*, de utero, conceptione & morbis mulierum agens. Secunda, פרי בטן, *fructus ventris*, de cura & morbis infantum: Tertia, מעין חתום, *fons obſignatus*, de ſemine humano & vaſis ſpermaticis: Quarta, פרדס רמונים, *hortus malorum punicorum*, tractat cognitionem arborum & fruticum: Quinta, ערוגת הבושם, *areola aromatica*, notitiam herbarum alphabeticam tradit.

Hic eſt brevis conſpectus opuſculi, quod tam paucis plagulis tam multas materias complectitur. Singulas ejus hypotheſes perluſtrare vel enarrare opus non eſt, quia pleræque vulgares ſunt, & ab hodiernis Philoſophis & Medicis emendatæ.

ABRAHAMI WIELINGI, HAMMONENSIS, de Furto per Lancem & Licium concepto Diatribe.

Mar-

Marpurgi Cattorum, typis Phil. Caſim. Mülleri,
Academ. Typogr. 1719, 8.
Pl. 11.

LEx XII Tabularum eſt: *Si. furtum. lance. licioque. conce-
ptum. eſcit. atque. uti. manifeſtum. vindicator*: quæ vi-
ros doctiſſimos huc usque exercuit, & in varias ſententias diſtra-
xit. In ea vero explicanda Cl. Autor diligentiam ſuam oſtenſu-
c. 1. rus primo ſingula verba expendit. *Concipere* ergo ipſi eſt vin-
dicare, quam notionem ex alia quadam Lege earundem Tabula-
rum & expreſſo Ulpiani teſtimonio comprobat. Priſcam por-
ro Romanorum vindicandi rationem, eamque vel publicam vel
privatam exponit: publicam vero bellicam & cruentam fuiſſe,
2. ita ut per dimicationem & vim peragеretur, oſtendit. *Lanx*
vaſis eſcarii proprie genus eſt, æneum plerumque, nonnunquam
aureum atque argenteum, in tantam aliquando magnitudinem
excreſcens, ut animalia integra caperet. Notat tamen etiam or-
bes ab utraque libræ parte pendulos, unde libra *bilanx* vocatur.
Quum ergo quidam vindicationem rei furto ablatæ per lancem
vel profanis vel etiam ſacris uſibus deſtinatam fieri exiſtiment,
Cl. Autor conjecturam ſuam affert, uſum lancis ex antiquo
mancipationis more deducens. Mancipatione quippe res man-
cipi ejusque dominium in alium transferebatur per nexum h. e.
æs & libram. Actui ergo vindicationis rei furtivæ ſolemni lancem
adhibitam eſſe putat, eo quidem fine, ut rei ſuæ proprietatem
hoc quaſi ſymbolo dominus vindicans oſtenderet, adquiſitam ſi-
3. bi ex jure Quiritium per lancem ſive libram. *Licium* eſt filum
ſtamini illigatum, nonnunquam ipſum ſtamen, item quodcun-
que filum. *Licium* quoque eſt cingulum, quo ſuccingebantur,
qui negotia expedite & cum cura volebant exequi: præcipue ve-
ro lictores & apparitores, publici Magiſtratuum miniſtri: un-
de & ipſis nomen. Nam *licere* antiqui dicebant ligare, inde *li-
cium*. Hic Noſter ſatis prolixus eſt de habitu lictorum, ſenten-
tiasque ſimul alias refellit. Ut vero ſingula hæc rectius intelli-
gantur, modus furtum apud Romanos concipiendi ſic deſcribi-
4. tur. Cui aliquid ablatum erat, is, ſi teſtibus deſtitueretur, ei,
quem ſuſpectum habebat, tribus nundinis publice convitium fe-
cit.

cit. Trinum hoc convitium erat loco vocationis in jus. Quando vero in jus vocatus non ſtatim ſequebatur, teſtes dominus ſibi depoſcebat præſentes auricula tacta, quod *anteſtari* vocabant. Quo facto, ſi reus extra ædes eſſet, manum injiciendi obtortoque collo adverſarium in jus rapiendi facultatem dominus nanciſcebatur. Ubi in jus ventum erat, reum actor furti accuſabat. Reo furtum inficiante, Prætor actori poteſtatem dabat ædes ejus intrandi cum teſtibus & miniſtro publico, ut rem, de qua lis eſſet, quærerent. Re inventa, manum injiciebat dominus, ſuetaque formula vindicabat: *Hanc rem meam eſſe ajo.* Contra vindicante reo, redibatur cum teſtibus miniſtroque in forum vel comitium, unde abierant. Hic primum lis erat ſolemniter *conteſtanda*, quod fiebat adhibitis teſtibus, unde *conteſtationi* nomen. Uterque, & petitor, & inficiator, ſimul manu rem prehendebant, eamque diſertis verbis vindicabant. Ubi dominus: *Hanc rem meam eſſe ajo ex jure Quiritium.* Reus contra: *Immo meam.* Huic ſolemni actioni Cl. Auctor LANCEM adhibitam fuiſſe conjicit, qua dominus oſtenderet, optimo titulo rem ſibi eſſe acquiſitam, nimirum ex jure Quiritium, eodemque etiam jure eam ſe vindicare, & ab adverſario repetere. Poſt ambo præſentes perorabant, id eſt, cauſam dicebant, quam Prætori quam maxime probare omnibus quisque viribus allaborabat. Cauſſa orata jure abeundi poteſtas litigatoribus dabatur voce præconis. Poſt meridiem, ubi reditum in jus, ſententiam ferebat Prætor, remque controverſam alterutri adjudicabat. Uterque præſens eſſe debebat. Hic Cl. Autori lictoris LICIO cincti partes fuiſſe videntur, uſitata quadam carminis formula rem e manibus victi, qui lite pendente poſſeſſor manſerat, arreptam victori tradere. Hic eſt modus, quo Vir doctiſſimus furtum per lancem & licium conceptum eſſe credit, ubi ſingula teſtimoniis legum & autorum comprobat, id vero, quod caput rei eſt, de lance & licio per conjecturam inſerit, de quo aliorum eſto judicium. Originem hujus inſtituti a Græcis derivat Vir Cl. ſolennem vero concipiendi actum ipſis incognitum fuiſſe demonſtrat. Abrogata autem eſt iſthæc furti concipiendi ratio lege Abutia, quæ nugas legum Decemviralium plebi moleſtiſſimas

c. 5.

6.

plebiſcito ſuſtulit. Hic refelluntur Ant. Auguſtinus, & Sibr. Siccama,qui in re tam obſcura & tantis difficultatibus obſita faci-
7. le labi potuerunt. In locum vero licii & lancis duplex alia rei furtivæ vindicandæ ratio ſucceſſit, quam viri docti cum priore ſæpenumero confundunt, nimirum per præconem & libellum. Præco erat perſona privata, cui tamen ob majorem fidem additus eſt ſervus publicus cum aliquot teſtibus: ille ſervus vero lancem manu tenebat, in qua diploma, quo quæſitori venia inveſtigandi alienas ædes a Magiſtratu facta fuerat. Libellus vero ſive ſchedula publice ad columnas vel pilas hic illic in urbibus ſtantes affigebatur,in qua res perdita, nomen & ædes domini,& præ-
8. mium indicio ſtatutum notabantur. Tandem quoque de pœna furti concepti agitur. Hic prolixus eſt Autor, ut in genere de furto, & pœna ejus tum naturali, tum quæ legibus poſitivis dictata ſit, mentionem faciat. Apud Romanos pœna furti *manifeſti* primo capitalis erat, poſt in exilii permiſſionem mutata, tandem actio in quadruplum in ejus locum a Prætore ſubſtituta. Quum ergo furtum per lancem & licium conceptum manifeſto æquipararetur, quadrupli pœna quoque in illud decreta eſſe legitur. Quum vero hoc primum ſpecimen ſit, quo Autor Cl. eruditionem ſuam limatiſſimam oſtendit, Jurisprudentiæ intimiori plura in poſterum a diligentia ipſius, ſi Deus vitam & vires, quod precamur, conceſſerit, promittimus.

SISTEME NOUVEAU DE L'ORIGINE DU Mal, fondé ſur la conſideration du miſtere de la Trinité.

i. e.

NOVUM SYSTEMA DE ORIGINE MALI, conſiderationi myſterii Sacro Sanctæ Trinitatis innixum.

Colon. ap. Petr. Marteau, 1721, 8, pl. 7.

EA eſt ingenii humani ad novas opiniones & fingendas & ornandas proclivitas, ut novum ſubinde ſyſtema in abſtruſo ſatis & difficillimo argumento de origine mali excogitari mi-

num

rum non ſit: ex myſterii vero ſacro-ſanctæ Trinitatis contemplatione originem mali explanari poſſe, novum merito dixeris εὕρημα, quod facile lectorem allicere, & ad novum hoc ſyſtema perluſtrandum commovere queat: præſertim, quum Autor, quisquis ſit, ſe nihil quicquam, quod a recta ratione & analogia fidei alienum, proferre, & de principiorum ſuorum ſoliditate ſatis convictum eſſe jactitet. Sed ipſum opus inſpiciamus, cujus typi, procul dubio ficti, multis erroribus typographicis locum reliquerunt. In hoc duas ſtatim præmittit obſervationes, minime prætermittendas, cum ex illis ſtatim appareat, quid de ſequentibus judicandum. Prima eſt: in manifeſtatione unitatis, in Trinitate adorabilis, nullam dari temporis differentiam, nec patrem eſſe priorem filio, nec patrem & filium eſſe priores Spiritu S. ſed tres illas perſonas nihil aliud eſſe, quam ſolam ipſam unitatem, ſe in ſemet ipſa manifeſtantem. Altera: quicquid uni perſonæ divinæ tribuatur, in quo cum reliquis duabus non ſit conjuncta, hoc tantum fieri in abſtracto, & reſpectu habito ad creaturas, ut hoc modo id, quod creaturæ eſt eſſentiale & inamiſſibile, diſtinguatur ab eo, quod ipſi eſt acceſſorium, & quo ſe privare poteſt, ad cauſſas peccati & pœnæ remotiores per conſequentiam naturalem detegendas. Jam conſideremus ideam Trinitatis, quam Auctor nobis exhibet. Hic unitatem incomprehenſibilem, dum ab æterno ſe intra ſeſe manifeſtare voluit, actum voluntatis intra divinas perfectiones terminando, produxiſſe arbitratur ſuum verbum & lumen, ſuam ſapientiam & veritatem, & ſic ex illa proceſſiſſe motum ordinatum & amoris vinculum, adeo, ut divinitas non amplius ſub idea unitatis, ſeu voluntatis ſimplicis & indeterminatæ ſit conſideranda, ſed tanquam voluntas libera & independens, tanquam lumen omnium tenebrarum expers, tanquam motus vivus & bene diſpoſitus; & potentia, veritas aut ſapientia, amor aut ſanctitas ſint trium divinitatis perſonarum characteres. Aſt, quomodo ex hac conſideratione origo mali deduci poteſt? Autor ita philoſophatur, unitatem, dum ſe etiam extra ſe manifeſtare voluit, nec quicquam invenit, quod immenſum vacuum, uti loquitur, deſideriorum divinorum explere potuerit, produxiſſe fundum tenebra-

rum, ex quo motus convulſivus & inordinatus, ſpiritus impurus neceſſario prodierit. Nimis prolixum foret, omnia ejus philoſophumena ordine recenſere: hinc paucis ſaltem notamus, ens mixtum ſtatui ab Auctore, ex ente infinito & nihilo productum, quod ab ente perfecto acceperit, quicquid boni poſſideat, a nihilo autem defectum: Ens ergo illud ſupremum contra intentionem & naturam ſuam factum eſſe cauſam per accidens peccati & infelicitatis creaturæ, dum creavit, 1 voluntatam liberam, ſed dependentem; 2 fundum illuminationis capacem, ſed in ſe obſcurum & tenebricoſum; 3 motum vivum quidem, ſed convulſivum & inæqualem. Ita enim creaturam intelligentem deſcribit, in ſe conſideratam, & extra communionem, quam cum DEO habere queat. Creatum eſſe itaque Autori eſt fons mali, non quatenus mali, ſed quatenus ſubjectum exhibet, ex quo proprietates & virtutes trium divinarum perſonarum, per intimam unionem cum Deo, omnes imperfectiones ex nihilo adhærentes obtegentem, relucere queant: fundamentum vero mali, qua mali, & moralis & phyſici, eſt, quod ens creatum, vel ad temerariam divinitatis imitationem, actum voluntatis ſuæ intra ſe terminare voluit, vel per voluntatis ſuæ obſtinationem, vel per nimiam de excellentia ſua perſuaſionem, uno verbo φιλαυτίαν dixeris, ſe communioni cum Deo ſubtraxit, & in profundas naturæ ſuæ tenebras præcipitavit. Atque hoc pacto opinatur, Deum nec ullo modo malum, qua malum, decreviſſe, nec illud permiſiſſe permiſſione arbitraria, ſed influxum homini conceſſiſſe ſatis ſufficientem ad illum retinendum in officio, ita tamen, ut eum non plane ſibi ſubjecerit, quod eſſet contra naturam entis intelligentis: neque Deum ab illa dependentia, ex nihilo accepta, hominem liberare poſſe, niſi totam ſuam eſſentiam cum illo communicaverit, quod contradictionem involvit. Sed quid eſt nihilum illud, ex quo dependentia illa isque defectus fluit? reſpondet Auctor, nihilum eſt, quod per ſe non exiſtit, ſed exiſtentiam ſuam ex ſola creatoris voluntate habet: quatenus ergo creatura per ſe exiſtere non poteſt, eſt nihilum ſeu non ens. Sed tantum de hoc. Nos facile Autori largimur, neminem, niſi philoſophi, Teutonici illius, hominis rariſſimi exempli,

pli, principiis imbutum, ipſius mentem & myſteria perſpicere poſſe. Sed quum noſtri non ſit inſtituti, Manichæorum ſententiam cum hoc ſyſtemate conferre, & de hac quæſtione prolixius diſputare, hoc tantum monemus, multa dici ἀτὲρ γραφῆς.

Hiſtoriſche Beſchreibung vieler alten Blech-Müntzen 2c.

i. e.

JO. GEORGII LEUCKFELDI, PAST. PRIM. Groning. & Reg. Bor. Societ. Scient. Membri, Antiquitates Nummariæ, ſeu Hiſtorica Deſcriptio multorum rariorum Bracteatorum ex argento a variis Epiſcopis Halberſtadenſibus, ut & nonnullis Archiepiſcopis Magdeburgenſibus, & aliquot Abbatiſſis Quedlinburgenſibus olim cuſis: quorum ſimul jus Monetarium Diplomatibus adductis confirmatur, ſimul varia de illius generis Nummis illuſtrantur. Adduntur inſuper ſolidi quidam & unciales Nummi ad emendationem Hiſtoriæ Nummariæ Epiſcoporum.

Lipſiæ & Guelferb. apud Viduam Godofr. Freytagii, 1721, 4. Alph. 1 plag. 11 Tabb. 16.

CUm omni tempore inventi ſint aliqui ex eruditis, qui Hiſtoriæ Nummariæ ejusque uſui aliquid laboris dederunt; Nummi tamen Bracteati fato quodam diu abſconditi latuerunt; usque dum noſtra ætate viri docti eos ex ſitu & ſqualore eruerunt, & illos etiam habere, quod rei litterariæ conferre poſſent, docuerunt. Si quis eos omnes noſſe cupit, inveniet numerum eorum in hoc opere a §. 3 ad 9, cui nunc Cl. etiam Leuckfeldus bono publico accedere voluit. Non tamen cœco iſtius generis Nummorum amore abreptum ad ſcribendum animum appuliſſe Cl. Autorem, vel inde apparet, quod celeberrimo cuidam Viro concedere non vult, de *Uſu Bracteatorum* tale opus conſcribi poſſe, quale Spanhemius de Romanis Numiſmatibus cum eru-

ditis communicavit; ſed illud totum, qualecumque ſit, inter vana eruditorum ſuſpiria numerat, non ſuis quidem, ſed Anonymi cujusdam verbis, qui & aliis in partibus ab iſto celeberrimo Viro diſſenſum ſuum profitetur, vide p. 6, 12, 16. Quæ igitur ſigillatim ad Nummos Epiſcoporum Halberſtadenſium ſpectant, ita ſeſe habent, ut Cl. Autor principio doceat, quis illis conceſſerit *Jus Monetarium*, & poſtquam §. 11 ſqq. varia de illo Jure in univerſum attuliſſet, ſtatuit demum §. 14, Ottonem II Imperatorem A. 973 Kal. April. cum Quedlinburgi moraretur, *pro piiſſimi*, ut verba Diplomatis habent, *Patris ſui Imperatoris animæ remedio, Hildiwardo Halberſtadenſi Epiſcopo conceſſiſſe, ut in loco quodam ſui Epiſcopii* Saligenſtadt *vocato, publica moneta conficeretur:* idque jus ab Henrico II & Adolpho Imperatoribus confirmatum aliisque immunitatibus & privilegiis auctum eſſe. Qua occaſione §. 15 vexatiſſimæ quæſtionis meminit, an illo jam tempore, an Seculo demum XII Bracteati ſint cuſi? & litem ſub judice relinquit. Deinde de Nummis ſuis & de Patrono Cathedralis Templi Halberſtadenſis S. Stephano monita quædam profert, & §. 19 oſtendit, cur adductos Nummos pro Halberſtadenſibus & non *Metenſibus* habeat: atque ſic Apparatus ſui Nummarii explicationem ipſam aggreditur. Tunc §. 21 antiquiſſimum nummum Rudolphi Halberſtadenſium Epiſcopi XVII probe illuſtrat, qui A. 1135 Epiſcopus electus eſt, ut olim Meibomius cenſuerat, Noſter vero integro ejus aliquo Diplomate probat. Eodem modo, qui a §. 22 excipiunt, Epiſcopi *Ulrici* Nummi tractantur, in quibus No. 8 & 11 elegantiſſimi ſunt, & cum modernis fere contendere poſſunt; No. vero 23 rariſſimus, quinque imaginibus elegantiſſime inſignitus, merito Cl. Leuckfeldo §. 41 laudatus. Nec lectu indigna ſunt, quæ de *Nimbis* & circulis circa capita Sanctorum attulit Noſter p. 63 & 75 ſqq. quanquam ex illis nihil certi, ut videtur, ſtatui poſſit. Magis longe incerta ſunt, quæ de obſcuris aliquot & rudioribus Nummis poſt illos Cl. Autor dixit. No. 32 ſqq. apparent aliquot Nummi bilaterales, quales cuſos eſſe & cudi potuiſſe in bracteis, aliqui dubitarunt. §. 59 *Geronis* Epiſcopi, qui a Friderico I pulſo propter Schisma Papale Ulrico ſuffectus eſt, hiſtoria

pari

pari ſplendore, hoc eſt, Nummis aliquot Geronis illuſtratur: nec aliter, quæ ad *Theodoricum, Gardolphum, Conradum* & *Ludolphum* pertinent, §. 62 ſqq. prolata vides, ſed Nummi & Diplomata eorum quoque res geſtas aperiunt. SOLIDORUM autem Halberſtadenſium uſus tam late non patet, quem Cl. Autor inde a §. 95 demonſtrare nititur. Utilia tamen ſunt, quæ de translato per Ludovicum Epiſcopum ad Capitulum & Senatum Halberſtadenſem Jure Monetarum §. 96 ſqq. differit. Quod ad Antiquitates Nummarias *Magdeburgenſes*, itidem Cl. Autor primo docet, Ottonem I A. 965 Monetarium jus Magdeburgo & *S. Mauritio* ibidem conceſſiſſe. De illo Mauritio ejusque, ut & legionis, cui Dux præfuit, martyrio plures §§. loquuntur. Dein Nummos *Friderici, Wichmanni* (qui *Ciza* per Fridericum I Imperatorem *Magdeburgum* translatus eſt, obſtrepente Papa Eugenio per litteras, quas hic p. 175 inſertas legere licet) *Ludolphi, Alberti, Rudolphi, Conradi, Erici,* Archiepiſcoporum Magdeburgenſium, tum & ipſius *S. Mauritii* imagine ſola inſignitos, pro more ſuo explanat. Tandem *Solidos* quosdam Magdeburgenſes, & inprimis in memoriam rerum ſingularium cuſos, Appendicis loco adjecit. Reſtat, ut Nummos *Quedlinburgenſes* perluſtremus, quos Cl. Autor ita pertractat, ut initio oſtendat, non ab *Henrico Aucupe*, ſed ab *Ottone II* jus Monetæ Abbatiſſæ Quedlinburgenſi conceſſum eſſe, ut apud Deum & *S. Servatium*, de quo §. 5, pro ſalute ejus cum aliis deprecaretur. Deinde Nummos *Beatricis II*, quam Friderici Barbaroſſæ ſororem fuiſſe §. 13 & 14 probat, *Adelheidis*, *Agnetis*, Abbatiſſarum exponit. Plures enim adhuc inventi non ſunt. Subjecit tamen, quia locus permiſit, Nummos *Hedwigæ* Abbatiſſæ Northuſinæ & alios quosdam obſcuriores, de quibus certi nihil Cl. Autori conſtat. Et ſic finem impoſuit huic ſuo labori, quem V. C. D. *Juſtus Chriſtoph. Bœhmerus*, Theol. & Eloqu. in Academia Julia P. P. Præfatione de Nummis eorumque uſu exornare non dedignatus eſt.

JO. CHRISTOPHORI FRANCK, JUR. UTR. Doct. Inſtitutiones Juris Cambialis ex Legibus Cambialibus

libus diverſarum Gentium, indole Negotiationis, moribus Campſorum ac Jure Communi nova methodo collectæ &c.

Halæ Magdeburgicæ, ſumtu novi Bibliopolii, 1721, 8. Alph. 3 pl. 6.

QUamvis Cambium, negotium quotidie in foro obvium, ſuis peculiaribus, iisque accuratiſſimis legibus cum integrarum gentium, Danicæ, Norwagicæ, Gallicæ, Pruſſicæ, Suecicæ, Imperiive provinciarum, Auſtriacæ inferioris, Halberſtadenſis, Magdeburgicæ, Marchicæ, Guelpherbytanæ, Electoralis Saxonicæ, Luſaticæ, Altenburgenſis, tum urbium clariſſimarum, Auguſtæ Vindelicorum, Coloniæ Agrippinæ, Fani S. Galli, Francofurti, Lubecæ, Noribergæ, Bolzani, Brunſuigæ, Lipſiæ, Numburgi, Vratislaviæ, Amſtelodami, Antwerpiæ, Rotterodami, Lugduni, Bononiæ, Genuæ, Novæ, Rigæ, Gedani, ſit conſtitutum atque ordinatum, neque deſint ſcriptores, qui vel magnis voluminibus artem tradere anniſi ſunt, Jo. Caſp. Herbach, Sigismundus Scaccia, Raphael de Turri, Jo. Martinus Vogt, Henricus Zipſelius, vel epitomes conſcripſerunt, Wenceslaus Neuman de Puchholz, Jo. Phoonſen, Jacobus Puteanus, Theodorus Sprengerus, vel annotando cupidam legum juventutem juvare tentarunt, Jo. Chriſtianus Kœnigkius, J. R. Wegelin, Chriſtoph. Immig, vel denique ſingularibus diſſertationibus lucem huic ſcientiæ afferre voluerunt, quorum equidem numerus ita facile iniri non poteſt; fatendum tamen eſt, juſtas Juris Cambialis Inſtitutiones in ea voluminum phalange eſſe deſideratas; quas cum Conſultiſſimus Auctor, Cambialium rerum a longo tempore & ſtudioſiſſimus & peritiſſimus, ex genuinis fontibus collectas dederit, fecit rem omnibus Trituræ Forenſis Candidatis longe gratiſſimam. Habet hæc Juris Cambialis Epitome Prolegomena, Inſtitutionum Libros duos, Mantiſſam. In Prolegomenis de moralitate Cambii, quæſtione Domitiana, de origine Cambii, quæ prima aut melior Italis debetur, manifeſto nominum in hoc negotio obvenientium indicio, de Jure Cambiali, de Juris Cambialis ſcriptoribus, de inſtituto denique præſenti, quinque Titulis agitur.

agitur. Liber I ea exhibet, quæ in Cambiis regulariter obſervanda ſunt, Sectione ſcilicet I Cambia in genere, explicata eorum ſignificatione, indole, definitione, diviſione, ac literarum inprimis cambialium natura, Sectione II principium & progreſſum Cambiorum in loco contractus, Sectione III rectum exitum Cambiorum in loco deſtinatæ ſolutionis, acceptando, ſolvendo, compenſando, ſcontrando obtentum, S. IV obliquum exitum literarum cambialium, turbato executionis ordine, non facta acceptatione, & inſecuta proteſtatione. Liber II tradit ea, quæ in Cambiis quandoque extra ordinem obſervanda ſunt, ubi Sectione I de generibus infrequentioribus Cambiorum, cambiis pro computo alieno, (für frembde Rechnung) computatis, ab alibi habitante ſolvendis, conditionalibus, recurrentibus, interimiſticis, per alia loca, ſiccis, S. II de ſecuritate pro Cambiis præſtita, hypotheca videlicet, pignore, fidejuſſione, S. III de impedimentis curſum cambiorum aliquando remorantibus, quo referas tardiorem transmiſſionem & adventum literarum cambialium, legitimationis defectum ad exigendam pecuniam, dilatam exactionem, jacturam literarum, prorogationem publicam adimplementi literarum, mortem debitoris cambialis, S. IV de modis ſingularibus tollendi cambium, revocatione literarum, confuſione, præſcriptione, officii fine, cujus intuitu cambium eſt contractum, novatione, delegatione, ſolutione per exceptiones ex perſona tertii competentes, S. V de Jure Cambiorum, orto concurſu creditorum, S. VI de caſibus quibusdam dubiis juris cambialis, S. VII de Jure litium in cauſis cambialibus orientium agitur. In Mantiſſa conflictus jurium cambialium diverſorum & quid in eo juris ſit, ordine exponitur, habito ſcilicet reſpectu diverſi temporis Tit. I, diverſarum perſonarum Tit. II, diverſi fori Tit. III, prærogativa etiam extraordinaria jurium cambialium collidentium Tit. IV, & Retorſione jurium cambialium diverſorum Tit. V expenſa. Hæc nos pro inſtituti ratione breviter & per ſumma capita; qui ipſum librum intimius inſpiciet, deprehendet, Conſultiſſimum Auctorem eo uti apparatu, (neque enim eſt lex cambialis ulla, quam extare vel ex ſcriptore fide digno didicit, aut ab aliis accepit unquam, quam ipſe non

 poſſi-

poſſideat, & in fonte conſuluerit, ſi a Veronenſibus & Perpinianenſibus ſtatutis diſceſſeris, hactenus fruſtra a diligentiſſimo Viro quæſitis) eo, inquam, uti apparatu, eo ordine, ea pollere doctrina, ea eminere induſtria, ut facile vota noſtra provocet, quæ pro luculentiori Juris Cambialis opere, quale in præfatione promittere videtur Cl. Auctor, publico nomine ſuſcipimus.

ERRATA CORRIGENDA.

In Actis m. Majo 1721.

Pag. 163 lin. 24 pro *Madii* lege *Martii*, p. 164 l. 3 pro *animalium* l. *anilium*, p. 195 l. 6 pro *BURCHARDI* l. *BURCARDI*, p. 197 l. 22 pro *contemtioſius* l. *contentioſius*, p. 199 l. 4 pro *tertiæ* l. *tertia*, p. 200 l. 7 pro d^2yxd^3y l. $d^2y \times d^3y$, p. 201 l. 15 pro $-d^2nd^2z + d^3nd^3z$ l. $-d^{-2}nd^2z + d^{-3}nd^3z$, ibid. l. 18 pro $\frac{z^3}{1.23\,dz^2}$ l. $\frac{z^3}{1.2.3\,dz^2}$, p. 202 l. 2 pro d^2n, d^3n l. dn^2, dn^3, ib. l. penult. pro *Bornoulliana* l. *Bernoulliana*, p. 203 l. 16 pro *ſubtractationes*, l. *ſubtractiones* ib. l. 25 pro $rs + \dot{r}s$ l. $\dot{r}s + r\dot{s}$, ibid. l. 27 pro $zy + zy$ l. $\dot{z}y + z\dot{y}$, pag. 204 l. 10 pro *eos* l. *eas*, & pro *dignos* l. *dignas*, ib. l. 17 pro *ſi* l. *quæ*, p. 205 l. 4 pro *rei* l. *criminis*, ibid. l. 12 pro *adeo* l. *usque adeo*, ib. l. 23 pro *Bornoullius* l. *Bernoullius*, p. 206 l. 25 pro *amicis* l. *amicis Tuis* ib. l. 11 a fine pro *quondam* l. *quodam*, l. 9 a fin. pro *unius cujusque* l. *unicuique*, p. 207 l. 11 pro *prouve* l. *procure*, p. 208 l. 19 pro *quidem* l. *quidem ſatis*, ib. l. 7 a fin. pro *ſoit* l. *ſort*, ib. l. 5 a fin. pro *connois ſcur* l. *connoiſſeur*, p. 214 l. 27 pro *exemter* l. *excepter*, ib. l. 30 pro *Geometric* l. *Geometres*, p. 218 l. 7 pro *deſcendendum* l. *diſcedendum*, ib. l. 10 pro *Lit. F* l. *Lit.* Φ, ib. l. 13 pro *hoc* l. *illud*, p. 219 l. 26 pro *Kc* l. *kc*, p. 221 pro *ſolidi, rotundi, minimæ reſiſtentiæ* l. *ſolidi retundi minimæ reſiſtentiæ*, p. 223 l. 19 pro *tantillum* l. *vel tantillum*, ib. l. 29 pro *Mr.* l. *Mrs.* p. 225 l. 9 pro *données* l. *donnés*, l. 13. pro *porroit* l. *pourroit*, ib. l. 30 pro *longeur* l. *longueur*, pag. 226 lin. 8. pro *je demande* l. *je vous demande*, p. 229 l. 6 & 7 pro *FG* l. *Fg*, pro CC^n l. CG^n, ib. l. 8 pro *Fig.* l. *Fg*, pag. 226. lin. 14. pro $\frac{\sqrt{2a^3x - x^4} - a\sqrt[3]{aax} = y}{a - \sqrt[4]{ax^3}}$ lege

lege $\frac{\sqrt{2a^3x-x^4}-a\sqrt[3]{aax}}{a-\sqrt[4]{ax^3}}=y$ p. 230. l. 7. pro $acdz\, x(\overline{+}\, znZ)^{\frac{1}{n}}$ ponatur $acdz\, x(\overline{+}\, znZ)^{-\frac{1}{n}}$.

Notandum quoque, poſt pag. 437 ſequi ſtatim p. 448, nec non paginam 473 ter repetitam, ut itaque diſtingui hæ paginæ poſſint, addidimus in Indice primæ *a*, ſecundæ *b* & tertiæ *c*.

In Actis A. 1720 m. Junio.

PAg. 271 l. 15 pro $i-e$ l. $i-c$, pag. 272 l. 6 pro $e-q-1$ l. $e-qa-1$, ibid. l. 21 pro x^{c-1} l. x^{1-c}, pag. 273 l. 7 a fine pro $bx^c y^c$ l. $bx^c y^e$, p. 274 l. 6 pro x^e l. x^c ib. l. penult. pro $-bc+be$ l. $-be+bc$, p. 275 l. 1 lege $x^{\frac{1}{c-1}}y^{\frac{1}{c-1}}$, ib. l. 5 l. $y^{\frac{1}{1-c}}$, ib. l. 9 Exponentes ipſarum x & y non ſunt rite expreſſi, concipiatur x elevata ad $c+q-qa-1$ & y ad $e-ga-1$, ib. l. antepen. in numeratore pro $+bc$ l. $-bc$, p. 276 l. 7 a fine in denominatore pro $-bye$ l. by^e-, p. 279 l. 1 pro *algebraicæ* l. *Algebraice*, p. 280 l. 5 pro *mutatus* l. *mutuatus*, p. 282 l. 12 pro *impoſſibilitatis* l. *impoſſibilitas*.

Eodem Anno 1720 m. Majo.

PAg. 224 l. 7 a fine l. *ſupplementi*, ib. l. ult. lege *ſchediaſmata*, pag. 226 l. 4 a fine pro *ſecundis* l. *ſecandis*, p. 227 l. 22 pro *dicit* l. *ducit*, p. 230 l. 26 pro *ita* l. *jam*, ib. l. 29 pro *directe* l. *diſerte*, p. 231 l. 4 a fin. pro $+pſpdy$ lege $y+pſpdy$, p. 232 l. 1 pro *vidit* l. *videt*, p. 234 l. 5 pro $\underline{dy}$, lege $\frac{dy}{y}$ p. 237 l. 21 pro *ſuſpicit* lege *perſpicit*, ib. l. 26 leg. *obtineat*. Fig. III. pro lit. *a*. l. lit. *e*.

Suppl. T. VII Sect. VII.

PAg. 304 l. ult. pro $nB\cdot dx$ l. $nB:-dx$, p. 305 l. 18 l. *hoc caſu*, p. 306 l. 6 pro $px\cdot dx$ l. $px-dx$, p. 308 l. 8 dele $=$, ib. l. 16 pro Rda,dy l. $Rdady$, p. 310 l. 7 a fine pro $pſdy$ l. $pſRdy$, p. 313 l. 21

Yyy 2 pro

pro 154 l. 254 ib. l. ult. lege *quædam*, p. 316 l. 8 pro *GD* l. *Gd*, p. 317 l. 14 pro ſigno ambiguo $\mp$ l. ſignum $-$, p. 320 l. 29 pro Z l. z, ib. l. 30 pro *SZdz* l. $\int Zdz$, p. 321 l. 9 pro *lZt* l. *Zt*, p. 322 l. 4 a fine & p. 323 l. penult. pro $Z + Zt$ l. $z + Zt$.

Fig. VI. litera b pertinet ad interſectionem applicatæ SN productæ & curvæ.

Supplem. T. VII Sect. VIII.

PAg. 339 l. 18 pro $-a^{c-1}ZZdz$ l. $-a^{2c-1}ZZdz$, ib. l. ult. pro $\sqrt{}^{\overline{2m}}$ leg. $\sqrt{a^{\overline{2m}}}$, pag. 340 l. 10 pro $a^{2m}Zda$ l. $a^{2m}zda$, p. 341 l. 1 pro a^{2-2m} l. a^{2-m}, p. 343 l. 8 a fine & lin. antepenult. pro $-aZdz$ l. αZdz, p. 344 per totum §. 57 pro lit. *v* in exponentibus l. lit. *r*, ib. l. 5 a fine pro & l. &c. p. 345 l. 3 loco *paα* l. *pro α*, p. 347 l. 4 pro 6ε l. $\beta - \varepsilon$ ib. pro *qy* l. *bq*. p. 349 l. 18 pro *arbitraria* l. *arbitraria*, ibid. l. 5 a fine pro HHE l. AHE, p. 350 l. 13 & 16 pro $\sqrt{x}$ l. $\sqrt{X}$, p. 351 l. 15 inter *dy* & $\pm tdx$ ponatur ſignum $=$.

INDEX AUTORUM,
Quorum Libri aut Inventa hoc Volumine recenſentur.

I. Libri Theologici & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.

ANonymi *Conſideratio trium locorum Scripturæ S. de origine Jobi, de 450 annis Act. XIII, 20 & de Melchiſedeco.* 242

Epiſtola de viſione Ezech. IX, 4. 242

Sermones de Sanctiſſima Trinitate. 488

Liturgia in Eccleſia Anglicana recepta. 530

Novum ſyſtema de origine mali ex conſideratione myſterii SS. Trinitatis. 538

Azzo-

Azzoguidi (*Valerii Felicis*) *Chronol. & Apolog. Diſſertatio ſuper quæſtiones in ſacram Geneſis hiſtoriam excitatas.* 246
Biblia *Hebraica ex editione D. Jo. Heinr. Michaelis.* 49
Elsneri (*Jacobi*) *Obſervationes ſacræ in Novi Fœderis libros. Tomus I.* 108
Fechtii (*Joh.*) *Hiſtoria & examen novæ Theologiæ Indifferentiſticæ.* 520
Fleury *Hyſtoriæ Eccleſiaſticæ Tomus XX.* 389
Grabe (*Jo. Ern.*) *Septuaginta Interpretum Tomus II.* 473 c.
Tomus III. 521
Kappii (*Jo. Erhardi*) *ſcriptorum quorundam ad indulgentias & motas inter Lutherum & Tetzelium controverſias ſpectantium Collectio.* 340
Lœſcheri (*Val. Ern.*) *Acta & documenta Hiſtoriam Reformationis Evang. ſpectantia, Tomus I.* 343
Marckii (*Joh.*) *Sylloge Diſſertat. Philol. Theol. ad ſelectos quosdam textus N. T.* 237
Michaelis (*Jo. Henr.*) *Biblia Hebraica* 49
Olearii (*Jo.*) *de Stylo Novi Teſtamenti Liber, cum additam. Jo. Conr. Schwartz.* 471
Oſterwald (*Jo. Frid.*) *Summaria & Meditationes in ſingulos libros & capita Scripturæ S.* 64
Pfaffii (*Chriſtoph. Matthæi*) *Acta & Scripta publica Eccleſiæ Wirtembergicæ.* 348
Poireti (*Petri*) *Poſthuma.* 417
Prideaux (*Humphredi*) *Vetus & Novum Teſtamentum connexum &c. Pars II.* 481
Saurini (*Jacobi*) *Diſſertationes ad præcipuas V. & N. T. hiſtorias. T. I & II ad Pentateuchum.* 23
Schwartz (*Jo. Conr.*) *Notæ & additiones ad Jo. Olearium de ſtylo N. T.* 471
Stebbing (*Henr.*) *Tract. de Operationibus Spiritus S.* 291
Struvii (*Burcardi Gotthelf*) *Deſcriptio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Palatinæ.* 455
Van Til (*Salom.*) *opus analyticum ſeu Introductio in S. Scripturam. Tomi II.* 58

Trotii (*Nic.*) *Clavis Linguæ Sanctæ, continens explicationem 564 verſ. Pſalmorum & 546 verſ. ex ceteris libris V. T.* 524

Vitringæ (*Campegii*) *Commentarius in Librum Prophetiarum Eſaiæ. Pars II.* 97

II. Libri Juridici.

A*Nonymi Hiſtoria Juris Canonici.* 18

De Berger (*Chriſtoph. Henr.*) *Deciſiones ſummi provocationum Senatus Electoralis Saxonici.* 364

Ferrerii (*Claudii Joſ.*) *Hiſtoria Juris Romani.* 15

Franck (*Jo. Chriſtoph.*) *Inſtitutiones Juris Cambialis.* 543

Gundlingii (*Nic. Hier.*) *ſingularia ad Legem Majeſtatis itemque de ſilentio in hoc crimine.* 6

Sarpii (*Pauli*) *Jura Principum contra excommunicationes & interdicta Pontificum Rom. defenſa.* 281

Wielingi (*Abrab.*) *de furto per Lancem & Licium concepto diatriba.* 515

III. Libri Medici & Phyſici.

A*Nonymi Additamentum de phænominis in vicinia obſervatis.* 161

Collectio variorum edictorum occaſione peſtis Londinenſis A. 1665 publicatorum. 416

Medicina flagellata. 505

Academiæ Regiæ ſcientiarum Anni 1717 Hiſtoria. 188

Acta Medicorum Berolinenſium. Vol. VII & VIII. 316

Barham (*Henr.*) *Diſſertatio de Bombycibus & ratione ſerici conficiendi.* 183

Bernoulli (*Jo.*) *de motu muſculorum, efferveſcentia & fermentatione Diſſertationes.* 393

Bradley (*Richardi*) *Recenſio Philoſophica Operum Naturæ &c.* 369

Conſideratio Peſtis Maſſilienſis. 412

Browne (*Joh.*) *Tractatus practicus de peſte.* 410

Bruckmanni (*Jo. Jac.*) *Machina nova elementaris inventa.* 151

De Buchwald (*Joh.*) *Specimen Medico-Practico Botanicum.* 315

Camerarii (*Eliæ*) *Syſtema cautelarum Medicarum &c.* 231

Da-

Davini (*Jo. Bapt.*) *de potu vini calidi Diſſertatio.* 124
Heiſteri (*Laur.*) *Oratio de incrementis Anatomiæ in hoc Seculo XVIII.* 273
Hodges (*Nathan.*) *Loimologia ſeu Relatio hiſtorica de Peſte Londinenſi.* 414
Hoffmanni (*Frid.*) *Diſſertat. Phyſico-Medicarum Decas II.* 397
Kanold (*Jo.*) *Medicorum quorundam Maſſilienſium Epiſtolæ de peſte Maſſilienſi, Germanice translatæ.* 402
Leopold (*Jo. Frid.*) *Relatio de itinere ſuo Suecico.* 249
Liebknecht (*Jo. Georg.*) *accurata Deſcriptio Luculæ Borealis d. 17 Febr. & 1 Mart. 1721 obſervatæ.* 157
Mead (*Rich.*) *Tr. de contagio peſtilentiali & methodo illud præcavendi.* 406
Michelotti (*Petri Ant.*) *Animadverſiones ad ea, quæ Jac. Keill protulit in tentamine de motu muſculorum.* 393
Diſſertatio Phyſ. Mechan. Medica de ſeparatione fluidorum in corpore animali. 493
Nenteri (*Georgii Phil.*) *Fundamentorum Medicinæ Theoretico-Practicorum Tomus II.* 272
Perraltiorum (*Claudii & Petri*) *Opera diverſa Phyſica & Mechanica. Volumina II.* 145
Pontederæ (*Julii*) *Antologia & Diſſertationes XI.* 80
Quincy (*Joh.*) *Tentamen de cauſis peſtis & contagii natura.* 414
Rega (*Henr. Joſ.*) *Diſſ. Medica de Sympathia ſeu conſenſu partium corporis humani, potiſſimum ventriculi, in ſtatu morboſo.* 501
R. Tobiæ *de univerſo opus.* 531
Vateri (*Abrahami*) *Obſervatio de novo ductu ſalivali Glandulæ lingualis.* 360
Vogli (*Jo. Hyacinthi*) *Fluidi nervei Hiſtoria.* 117
Volckmanni (*Georg. Ant.*) *Sileſia ſubterranea.* 85
Weberi (*Jo. Henr.*) *Machina nova elementaris inventa.* 151

IV. Libri Mathematici.

ANonymi *Solutio Problematis a Nic. Bernoulli, Jo. Fil. propoſiti de curvis motis ſecundum axem &c.* 156

Academiæ Regiæ Scientiarum Anni 1717 Hiſtoria. 188
Bernoulli (*Jo.*) *Operatio analytica, per quam deducta eſt ejusdem ſolutio problematis de invenienda Curva &c.* 228
Burcardi (*Joh.*) *Epiſtola ad Vir. Cl. Brook Taylor.* 195
Flamſteedii (*Joh.*) *Hiſtoriæ Cœleſtis Libri duo.* 463
Kreſa (*Jacobi*) *Analyſis ſpecioſa Trigonometriæ primo mobili &c. applicata.* 137
De Moivre (*Abrah.*) *Doctrina Sortis, ſeu Methodus computandi probabilitatem eventuum in ludis.* 131
Sturmii (*Leonh. Chriſtoph.*) *Regulæ Symmetriæ in architectura templi Salomonicæ conſpicuæ.* 466
Inſtitutio de interioribus ædificiorum rite ordinandis. 466
Inſtitutio Goldmanniana de ornatu Architectonico extraordinario. 466
Inſtitutio de ædificiis publicis orphanorum, ægrotorum, vinctorum &c. rite parandis. 468
Inſtitutio de monumentis defunctorum, cenotaphiis, ſuggeſtibus doloris &c. præcipiens. 469
Inſtitutio de machinis hydraulicis, aquæ ductibus, fontibus & ciſternis publicis. 470
Inſtitutio de navium armamentariis & ſtationibus, itemque partibus rite parandis. 470
A Wurzelbau (*Jo. Phil.*) *Uranies Noricæ Baſis Aſtronomica.* 152

V. Libri Hiſtorici, Geographici &c.

A*Nonymi Hiſtoria Juris Canonici & Regiminis Eccleſiaſtici.* 18
Diarium rerum memorabilium ſub Henrico III R. G. geſtarum. Tomi II. 166
Atlas Hiſtoricus, cum Diſſertat. Gueudevillii, Tom. V & VI, it. cum Diſſ. H. P de Limiers. Tom. VII. 185
Vita Petri Abælardi. 263
Hiſtoria Margaritæ Valeſiæ, ſororis Franciſci I. 302

Regni

Anonymi Regni Galliæ juxta Generalitates &c. enumeratio nova. 460
De Avesbury (*Roberti*) *Hiſtoria de mirabilibus geſtis Eduardi III.* 387
Brenneiſen (*Ennonis Rudolphi*) *Hiſtoria Friſiæ Orientalis & ſtatus regiminis Territorialis. Tomi II,* 1
Burckhard (*Jac.*) *de linguæ Latinæ in Germania fatis Commentarius novus.* 309
Cantalupi (*Nic.*) *de antiquitate & Origine Univ. Cantabrig.* 434
Cottæ (*Catellani*) *Recenſio inſignium Juris interpretum.* 13
Eccardi (*Jo. Georgii*) *Veterum Monumentorum quaternio.* 121
Origines Habsburgo-Auſtriacæ. 333
Epiſtola de nummis quibusdam ſub Theodorico Oſtro-Gothorum Rege cuſis. 350
Egenolffi (*Auguſtini*) *Hiſtoria linguæ Germanicæ. Pars II.* 143
De l'Etoile (*Petri*) *Commentarii Hiſtoriæ Gallicæ ab A. 1515 ad 1611 inſervientes. Tomi II.* 168
Fabricii (*Jo.*) *Hiſtoria Bibliothecæ Fabricianæ. Pars IV.* 453
Fabricii (*Jo. Alb.*) *Bibliothecæ Græcæ Volumen X.* 426
Ferrerii (*Claudii Joſephi*) *Hiſtoria Juris Romani.* 15
Fichardi (*Jo.*) *vitæ recentiorum ICtorum.* 13
De Gazalupis (*Jo. Bapt.*) *Hiſtoria Interpretum & Gloſſatorum Juris.* 13
Gentilis (*Alberici*) *de Juris Interpretibus Dialogi VI.* 13
Glaſey (*Ad. Frid.*) *Nucleus Hiſtoriæ Electoralis Saxonicæ.* 366
Guioniæ *Vita, ab ipſamet conſcripta. Partes III.* 171
Keysleri (Jo. *Georg.*) *Antiquitates ſelectæ ſeptentr. Celticæ.* 162
Leopold (Jo. *Frid.*) *Relatio de itinere ſuo Suecico 1707 facto.* 249
Leuckfeld (Jo. *Ge.*) *Narratio de Monaſteriis S. Mariæ Magdeburgi & Gratia Dei prope Calbam.* 277
Deſcriptio trium locorum in aurea Tempe & prope adſitorum &c. 473 b.
Antiquitates Nummariæ. 541
Leyſeri (*Polycarpi*) *Hiſtoria Poetarum & Poematum medii ævi.* 253
Lœſcheri (Jo. *Caſp.*) *Merita Theologorum in rem literariam. Pars I.* 279

Maichelii (*Dan.*) *Introductio ad Hiſt. Liter. de præcipuis Bibliothecis Pariſienſibus.* 448
Mantuæ (*Marci*) *Epitome Virorum illuſtrium.* 13
Meibomii (*Henr.*) *Chronicon Monaſterii Marienbornenſis ex edit. Jo. Ge. Leuckfeldi.* 276
Mophæ (*Matth. Gribaldi*) *Catalogus Interpr. Jur. Civ.* 13
Panziroli (*Guidi*) *de claris Legum interpretibus Libri IV.* 13
Parkeri (*Rich.*) *Deſcriptio Collegiorum Academiæ Cantabrig.* 431
Pez (*Hieronymi*) *Scriptores rerum Auſtriacarum.* 321
Rymer (*Thomæ*) *Fœdera, Conventiones, Literæ &c. inter Reges Angliæ & alios quosvis tractata. Tomus XIV, XV, XVI & XVII.* 506
Sanderſon (*Rob.*) *vide* Rymér.
Von Seelen (*Jo. Henr.*) *Athenarum Lubecenſium Pars II.* 430. *Pars III.* 513
Taciti (*C. Corn.*) *Opera ex edit. Jacobi Gronovii. Tomi* II. 381
Teſchenmacheri *ab Elverfeldt* (*Wernheri*) *Annales Cliviæ, Juliæ, Montium &c. cum notis Juſti Chriſtoph. Dithmari.* 511
Vellejus Paterculus *ex edit. Petri Burmanni.* 114

VI. Libri Miſcellanei.

ANonymi Animadverſiones Criticæ de arte Poetica & Pictoria. 46
Collatio Codicis MS. Quintiliani e Bibl. Gothana cum Cap. IV Libri X edit. P. Burmanni. 71
M. T. Ciceronis *libri de Divinatione & de Fato, ex edit. Jo. Daviſii.* 304
Engelſchalli (*Car. Gotofr.*) *de nova Operum Jo. Dallæi editione conſilium.* 95
Triſtis memoria incendiorum, ſpeciatim in Saxonia. 367
Erpenii (*Thomæ*) *Tract. de peregrinatione Gallica utiliter inſtituenda.* 313
Fabricii (*Jo. Alb.*) *Bibliothecæ Græcæ Vol. X.* 426
Flacci (*C. Valerii*) *Argonauticon Libri VIII, ex recenſ. Nic. Heinſii & P. Burmanni.* 307

Func-

Funccii (*Jo. Nic.*) *de Origine Latinæ linguæ tractatus.* 140
de pueritia Latinæ Linguæ tractatus. 140
Gebaueri (*Georgii Chriſtiani*) *de Caldæ & Caldi apud veteres potu Liber.* 354
Gibert *Judicia de ſcriptoribus Rhetoricis. Tomus II.* 257
Tomus III. 298
Lackmanni (*Adami Henr.*) *Miſcellanea litteraria.* 312
Leibnitii (*G. G.*) Clarkii, Newtoni *& aliorum diverſæ ſchedæ de Philoſophia, Religione naturali, Hiſtoria, Matheſi &c. collectæ.* 88
Theſes de Monadologia, de exiſtentia & attributis divinis, mente item humana &c. 94
Leuckfeldi (*Jo. Georg.*) *Antiquitates Nummariæ.* 541
Lipſii (*Juſti*) *Epiſtola de peregrinatione Italica.* 312
Lockii (*Joannis*) *Schedarum variarum collectio.* 376
Obſequens (*Julius*) *de prodigiis ex edit. Franc. Oudendorpii.* 118
Pope (*Alexandri*) *Ilias Homeri carmine Anglico expreſſa. Tomus V & VI.* 510
Schwarzii (*Chriſtiani Gottlieb*) *Miſcellanea politioris humanitatis.* 422
Syrbii (*Jo. Jac.*) *Inſtitutiones Philoſophiæ primæ novæ & eclecticæ.* 515
R. Tobiæ *opus de univerſo.* 532
Trotii (*Nic.*) *Clavis Linguæ Sanctæ.* 524
Ab Uffenbach (*Zachariæ Conradi*) *Bibliotheca MSpta.* 233
Voconii (*Metii*) *Oratio Tacito Auguſto dicta.* 422
E Wæchtleri (*Chriſtfridi*) *Litteris excerpta occaſione locorum quorundam Philoſtrati.* 177
occaſione locorum quorundam Libanii. 266
Wielingi (*Abrah.*) *de furto per lancem & licium concepto diatriba.* 525

INDEX RERUM NOTABILIORUM
in hoc Volumine obviarum.

ABælardi (*Petri*) *vita.* 263
verum nomen Abeillard. 264
Abietes *in ſolo ſabuloſo ut producendæ?* 375
Aborigines *in Italia origine Germani.* 141
Abſceſſus *cum inteſtino communicans.* 320
Abſolutio *fieri poteſt a Laico.* 454
Abyngdoni (*Henr.*) *epitaphium.* 310
Academia *trium Facultatum Veronæ inſtituta.* 389
Acidularum & *thermarum convenientia.* 400
Actio *negatoria quando onus probandi non transferat in reum?* 365
Actionum *liberarum diſcrimen.* 37
humanarum finis ultimus. 39
fines particulares. 39
conſequentiæ quomodo in pœnarum numerum referendæ? 38
Acus *magneticæ declinatio.* 189
Acuum *magneticarum diverſitas.* 31,32
Ædificiorum *publicorum conſtructio.* 468 ſq.
Æquinoctia *a Walthero obſervata.* 154
Æquinoctii *vernalis obſervatio.* 192
Æquinoctiorum *vernalium & autumnalium intervalla.* 154
Aer *in pulmonibus num ſanguini miſceatur?* 497
unicum fermentum, quod ſanguinem & chylum ſolvit. 497
De Æſculapio *fabula latet in ſerpente Moſis.* 29
Æſtus *maris ut obſervandus?* 150
Ætheris *natura.* 146
Affectuum *regimen.* 41,42
uſus ſalutaris. 44
Agius *idem ac Wicbertus.* 121
Agii *vita Hathumodæ & dialogus de ejus obitu.* 121
Agricolæ *Mumia vegetativa.* 371
Agronia *ſacra cur inſtituta?* 424
De Albertis (*Alb.*) *notatus.* 298
Alcuini *vita.* 258
Alexander (*Natalis*) *laudatus & notatus.* 301

Ale-

Alexandrini *Bibliorum Codicis præſtantia.* 477 ff. 483
Algebræ *nova ſpecies.* 135, 136
Allatii (*Leon.*) *diatriba de* Georgiis *recuſa.* 430
Alſtedii, *urbis palatinæ, hiſtoria.* 473 b.
Althuſius (*Jo.*) *Codicem Legum Friſiæ Or. truncavit.* 2
Altingius *notatus.* 385
B. Altmanni *vita.* 324
Aluminis *parandi ratio.* 252 ſq.
Aluminariæ *officinæ Suecicæ deſcriptæ.* 252
Amicorum *officia.* 45
Ammani (*Pauli*) *Irenicum examinatum.* 232
Amor *Dei in quo conſiſtat?* 43
ex doctrina Myſticorum. 29
Amoris *mutui indoles.* 45
motiva. 45
Analyſis *ſpecioſa ad Trigonometriam planam & ſphæricam applicata.* 137
In Analyſi *ſpecioſa quid præſtiterit Leibnitius?* 93
quid præſtiterit Wolffius? 93
Anaſtaſii *Imp. numi explicati.* 351 ff.
Anaſtomoſis *vaſorum datur.* 127
Anatomiæ *hoc ſæculo incrementa.* 273
Anatomica *inventa Heiſteri.* 274
Anaximander, *Philoſophus, Cantabrigiæ docuit.* 436
Andreæ Cretenſis *Opera.* 428
Angeli *quot ex hypotheſi Judæorum?* 533
Angliæ *ſæculum aureum.* 91
Anguilla, *piſcis longævus.* 372
De Aniciis *fabula.* 337
Animæ *cum corpore unio in quo conſiſtat?* 517, 519
hominum gradu differunt. 517
Animalia *ſolo tactu prædita.* 150
inter & plantas analogia. 371
Animalium *partes petrefactæ.* 87
docilitas unde? 373
generatio ut fiat? 373
partes molles nullius in Medicina efficaciæ. 506
In Animalibus *& plantis ſexus differentia.* 371
Animorum *flectendorum media.* 41
Animulæ *e purgatorio apparitio.* 176
Anni *quantitas.* 154
Anteſtari *quid ſit?* 537
S. Antonius *illiteratus.* 391
monachatus autor. 390
Apices *in flore quid?* 83
Apicum *liquor in floribus num ad embryonis fœcundationem neceſſarius?* 83

Apocalypſeos *Joannis inſcriptio examinata.* 313 ſq.
autor quis? 313 ſq.
Apogæi *Solaris motus annuus.* 155
Apollonius Tyanæus *quando fuerit Romæ?* 179
quando magiæ accuſari cœperit? 181
Appellari *an a Pontifice poſſit ad Concilium?* 284
Aqua *in puteo aſcendit, dum in mari deſcendit & contra.* 188, 189
medicina univerſalis. 400
Aquæ *minerales Sileſiacæ.* 88
per foramen vaſis erumpentis velocitas. 496, 497
Aquarum *bonitas ut probanda?* 400
Aræ *veterum ſeptentrionalium.* 163
Aranearum *in Anglia generatio.* 374
Arbor *quæ in Bacchi ſacris?* 424
Archinoaldinum *ſtemma impugnatum.* 334. 338 ſſ.
Architectonica *philoſophia prima quid?* 516
Arithmeticæ *progreſſionis in geometricam converſio.* 136
De Arriaga (*Roderico*) *libri II* de Oratore *vindicati.* 262
Arteria *emulgens duplicata.* 317
Artes *divinatoriæ notatæ.* 94
Artium *ſcientia, Philoſophiæ pars.* 41
Arthritis *fonte Freyenwaldenſi curata.* 316
Arundellius (*Thom.*) *S. R. I. Comes creatus.* 508
Aſcitici *ſectio.* 316
Aſthma *convulſivum vini calidi potu curatum.* 125
Aſthmatico-*ſcrophuloſi ſectio.* 317
peripneumonici ſectio. 319
Athei *ſpeculativi num dentur?* 490
practici quinam? 491
Atheiſmi *ſtultitia demonſtrata.* 489 ſſ.
Athici, *Auſtriacorum ſatoris, majores.* 334 ſq. 339
Atonia *fonte Freyenwaldenſi curata.* 316
Atrophia *ex catarrho vini calidi potu ſublata.* 126
extincti ſectio. 317
Avaria *quid?* 329
Auditus *explicatio.* 149
Auguſtinus (*Ant.*) *refutatus.* 538
S. Auguſtini *Diſſ.* de arte rhetorica *laudata.* 258
Avium *generatio.* 372
ingenium in conſtruendis nidis & imitanda voce humana. 372
pennarum colores pulcri. 373
celeritas ſingularis. 372
Aurantii *mali icones lapidibus inſcriptæ.* 87

Aure-

Aurelianenſis *Academiæ in cauſa divortii Henrici VIII R A. reſponſum.* 507
Auroræ *borealis deſcriptio.* 157, 161, 188
Aurum *Sileſiacum.* 88
fulminans nullius efficacia in Medicina. 506
potabile nullius efficaciæ in Medicina. 506
Auſtriæ *nomen unde?* 328
quando invaluerit? 329
diviſio genuina. 328
Auſtriaca *hiſtoria nova promiſſa.* 322
Auſtriaci *Scriptores editi.* 321 ſſ.
Auſtriacorum *character.* 330
Auſtriaco-*Habsburgicæ familiæ Origines.* 333
Avtochiria *impugnata.* 42

BAbylon *urbs typus fuit Babylonis ſpiritualis,* 62
hodierna Roma. 103
Babylonica *linguarum confuſionum miraculum?* 141
Baccalaurei *nomen unde?* 311
Bacchus *ſenis forma pictus.* 425
Bacchi *ſacrificium in gemma.* 432
Baccius *refutatus.* 355
Bailii *liber* Sapientia foris prædicans *laudatus.* 299
Baglivius *refutatus.* 499
Baluzii (*Steph.*) *MSpta in Bibl. Regiam Pariſ. translata.* 450
Bandurus (*Anſelmus*) *laudatus.* 186
De Baptismo *vivorum pro mortuis Tractatus.* 265
Bardi *cum Scaldis & Druidibus iidem.* 144
Bardorum *carmina quænam?* 144
Barthius (*Caſp.*) *notatus.* 424
Bary (*Ren.*) *notatus.* 299
Bath-kol *quid & unde dictum?* 484
Bayle (*Petri*) *Dictionarium incomparabile.* 380
Bedæ *in Cantabrigiam merita.* 437
Bellinus *refutatus.* 49[illegible]
Benedictinorum *reformatio ſuſcepta.* 390, 391
Benthemii *liber* Status Eccl. Angl. *commendatus.* 530
532
S. Bernardi *elogium.* 391
Bernoullius (*Jo.*) *vindicatus.* 196 ſeq.
inventor calculi integralis. 223
Bernoullii (*Jo.*) *elogium.* 494
Bevrierius *notatus.* 299
Beutheri (*Dav.*) *Chymici, editiones mendoſæ.* 317
Bibliorum *Codex Vaticanus num Alexandrino præferendus?* 474
Codices præcipui differunt. 475

Bibliorum *Codices omnes conferendi.* 476
editio Hebraica nova. 49 ſſ.
Bibliotheca *Coisliniana ubi ſervetur?* 451
Sorbonnæ. 451
S. Genovieſæ. 451
S. Victoris Abbatiæ Par. 452
Oratorii Patrum Par. 452
Prædicatorum Par. 452
Auguſtinianorum Par. 452
Cæleſtinorum Par. 452
Minimorum Par. 452
Bibliothecæ *Uffenbachianæ leges.* 234
igne crematæ. 368
Pariſienſes deſcriptæ. 448 ſſ.
Regiæ Pariſ. hiſtoria. 449 ſq.
Colbertinæ hiſtoria. 450 ſq.
Sangermanianæ hiſtoria. 451
Mazarinianæ hiſtoria. 451
Jeſuitarum Pariſinæ. 451 ſq.
Bibliothecarii *Bibliothecæ Regiæ Pariſ.* 450
Bibl. Sangermanianæ. 451
Bibl. Jeſuitarum Par. 452
De Bibliothecarum *uſu tractatio.* 452 ſſ.
Bignonius (*Jo. Paul.*) *laudatus.* 449, 450
Bilis *proprietates.* 499
Bœhmeri (*Juſti Chriſtoph.*) *de numis eorumque uſu Præfatio.* 543
Boiſſimonius *notatus.* 300
Boivinius *laudatus.* 453
Bombyces *Noachus aluit.* 183
In Bombyces *num cadat generatio æquivoca?* 184
Bombycum *curatio & nutritio.* 184
virtus medica. 184
Bombycibus *num noxia tonitrua?* 184
De Bombycibus *Tractatus.* 183
Bona *vera ut ab apparentibus diſcernenda?* 41
quænam ſint? 37
Boneti (*Theoph.*) *ſepulcretum examinatum.* 232
Bonifacius IX, *Simoniacus.* 390
Bonitas *divina a dubiis liberata.* 43
Bordius *notatus.* 300
Bos (*Lamb.*) *refutatus.* 474
Botanica *ſpecimina.* 315
Bovis *cornu in terra vegetatum.* 189
Bracteati *numi explicati.* 541
quo ſæculo primum cuſi? 542
De Bresler (*Ferd. Lud.*) *laudatus.* 187
Brettevillæus *notatus.* 300

Broo-

Brockhuſius *notatus.* 386
Broomii *in Homerum merita.* 511
Bruni *(Jordani) vita.* 490.ſſ.
liber Spaccio *&c. apud Anglos immani pretio venit.* 490
quid contineat? 491
Bruta *num machinæ?* 380
Bubones *peſtilentiales quid?* 415
Buceri *(Mart.) oſſa effoſſa & combuſta.* 448
Bufo *vivus in medio duri ſaxi repertus.* 370
Buhurſius *notatus.* 299
Burignoniæ *obitus.* 418
Burmannus *(Petr.) notatus.* 76, 78, 116, ſſ.
Buxtorffius *(Jo.) notatus.* 314

E CAbbala *ſententiæ Philoſophorum veterum de ſpiritibus origo.* 519
Caergrant *olim dicta Cantabrigia.* 435
Calculus *fonte Freyenwaldenſi curatus.* 316
Calculi *differentialis circa quantitates finitas uſus.* 191
De Calculi *differentialis inventione controverſia.* 89, 90
De Caldæ & Galdi *apud veteres uſu Diſſertatio.* 355 ſſ.
Calix *plantarum quid?* 81
ad fructum potius quam ad florem ſpectat. 81
Calvariæ *uſus.* 319
Cambii *origo.* 544
Cambiale *jus explicatum.* 544 ſſ.
Cambialis *juris ſcriptores.* 544
Campanellæ *(Th.)* Rhetorica *notata.* 262
Candelarum *uſus in ſacris.* 163
Canis *vocabulum in convitio habitum.* 18
ſervis tributum. 472
Caniſii *(Henr.)* Lectionum ant. *nova editio promiſſa.* 320
Canonici *quinam dicti?* 390
Cantabrigienſis *Academiæ Hiſt. & Antiqvitates.* 434 ſſ.
Cantalupi *(Nic.) de Antiqv. Cantabr. Acad. liber Anglice verſus.* 434
Scripta & obitus. 435
Capitis *ictus per ſe lethales.* 319
Caprificandi *ratio.* 84
Carbunculi *peſtilentiales quid?* 415
De Carnis *equinæ uſu interdicto Tract.* 165
Carolus *M. Poeta.* 255
Caroli *M. diploma Friſiis datum falſitatis poſtulatum.* 2
Caroli *Borbonii moribundi circumſpectio.* 169
De Caroli *V in meritum J. C. obitu Epiſtola.* 315
De Carolis *Galliæ Regibus epigramma.* 169
Carolinæ, *provinciæ, Conſtitut. fundamentales.* 376

Carpio, *piſcis longævus.* 372
Carteſius *notatus.* 92
Gaſſendo præferendus. 94
Carteſii *dogmata qualia?* 92
Caſtalio *refutatus.* 355
Ex Catarrho *atrophia ut curata?* 126
In Catharinam *Senenſem cenſura.* 390
Cavalcantii (*Barthol.*) Rhetorica *laudata.* 260
Cauſarum *occaſionalium ſyſtema ad Spinoſiſmum & Hobbeſianiſmum ducit.* 378
Cauſinus (*Nic.*) *notatus.* 298
De Celte (*Conrado*) *ſingularia.* 311
Cenſuræ *Eccleſ. fundamentum.* 239
De la Cerda (*Melch.*) *notatus.* 261
Cerebrum *primum motus principium.* 150
liquidum in monſtro. 190
Cerebri *cortex num glanduloſus?* 128
defectus in fœtu. 318, 319
uſus. 319
In Cerebri *vulneribus ut motus & ſenſus ſupereſſe poſſit?* 129
Ceremoniarum *definitio.* 39
diſcrimen. 39, 40
ad virtutem uſus. 39, 40
De Champs *Abbas refutatus.* 339. ſſ.
Chartæ *pictæ tempore Nat. Chriſti ſtudioſis permiſſæ.* 448
Cheynæus *notatus.* 203, 204, 205
refutatus. 495-497
Chillingworthi *Noviſſima nullius momenti.* 380
Chinæ, *corticis, vis antifebrilis in quo conſiſtat?* 505
Chinenſium *autor Noachus.* 183
Chirurgica *Dionis examinata.* 232
Chryſti *lacrymæ & dolores quales & unde?* 239, 240
tentationum ratio. 240
anima num præexiſtens? 240 ſſ.
De Chriſti *Deitate & æterna generatione Epiſtola.* 419
Chriſtiani I *El. Sax. mors veneno procurata.* 508
Chriſtiani (*Joh.*) Hypomneſticon. 428
Chriſtianiſmi *præſtantia præ religione naturali.* 43
Chronologiæ *autores.* 379
Ciborum *capiendorum ratio.* 42
Cicero *M. Tullii Fil. num diſſolutus & prodigus?* 487 ſq.
Ciceronis (*M. T.*) *Opera commendata.* 378
Clarckius *refutatus.* 489

Clar-

Clarmundi (*Adolphi*) *verum nomen.* 301
Claves *regni cœlorum quibus creditæ?* 239
Clauſtro-Neoburgenſe *Chronicon editum.* 325
Clendon *refutatus.* 488 ſq.
Cleopatra *dicta* Nova Iſis, 423
Cleopatræ *filia* Luna *dicta.* 423
Clypeus *Achillis Homericus.* 510 ſſ.
Clyſteres *nutrientes num dentur?* 189, 190
Coccejani *notati.* 239
Cochlear *Helenæ primæ Ruſſorum Principis Chriſtianæ deſcriptum.* 353 ſq.
Cochlearum *generatio.* 374
pulſus cordis. 374
coitus. 374
Cogitatio *num corporis attributum?* 380
Cognitio *viva & mortua quæ?* 39
ſui & aliorum commendata. 41
Cognoſcendis *hominibus qui libri inſerviant?* 379
S. Colomanni *vita.* 324
Columnæ *olim Deos referebant.* 423
Combinatoriæ *artis regulæ.* 134
Ad Comeſtibilia *num jus protymiſeos proferendum?* 364
Cometarum *orbita a Newtono aſſignata.* 363, 364
obſervationes. 464
Comob. *in nummis quid notet?* 353
Comœdiæ *objectum.* 47
Concilia *an a Pontifice convocanda & confirmanda?* 284
De Conciliis *prava Whiſtoni ſententia.* 489
Concipere *eſt* vindicare. 536
De Concordato *ſententia Franciſci I R. G.* 169
Confeſſio *Harlæo Sancio ſuppoſita.* 168
Connor *(Bernh.) commendatus.* 501
Conorum *rectorum preſſiones a chordis circumvolutis.* 194
Conringius *(Herm.) autor* Pietatis Academiæ Juliæ. 455
Conſcientiæ *ortus.* 38
diviſiones. 38
lex quænam? 39
Conſenſus *partium humani corporis.* 501
Conſtantinus *(Rob.) 110 annis major mortuus.* 171
Conſuetudinum *cur difficilis mutatio?* 41
Conteſtatio, *vox, unde?* 537
Continui *compoſitio cur labyrinthus Philoſophorum?* 92
Contractura *fonte Freyenwaldenſi curata.* 316
Contractuum *ratio.* 45

Conzen (*Matth.*) *Athei, fata & doctrina.* 490
Copernicani *refutati.* 533
Corallia *Sileſiaca.* 87
Cordis *arteriæ coronariæ tres.* 317
cochlearum pulſus. 374
Cornelius (*Petrus*) *Tragicus, notatus.* 47
Cornu *bovis in terra vegetatum.* 189
Corporis *perfectiones.* 42
Cotyla. 358
Cranium *humanum nullius efficaciæ in Medicina.* 506
Creatio *ex nihilo per Arithmeticam Dyadicam illuſtrata.* 95
In Creatione *mundi deſcribenda quis ſcopus Moſis fuerit?* 24
Creſollius (*Lud.*) *notatus.* 261
Criticorum *pruritus caſtigatus.* 308
Critton (*Georgii*) *obitus.* 171
Crotus (*Jo.*) *vero nomine Jo.* Jæger. 311
Cryptæ *Sileſiacæ.* 86
Cudworthi *Syſtema intellectuale in quo deficiat?* 94
Cultus *Dei externus.* 44, 45
Cuprimontana *fodina in Suecia.* 251
Curcellæi (*Petri*) Rhetorica *notata.* 260
Curva *a projectili gravi in medio reſiſtente deſcripta.* 228 ſſ.
Curva, *in qua plantandæ ſunt arbores parallelæ apparituræ.* 191
Curules *Ædiles unde dicti?* 16
Cylindrorum *preſſiones a chordis circumvolutis.* 194
Cymbia. 358

D Adichi (*Cor.*) *in Bibliothecam Uffenbachianam merita.* 235
Dagumerius *laudatus.* 453
Van Dale (*Ant.*) notatus. 519
Dallæi (*Jo.*) *operum editio nova promiſſa.* 96
Danielis, *Jeſuitæ, Iter per mundum Carteſii improbatum.* 94
Decimarum *ratio qualis hodie?* 287
Decorum *unde oriatur?* 42
unde addiſcendum? 379
Defenſoris fidei *titulus Henrico VIII R.A. conceſſus.* 507
De Demetrio *Phalereo varia.* 482
Deſagulierius *refutatus.* 495
Deus *quo ſenſu loqui cum hominibus dicatur in Scriptura?* 25
cur amandus? 43
Dei *aſeitas.* 517
cultus externus. 44, 45
Deorum *nomina Principibus impoſita.* 423
Ex Diæta *prava morbi.* 44
Dialectus *poetica exploſa.* 473 a.

Dia-

Dialectus *Attica num reliquis præſtantior?* 473 a.
Diarii *Henrici III autor quis?* 167
Digiti *ſex in manu.* 190
Dionis *ſcripta Chirurgica examinata.* 232
Dioptræ *teleſcopicæ num pinnacidiis præferendæ?* 153
Dithmari (*Juſti Chriſtoph.*) *Diſſertatt. de comitatu Teuſterbantiæ, de orig. & ſucceſſione Ducum Limburg. & de Comitibus Ravensberg.* 513
Divortii Satyrici *autor.* 167
Domicilii *ratio.* 42
Dominicanorum *ambitio.* 392
Dominiorum *neceſſitas & indoles.* 45
Domni *inter Benedictinos qui?* 391
Dracones *quid in thermis?* 357, 358
De Dreſſeri (*Matth.*) Rhetorica *judicium.* 260
Druides *cum Bardis & Scaldis iidem.* 144
Druidum *techne.* 163
De Druidum *viſco Tract.* 164
Duchat *Curiæ ſupr. Gall. Berol. Conſil. merita.* 167
Ductus *cyſthepaticus.* 148
biliarii. 148
thoracici nova inſertio. 147 ſq.
Duportius (*Ægid.*) *notatus.* 299
Durities *corporum unde?* 146
De Duvairii *Eloquentiæ Gallicæ judicium.* 261

ECcentricitatis *ſolaris quantitas & mutabilitas.* 155
Eccleſiæ *Gallicanæ libertas.* 19 ſſ.
corruptio unde? 393
Ad Eccleſiam *num pertineat bonorum temporalium poſſeſſio?* 286
Echo. 149
Eclipſes *Jovialium obſervatæ.* 464
Eclipſium *obſervatio.* 192-194
Edda *Islandorum quid?* 163
Eduardi III *R. A. Hiſtor.* 387 ſſ.
Eggs (*Georg. Joſ.*) *notatus.* 342
Elateris *cauſa.* 146
Ellipſis *Solis determinata.* 155
Emda *ut ceſſerit Friſiæ dominis?* 3
Emmius (*Ubbo*) *partium ſtudii accuſatus.* 1
notatus. 3, 4
Encauſtrii (*Huldrich.*) *verum nomen.* 349
Epiſtolæ *ad Corinthios intellectu difficiles.* 380
Epiſtolarum *Obſcur. Viror. autor.* 311
De Epoptis *veterum liber promiſſus.* 515
De Equinæ *carnis uſu interdicto Tract.* 165
Eraſmi (*Deſ.*) Eccleſiaſtes *cum Quintiliano comparatus.* 259

Eraſmo (*Deſ.*) *facultas Cantabrigiæ Theologiam incipiendi data.* 448
Eraſtus *refutatus.* 239
Ab Erskheim (*Guſtavi*) *verum nomen.* 455
Erythræus (*Valentinus*) *notatus.* 260
In Eſaiam *commentarius.* 97
Ethica *cum Metaphyſica connexa.* 94
De Etymologico *magno tractatio.* 426
Euclides *Hiſpanice translatus.* 139
D'Ewes (*Simonis*) *de antiquitate Cantabrigiæ Oratio.* 434
Excommunicatio *quid ſit?* 282
qua cautione adhibenda? 282 ſſ.
num Pontifici competat? 283
Excommunicatus *num ditionibus privari poſſit?* 285
Exemplorum *uſus.* 39, 40
Experientia *in Medicina non ſufficit.* 397
ſolida an acquiri in Medicina poſſit? 398

F

Fabrettus *notatus.* 386
Fabricius (*Jo. Alb.*) *defenſus.* 254
Farnabii (*Th.*) Index Rhetoricus *commendatus.* 263
Febre *lenta extincti ſectio.* 317
Febre *continua extincti ſectio.* 317
Febrium *theoria.* 503
fomes in ventriculo. 504
Felicitatis *definitio.* 38
ortus. 42
Fenelonius *notatus.* 302
Fermentum *ſanguinem & chylum ſolvens.* 497
Ferrerius (*Claud. Joſ.*) *notatus.* 16
Fiducia *in Deum definita.* 43
unde oriatur? 43
Filix *ramoſa, mas, lapidi inſcripta.* 87
Fisheri (*Jo.*) *ſupplicium.* 448
Fixarum *catalogus novus.* 464
Flatus *vis, quo aer in veſicam compellitur.* 497
Florendi *ratio diverſa ſtirpium.* 83
S. Floriani *vitæ editæ.* 324
Flos *quid?* 81
fæcundus quis? 82
ſterilis quis? 82
perfectus & imperf. 84
floſculoſus ſeu compoſit. 85
Florum *doctrina.* 80
Fluidi *nervei Hiſtoria.* 127
reſiſtentia unde oriatur? 494
Fluidorum *actio.* 194
craſſities. 494
affectiones & proprietates. 494

Flui-

Fluidorum *animalium natura.* 499

De Fœminis *fatidicis Celtarum Tract.* 165

Fœtus *monoculus ſine naſo.* 190

ex ovo colubrino exemtus. 190

ſeptimeſtris Anatome. 318

Fohi, *Chinenſium autor, Noachus.* 183

Folliculi *fellei vulnus per ſe lethale.* 319

Fontium *virtutes unde?* 400

originem quinam explicaverint? 151

Formicarum *ſolertia in excludendis ovis.* 374

Forſtneri (*Chriſtoph.*) *Epiſtola promiſſa.* 431

Fortuna *adverſa quando pœna?* 37, 38

Foulerus (*Eduardus*) *refutatus.* 240

Fourmondus *laudatus.* 453

S. Franciſcus *notatus.* 391

Franciſcanorum *corruptelæ.* 392

Franckii (*Aug. Herm.*) *pater quis?* 431

Freyenwaldenſis *fontis effectus.* 316

Friderici *III El. Sax. ſomnium ſeu viſio.* 346

Frigidarii *deſcriptio.* 356

Friſiæ *Orient. hiſtoria.* 1

veteris diviſio. 2

Friſius (*Paulus*) *notatus.* 259

Frontinus (*Jul.*) de coloniis *editus.* 115

Fructus *monſtroſi.* 150

Funck (*Chr.*) *filia docta.* 432

Chronicon Aurici promiſſum. 432

Furor *poeticus.* 48

Furtum *Lance Licioque conceptum quale?* 142, 536 ſſ.

Furti *manifeſti apud Romanos pœna.* 538

G *litera quando introducta?* 143

Galatarum *nomen unde?* 482

Galliæ *redituum ratio expenſa.* 160 ſſ.

focorum numerus. 461

Gallorum *in Græciam expeditiones.* 482

Gaſſendi *elogium.* 94

Gaudii *definitio.* 38

Gemma ex *muſeo Rinckii explicata.* 358

Gemmæ *Sileſiacæ.* 86

Gemmarum *origo.* 86

Generatio *animalium ut fiat?* 373

inſectorum. 374

bombycum. 184

Per Genium *Principis pejerare num licitum?* 9

Gentiles *num a ſalute æterna excludendi?* 420

Geographiæ *autores.* 379

S. Geor-

S. Georgii *Monaſterii Kelbræ Hiſtoria.* 473 b.
De Georgiis *Diſſ. Le. Allatii recuſa.* 430
De Germania *gentili Tract. promiſſus.* 164
Germanica *lingua unde orta?* 141
Latinæ mater. 141
Germanicæ *linguæ Hiſtoria.* 143 ff.
eccleſiæ Actorum publicorum edendorum Catalogus. 350
De Gigantum *in Britannia origine Tract.* 164
Gilletus *notatus.* 300
Gisbertus (*Blaſius*) *refutatus.* 301
Gladii *ſanctitas.* 163
Glandulæ *ſublingualis ductus ſalivalis novus.* 360
Glandularum *ſtructura.* 497, 498
Glaucoma *fonte Freyenwaldenſi curatum.* 316
Globus *terreſtris artificiales variationes acus magneticæ in diverſis Telluris locis exhibens.* 32
igneus cœlitus delapſus. 188
Gloſſaria *Græca deſcripta.* 426
Gody (*Simpliciani*) Via ad E-loqv. Chriſt. *commendata.* 263
B. Gothalmi *Peregrini Vita.* 324
De Govey (*Lagerii*) *de partu naturali & violento placita examinata.* 232
Grabii (*Jo. Ern.*) *obitus.* 473 c.
teſtamentum. 473 c.
Gradus *in Tellure quantitas.* 153
Græcorum *colonia in Italiam ducta.* 142
Grammaticæ *quantum tribuendum?* 312
Grauatenſis (*Lud.*) Rhetorica Eccl. *laudata.* 260
Granati *Suecici.* 251
Gratia Dei, *monaſterii prope Kalbam, Hiſtoria.* 278
Gravitas *univerſalis rejecta.* 91
Gravitatis *natura.* 146, 147
Gronovii (*Jac.*) *in Tacitum merita,* 382
(*Abr.*) *in Tacitum merita.* 386
Grubii (*Herm.*) *vita & ſcripta.* 514
Gudii (*Marqv.*) *Antiquitates Galliæ MS. ubi lateant?* 166
divitiæ unde? 454
De Guerreto *judicium.* 299
Guioniæ (*Mariæ Bouvieres de la Mothe*) *vita.* 171 ff.
ſcripta. 172
Guntramnus *quis?* 336

Habs-

HAbſpurgicæ *domus origo.* 187, 333 ſſ.
Hadwigis, *conjugis Ottonis illuſtris D. Sax. origines.* 124
Hæmoptoe *vini calidi potu curata.* 126
Hæmoptici *Sectio.* 317
Hæreſium *origo num ex Philoſophia Ariſtotelis?* 314
Hæretici *num in Rep. tolerandi?* 290
Halberſtadenſium *bracteati explicati.* 542
jus monetarium unde? 542
Hammondi *Novum Teſt. commendatum.* 381
Von der Hardt (*Herm.*) *notatus.* 341
Harduinus (*Jo.*) *refutatus.* 241
Harduini (*Jo.*) *character.* 453
Harmonia *præſtabilita defenſa.* 91
Hebræa *lingua num primæva?* 26
Hebrææ *linguæ clavis.* 524 ſſ.
Hebraica *Bibliorum editio nova.* 49 ſſ.
Hebraicæ *literæ hodiernæ num eædem cum ſcriptura Moſis?* 238
Hebraicorum *accentuum & vocalium antiquitas examinata.* 238
Hectici *ſectio.* 316, 319
Heinſii *in Barthium odii cauſa.* 254
Heiſteri (*Laur.*) *Anatomicà inventa.* 274
Helmoldiani *Chronici editio nova promiſſa.* 515
Henricus VIII *Defenſor fidei & Protector Fœderis Ital. conſtitutus.* 507
caput Angl. Eccl. 507
Henrici VIII *R. A. ad Annam Bolen. epiſtolæ editæ.* 389
Henrionius *laudatus.* 453
Hepatis *vulnus per ſe lethale.* 319
Hermannus (*Jac.*) *notatus.* 494
Hernia *veſicæ.* 189
Poſt Herniam *feliciter ſectam peripnevmonia.* 316
Herodiani *quinam inter Judæos?* 485
Hibernia *Partholaymo conceſſa.* 435
Hieronymus *refutatus.* 476
Hieronymi *ſomnium vindicatum.* 310
Hirundinum *nidi nullius efficacia in Medicina.* 506
Hiſtoria *Saxonicæ Electoralis nova.* 366
Cœleſtis Flamſteedii. 463 ſſ.
Hiſtoriæ *generalis autores.* 379
Anglicanæ notitia unde petenda? 379

 Hob-

Hobbeſius (*Th.*) *defenſus.* 314
Ad Hoe ab Hoenegg (*Matth.*) *Epiſtolæ inedita.* 313
Holſtii (*Jac.*) *Com. in C. Celſum ineditus.* 514
Homo *num contra conſcientiam agere poſſit?* 38
Hornung, *menſis Februarius, unde dictus.* 165
Horologii *oſcillatorii inventor.* 193
Horti *in Europa celebriores.* 375
Hottingerus (*Jo. Henr.*) *notatus.* 342
Hugenius *quantum profecerit in doctrina motus?* 92
Hugenii *methodus computandi probabilitatem in ludis notata.* 131
Humorum *affectiones & proprietates.* 494
De Humorum *ſecretionibus Diſſ.* 493
Hunnia *quid?* 329
Hydropici *ſectio.* 316
Hyſterico - *hypochondriacum malum ſolis clyſteribus curatum.* 320

JAblonski *promiſſa.* 480
Jæger (*Jo.*) *idem qui Jo. Crotus.* 311
Jægerus (*Jo. Wolffg.*) *refutatus.* 420
Jannini *Præſidis in eruditos liberalitas.* 171
De Januis *veterum opus promiſſum.* 433
Japeticarum & *Noeticarum vocum differentia.* 143
Jarryæus *notatus.* 300
Idearum *in innatas & acquiſitas diviſio rejecta.* 518
productio incomprehenſibilis. 377
Idumæi *quando notent Nabathæos?* 483
Jebſen (*Steph.*) *Harmoniæ chronol. IV Evang. verſio Latina promiſſa.* 432
De Jehovah *nomine varia.* 528
Ignis *cultus religioſus unde?* 368
ſcortationis pœna. 368
fatuus quid ſit? 374
Incendiorum *in Saxonia hiſtoria.* 368
Indifferentiſtica *Theologia examinata.* 520
Indulgentiarum *collectio nova.* 340
Inertia *materiæ phænomenon eſt.* 92
Infanticidium *ob funiculum umbilicalem non deligatum.* 319
Infarctu *pectoris exſtincti ſectio.* 317
Infirmitatis *naturalis definitio.* 38
Inimici *quomodo habendi?* 45
Inſectorum *generatio.* 374

Intelle-

Intellectus *officia.* 41
Integralis *calculi ſingularia.* 199 ſſ.
Inteſtinum *cum abſceſſu communicans.* 320
Inteſtinorum *dolor potu vini calidi curatus.* 125
Invocatio *Numinis.* 44
Joannes *Apoſtolus num auctor Apocalypſeos?* 313 ſq.
Jobus *unde oriundus?* 243 ſq.
libri ipſi adſcripti autor. 244
Jodellus (*Steph.*) *atheus.* 169
Joſcelinus (*Jo.*) *quis?* 389
verus autor libri Parkeriani de Archiep. Cantuar. 389
Joſcelini (*Jo.*) *Catalogus librorum Anglo-Saxon.* 389
Hiſtoricorum Angliæ. 389
Joſephus *Jac. Fil. num Serapis?* 482
Joſephi *editio nova promiſſa.* 451
Iſchiadicum *malum fonte Freyenwaldenſi curatum.* 316
Iſis nova *dicta Cleopatra.* 423
Italiæ *Antiqv. & Hiſt. Theſauri Græviani Continuatio promiſſa.* 320
Itineris *maritimi quantitas ut determinanda?* 34
Judæorum *ſectæ deſcriptæ.* 484, 485
Judaici *Regni terminus fatalis.* 487
Judicia *ſub alta arbore in Germania quænam?* 279
Judicis & *Actuarii munera num in eandem perſonam cadant?* 365
Julii Cæſaris *philoſophia.* 8
ſcripta commendata. 379
Jungii (*Joach.*) *vita.* 515
Junii (*Melch.*) *libri rhetorici commendati.* 260 ſq.
Jurinus (*Jac.*) *refutatus.* 497
Jus *Cambiale explicatum.* 544
Naturæ ethicum. 36
Puſendorfii commendatum. 379
Juris *Romani Hiſtoria.* 15 ſſ.
autoritas in Gallia qualis? 17
Canonici Hiſtoria. 18 ſſ.
Gallici hiſtoria. 16 ſſ.
Cambialis ſcriptores. 544
De Juſſieu (*Ant.*) *Diſſ. de analogia inter plantas & animalia &c.* 371
Juvenis *nobilis qua ſtudiorum methodo uti debeat?* 378

KAli *Hiſpanici ſupini, annui, ſed foliis brevibus, deſcriptio.* 190
Keckermannus (*Barthol.*) *notatus.* 261

Keill (*Jac.*) *de motu muſculorum Tr. examinatus.* 394
Germanorum inimicus. 206
qualis ſit Analyſta? 227
notatus. 216,496,497
refutatus. 394 ſſ.
plagii poſtulatus. 396,397
Keill (*Jo.*) *Fratris ſeductor.* 396
Kienius (*Chriſtoph. Frid.*) *Poeta præcox.* 431
Kirchmanni (*Jo.*) *MSpta ubi lateant?* 515
Kloſtrale *Latinum.* 310
Kreſæ (*Jac.*) *vita & elogium.* 137, 138

LAcrymæ *num differant a ſero ſanguinis?* 499
Lactantius *num librum de* mortibus perſecutorum *ſcripſerit?* 453
Laſſenius, *ſartor primum, poſt Advocatus, quos libros ſcripſerit?* 170
Lambecius (*Petr.*) *notatus.* 337
cur apoſtata factus? 313
Lamii *Ars dicendi notata.* 301
Lamii Dantii d' Isnard *deſcriptio duarum novarum ſpecierum.* 190
Lanx *quid veteribus?* 536
Lance *licioque conceptum furtum quid?* 142, 536
Lancelot *vide* Popeliniere.
In Langium (*Joach.*) *convitia.* 422
Lapis *Bezoar nullius efficaciæ in Medicina.* 506
magnetis æmulus. 188
Lapides *quando duritiem acquirant?* 370
vulgares Sileſiaci. 86
figurati Sileſiaci. 86
ſunt luſus naturæ. 188
pretioſi nullius efficaciæ in Medicina. 506
Laricis *coni icones lapidibus inſcriptæ.* 87
Latinæ *linguæ in Germania fata.* 309
elegantia unde metienda? 311
in carmine præſtantia. 47
origo & pueritia. 140 ſſ.
cultura a Græcis. 142
uſus unde addiſcendus? 379
Latinum *Kloſtrale.* 310
Latitudo *maris ope magnetis detecta.* 30 ſſ.
Legis *natura.* 519
definitio. 37
Legum *naturalium Summa.* 37
differentia unde petenda? 37

Legum *ſtudium unde haurien-dum?* 379

Leibnitius (*G. G.*) *quænam reſpondeat Anglis palmam inventi calculi differ. dubiam ipſi reddentibus?* 90

contra Deſagulierium defenſus. 495

Leopoldus *Auſtriæ Marchio num a Comitibus Babenberg. deſcendat?* 331

quo anno Marchionatum Auſtriæ adierit? 331 ſſ.

De S. Leopoldo *varia.* 326

Leviathan *quid?* 102

Leusdenius (*Jo.*) *laudatus.* 527 ſſ.

Leuterationi *num ſit locus contra duas ſententias conformes.* 366

Lex *Majeſtatis explicata.* 7 ſſ.

conſcientiæ quænam? 39

eadem ut naturalis, divina & humana eſſe poſſit? 37, 38

divina quænam? 37

humana quænam? 37

naturalis quænam? 37

Lexica *Græca deſcripta.* 426, 427

Libertatis *eccl. turbatio num juſta excommunicationis cauſa?* 285

finis unicus Eccleſiæ commodum. 286

Librorum *lectio ut inſtituenda?* 378

Licere *antiquis ligare.* 536

Licium *quid?* 536

Lienis *membrana propria cartilaginoſa.* 316

Ligna *petrefacta Sileſiaca.* 86

Lingua *primæva quænam?* 140

Anglica unde addiſcenda? 379

Lipſtorpii (*Dan.*) *vita.* 513

Liquidorum *definitio.* 494

Literæ *unciales quam diu Romanis uſitatæ?* 423

Litteræ *ſecretæ quid?* 310

hiſtoriam notant. 310

Liturgia *Anglicana.* 530 ſſ.

Livii *Opera commendata.* 379

Lockii (*Jo.*) *in Metaphyſicis cognitio.* 93

ignorantia methodi Mathematicæ. 93

in prudentia politica profectus. 376

liber de Intellectu ab Oxonienſibus damnatus. 380

character. 381

Longini *præcepta ad Scripturam S. applicata.* 473 a.

Longitudo *maris ope magnetis detecta.* 30 ſſ. 34 ſſ.

unde optime determinetur? 153

Longoruæus *laudatus.* 453

Longus (*Jac.*) *laudatus.* 452, 453

Loſſii (*Lucæ*) *Epiſtolæ promiſſæ.* 314
De Lotharii *Imp. electione Tract. editus.* 122, 326
Luculæ *borealis accurata deſcriptio.* 157 ſſ. 161 ſſ. 188
Lubecenſes *eruditi.* 430
Lubecenſium *Poetarum Delitiæ promiſſæ.* 515
Lucius *Rex Britonum baptizatus.* 436
Ludolphi *Com. Saxoniæ pater quis?* 122 ſſ.
Ludorum *duratio ut determinanda?* 136
De Lulli (*Ant.*) Rhetorica *judicium.* 258
Lulliſtica *ars non prorſus ſpernenda.* 95
Luna *Cleopatræ filia dicta.* 423
Lunares *obſervationes.* 464
Lunigius *notatus.* 279
Lutherus (*Mart.*) *defenſus.* 347
Lutheri (*Mart.*) *vita & character.* 345
Comm. in Geneſin laudatus. 25
libri Cantabrigiæ combuſti. 448

MAbillonii (*Jo.*) *in Bibl. Reg. Pariſ. merita.* 450
Maccabæorum *nomen unde?* 483
Machina *ad obſervandum maris æſtum.* 150
Machina *ad ſidera obſervanda.* 151
nova elementaris. 151, 152
ad maritimi itineris quantitatem determinandam. 32
Machinæ *hydraulicæ deſcriptæ.* 470, 471
Madox (*Th.*) *Formulare Anglicanum commendatum.* 510
Magdeburgenſes *numi explicati?* 543
unde jus monetæ acceperint? 543
Magiæ *definitio.* 520
Magnes *debilior cur ſubinde ſecum trahat ferrum ex polo magnetico fortiori pendulum?* 188
Magnetis *æmulus lapis.* 188
in longitudine & latitudine maris determinanda uſus. 30 ſſ.
phænomenon ſingulare. 188
Megnetici *nuclei in Tellure incluſi.* 31
Magneticæ *theoriæ ſpecimen.* 30
Majeſtatis *Lex explicata.* 7 ſſ.
Majus (*Jo. Henr.*) *notatus.* 265 ſſ.
Maji (*Jo. Henr.*) *in Bibl. Uffenb. merita.* 233
promiſſa. 236

Mala

Mala *quænam ſint?* 37
Malebranchii *principia examinata.* 91
Mali *origo ex Myſterio Trinitatis evicta.* 536
Mancipationis *ritus.* 536
In Manus *tumore glandulæ indurata.* 190
Mappæ *geographicæ, in quibus acus magnetica declinationis variationes exhibet.* 32
R. Mare Scoti *verum nomen.* 313
Margaritæ *ſunt producta morbi.* 190
nullius uſus in Medicina. 506
Margaritæ *Valeſiæ hiſtoria fabuloſa.* 303
S. Mariæ *Monaſterii Magd. hiſtoria.* 277
præpoſitus olim ſecundus Germ. Primas dictus. 277
Marienbornenſis *monaſterii Chronicon.* 276
nomen unde? 276
Maritus *Saxo alibi degens quo caſu uxori ſuccedat jure Saxonico?* 365
Martini (*Corn.*) *lepida reſponſio Gretſero data.* 455
Martis *minera piſiformis.* 251
Maſenius (*Jac.*) *laudatus & notatus.* 299
De Maſorethis *varia.* 476 ſq.
Materia *num ſit ſubſtantia?* 91
Matrimonii *cum Chriſto initi exemplum.* 175
Mathematicorum, *Geometriam ad Phyſicam applicantium, dogmata dubia.* 497
Matheſeos *in Medicina rationali neceſſitas aſſerta.* 493
S. Maximiliani *vita.* 324
Mechanica *animalium.* 149
Medicamenta *inſecura & inſida.* 400, 401
ſelectiora. 397
balſamica. 397
Medicamentorum *domeſticorum præſtantia.* 397
Medicarum *cautelarum ſyſtema.* 231
Medicina *eclectica commendata.* 231
Flagellata. 505
Medicinæ *Judaicæ compendium.* 535
præſes ratio eſt. 398
fundamenta theor. pract. 272
In Medicina *experientia non ſufficit.* 397
Medicorum *imperitia & fraudes.* 505
Medicum *ſtudium ut tractandum?* 505, 506
Medulla *quid ſit?* 499
Meibomii (*Henr.*) *vita.* 514
De Melanchthonis *Rhetorica judicium.* 260

Melchi-

Melchiſedecus *quis?* 26 ſſ. 245 ſſ.
Mellicenſis *Monaſterii Chronica edita.* 325
Membranarum *continuitas & contiguitas, cauſa conſenſus partium.* 502
Menſis *in materia probationis quot diebus abſolvatur?* 365
Menſes *ex uteri cavitate fluentes.* 319
Mentis *operationes quot?* 518
In pia Menynge *ſpiritus animales ſecernuntur.* 128
Menyngum *neceſſitas ad vitam.* 319
Mercurius *in Sole viſus praefertur phaenomenis in longitudine determinanda.* 53
num per poros ligni penetret? 494
Mercurialis *refutatus.* 355
Metalla *Sileſiaca.* 88
Metaphyſicae *definitio.* 516
Leibnitianae ſyſtema unde hauriatur? 92, 93
Meteorum *igneum.* 189
Micrometrum *univerſale.* 192, 193
Micrometri *inventor.* 193
Miliarium *quid?* 357
Minellianae *editiones notatae.* 114
Mineralia *Sileſiaca.* 88
Suecica. 250
ut generentur? 370
Minerarum *Sileſ. origines.* 87
Miſnenſium *March. a Witikindo origo aſſerta.* 367
Modulatio *ſcenica veterum.* 48
Mollerius *cur Plauto & Terentio praeferendus?* 47
Monachatus *origo & hiſtoria.* 390
corruptela unde? 392
autor quis? 390
unde ortus? 485
Monachi *mendicantes, Cynicorum aemuli.* 392
Monades *ſolae ſunt ſubſtantiae.* 92
Monadologiae *Leibnitianae intelligendae quid conducat?* 95
S. Monicae *cingulum divino cultu affectum.* 346
Monmortius (*Remundus*) *quid in computanda ludorum ſorte praeſtiterit?* 131, 132
Monmortii *de Moivraeo querelae.* 132
Monoculum *inſectum ſingulare.* 374
Monſtri *deſcriptio.* 190
Montfauconius *laudatus.* 453
Monumenta *defunctorum ut conſtruenda?* 469
Moralia *unde haurienda?* 379, 380
Moralitas *actionum in quo conſiſtat?* 37

Morali-

Moralitatis *fundamentum quod & quotuplex?* 518
Morbi *ex aliis morbis oriuntur.* 411
ex conſenſu partium oriuntur. 501
Morborum *præcautio in quo conſiſtat?* 399
Morum *theoria demonſtrativa utilis.* 39
conjectandarum methodus. 40
Morus *arbor ut coli debeat?* 184
Mori *arboris virtutes Medicæ.* 184
Mors *pœna levior exilio.* 8
Mortis *repentinæ cauſa.* 319
præſagium pediculus pulſatorius. 374
Morte *ſubitanea extincti ſectio.* 316
Mosheimius (*Jo.Laur.*) *refutatus.* 177
De Moſis *morte Diſſ.* 30
Mothius Vayerius (*Franc.*) *laudatus.* 299
Motiva *actionum per ſe boneſtarum atque turpium.* 37
Motus *voluntarius ut fiat?* 130
periſtalticus explicatus. 145
ſpecies. 150
Muci *natura.* 499
Mumia *nullius uſus in Medicina.* 506
Mumia *vegetativa Agricolæ.* 371
Muſculus *pyramidalis ſiniſter deficiens.* 319
Muſculi (Muſcheln) *ovipara.* 372
Muſculorum *ſtructura.* 394
actionis cauſa. 394, 395
motum quinam ad Matheſin alligaverit? 394
palmaris & plantaris defectus. 317
Muſica *veterum explicata.* 149
Muſices *hiſtoria & fata.* 48
Myſticæ *Theologiæ origo.* 393

NAturæ *ordo admirandus.* 375
lumen quid & quale ſit? 95
Navium *armamentaria & ſtationes.* 471
Nebridæ *quid?* 425
De Nehalennia *Dea Tract.* 164
Nervi *ſunt productio menyngum.* 130
Nervorum *opticorum defectus.* 318
Newtonus (*Iſ.*) *notatus.* 91, 496
cur methodos ſuas in calculum differentialem transformaverit? 90
excuſatus. 500
Newtoni (*Iſ.*) *diſcipuli quales?* 91

Newtoni (*Iſ.*) *philoſophia quando corruat?* 94
Nicotianæ *in Anglia uſus interdictus.* 509
fumus in peſte proficuus. 413
Nihilum *quid ſit?* 540
De Nimbis *Sanctorum tractatio.* 542
Nitrum *ex plantis & animalibus oritur.* 190
Noachus *poſt diluvium in Chinam ſeceſſit.* 183
Noeticarum *& Japeticarum vocum differentia.* 143
S. Norbertus *quo translatus?* 278
Noricum *quid apud veteres?* 328
Norimbergæ *latitudo & longitudo.* 152 ſq.
Noriſius *notatus.* 385
Novi Teſtamenti *ſtylus examinatus.* 471 ſſ.
cum Veteri connexio demonſtrata. 481
De Nuennar (*Herm.*) *elogium.* 311
vita promiſſa. 311
Numerorum *compoſitorum in factores primitivos reſolutio.* 191
Numus *in Ducem Maynium.* 169
Numi *bracteati explicati.* 541
Numi *bracteati bilaterales.* 542
Zenonis & Anaſtaſii Impp. explicati. 351 ſſ.
De Nunneſii (*Petr. Jo.*) Rhetorica *judicium.* 259
Nutritionis *organa.* 150

Obeliſcorum *conficiendorum ratio.* 468
Obligatio *a conſcientia orta.* 29
Obligationis *definitio.* 37
Obliquitatis *eclipticæ quantitas.* 153
Officia *erga Deum.* 43
Olearius (*Gottfr.*) *vindicatus.* 177 ſſ. 266 ſſ.
Omenti *duplicatura diviſa.* 317
Omophagia *vindicata.* 424
Onion, *templum, unde dictum?* 483
Ontologia *quid?* 517
Operationes *mentis quot?* 518
Ophitarum *hæreſis.* 424
Ophthalmia *fonte Freyenwaldenſi curata.* 316
ut curanda? 317
Opuntiæ *majoris ramus petrefactus.* 87
Orationis *interioris donum quale?* 174
definitio. 44
Orbita *Solis determinata.* 155
Ordinum *novorum inſtitutio in Conc. Lateranenſi prohibita.* 391
Organorum *differentia in diverſis.*

verſis animalibus. 149
Oſterwald (*Jo. Frid.*) *ſcripta.* 64 ſq.
In Oſterwaldum (*J. F.*) *epigramma.* 71
Oſtreæ, *animalia plantis ſimilia.* 371
androgyna. 371
Ovum *ovo incluſum.* 150
Ozanami (*Jac.*) *elogium.* 194 195

PActorum *ratio.* 45
Palatina *Hiſtoria Eccleſ.* 455 ſſ.
Palmarum *fœcundatio ut fiat?* 83
Pancratiorum *novæ ſpecies.* 194
Panigarola (*Fr.*) *laudatus & notatus.* 261
Papporum *in flore uſus.* 83
Parabolis *cur uſus Chriſtus?* 239
Paradiſus *ubi fuerit?* 183
Paralyſis *fonte Freyenwaldenſi curata.* 316
Parkeri *vitæ Archiep. Cantuar. quem habeant verum autorem?* 389
Parkeri (*Rich.*) *Deſcriptio Collegior. Cantabr. Anglice verſa.* 434
character & obitus. 437
Parnellii *in Homerum merita.* 511
Parrhelium *viſum.* 189
Partes *quomodo inſint lineæ?* 92
Partium *humani corporis conſenſus.* 501
Paſcalii *elogium.* 93
Paſcha *quo die olim Britanni & Hiberni celebraverint?* 483
Patavienſium *Epiſc. indices editi.* 324
Paterculi *cognomen unde natum?* 115
Paulus V *cur Venetos excommunicaverit?* 287 ſſ.
Pauli V *cum Venetis reconciliatio.* 170
Paupertas *evangelica quænam?* 392
Pedantiſmus *quotuplex?* 518
Pediculus *pulſatorius mortis præſagium.* 374
Pelagius *hæreticus Cantabrigiæ docuit.* 436
Pelleterius *notatus.* 298
Perfectio *vitæ humanæ.* 39
Perfectionis *definitio.* 37
Periodorum *febrilium ratio.* 504
Peripnevmonia *poſt herniam feliciter ſectam.* 316
Peripnevmonici *Sectio.* 317
De Perleoniis *fabula.* 337
Perraltius (*Claud.*) *quantum in lectione veterum autorum verſatus?* 149
Perraltii (*Claud.*) *elogium.* 145
opera. 145, 146

Peſtis *Maſſilienſis hiſtoria.* 403
patria in Oriente. 404
in Tartaria. 412
eſſentia in quo conſiſtat? 405, 411, 414
in Anglia ſponte non oritur. 406
contagium ut communicetur? 406, 407
ut arcenda? 407
per aerem communicabilis. 406
principio ſuffocanda. 408
e prava diæta. 411
a vermibus oritur. 412
Neapolitanæ hiſtoria. 416
tempore edicta publicata. 416
præſervatio. 409, 413, 415
Peſte *infectæ domus haud occludendæ.* 408
In Peſte *ignes non accendendæ.* 409
tormenta explodenda. 409, 410
ſuffimigia aromatica non facienda. 409
ſulphur accendi debet. 409
defunctorum cadaveribus phænomena obſervata. 416
De Peſte *libri recenſiti.* 402 ſſ.
Petalum *in flore quid?* 82
De Peterſenio (*Jo. Wilh.*) *judicium.* 432 ſq.
Petrefacta *Sileſiaca.* 86
Phavorinus (*Varinus*) *quis?* 426 ſq.
Pharmacopolarum *inſcitia & fraudes.* 505
Philoſophiæ *primæ definitio. diviſio.* 516
practicæ univerſalis inventor & ratio. 36, 37
Phthiſicorum *Sectio.* 316, 317
Phyſicæ *elementa Lockiana.* 378
Phyſiognomia *defenſa.* 40
Phyſiognomiæ *termini.* 40
pars melior. 40, 41
Picturæ *cum Poeſi comparatio.* 46 ſſ.
quibus opera Architectonica exornantur. 467, 468
Pietatis *ſtudium quale probandum?* 393
definitio & excellentia. 43
Pilati *ad Tiberium Caeſ. Epiſtola.* 387
Pilulæ *argento obductæ nullius in Medicina efficaciæ.* 506
Piſces *num audiant?* 372
Piſcium *generatio.* 372
Pro Piſcibus *aſſervandis vivaria.* 375
Piſtillum *in flore quid?* 82
Piſtilli *in flore uſus.* 82

Pitkar-

Pitkarnius *refutatus.* 496
Planetarum *obſervatio.* 464
Plantarum & *animalium analogia.* 371
differentia ſexus. 371
exoticarum cultura. 375
claſſes. 81, 83
Plato *cur Poetas e Rep. ejecerit?* 46
Platonis *dogmata qualia?* 92
Plinio *moderno conſcribendo quis par ſit?* 94
Pluviæ *quantitas anni* 1716. 189
Pocockius (*Ed.*) *laudatus.* 380
Poculorum *in ſacris uſus.* 165
Podagra *fonte Freyenwaldenſi curata.* 316
Pœnarum *definitio.* 38
Pœppingii (*Frid.*) *vita & ſcripta.* 514
Poeſis *cum arte pictoria comparata.* 46 ſſ.
Poetas *cur Plato e Rep. ejecerit?* 46
Poetarum *medii ævi Hiſtoria.* 253 ſſ.
Poiretus *Jeſ. laudatus.* 453
Poireti (*Petri*) *vita.* 417 ſſ.
Politica *principia unde haurienda?* 379
prudentia unde haurienda? 381
Politici *ſcriptores præſtantiores.* 379
Pollichii (*Mart.*) *cum Conr. Wimpina controverſia.* 343
Polzii (*Jo.*) *ingenium præcox.* 433
Pontifex *falli poteſt.* 284, 287
an Epiſcopus univ. dicendus? 390
Pontifici *num jus in Reges competat?* 21, 283
De la Popeliniere (*Lancelot.*) *ob hiſtoriæ ſuæ veritatem mortis periculum incurrit.* 171
Potus *calidus præſtat frigido.* 126
Per Præconem & *libellum rei vindicationis ratio.* 538
Precum *neceſſitas & utilitas.* 44
formularum uſus. 44
Primas *Germaniæ ſecundus quis olim dictus?* 277
Principi *qua ratione competat jus in clerum?* 287
Probabilitatem *in ludis computandi ratio.* 131 ſſ.
Problematis *Geometrici ſolutio.* 156 ſq.
Proceſſuum *mammillarium defectus.* 318
De Prodigiis *opus Jul. Obſequentis illuſtratum.* 118
Projectile *quam in medio reſiſtente deſcribat curvam?* 228 ſſ.

Prophetæ *anteriores cur dicti libri hiſtorici V. T.* 62 ſſ.
Prophetarum *interpretatio ut inſtituenda?* 97
Protymileos *jus num ad comeſtibilia proferendum?* 364
Proverbiorum *Salomonis ſcopus.* 63
Prudentiæ *regulæ unde addiſcantur?* 381
Puella *a nativitate infante gravida.* 150
Pulmonum *vulnus ſclopetarium per ſe lethale.* 319
vis in expellendo acre. 497
Puteus *ſingularis.* 188, 189
Pythagoras *per τετρακτὺν jurare conſuevit.* 528

Quedlinburgenſes *numi explicati.* 543
unde jus monetæ acceperint? 543
Quercus *in Saxonia Inf. celebres.* 165
Quesnellianæ *theſes cur a Clemente XI damnatæ?* 454
Quinaltus *laudatus.* 451, 453
Quintilianus *cum Codice MS. Gothano collatus.* 71 ſſ.
ubi natus? 258
adulationis poſtulatus. 258
Quintiliani *Inſtitutiones commendatæ.* 378

RAcinus, *Tragicus, notatus.* 47
Radii *luminoſi phænomenon ſingulare.* 189
Rami *(Petri) vita.* 260
Scholæ Rhetoricæ *notatæ.* 260
Ranæ *viviparæ.* 374
Ranarum *coitus.* 373, 374
fœmellæ habent partes genitalium duplicatas. 373
Rapinus *Jeſ. notatus.* 299
Rapini *(Ren.) obitus & cygnea cantio.* 170
Ratio *Medicinæ præſes.* 398
Ratiocinarioni *comparandæ quænam inſerviant ſcripta?* 379
Rationes *legum ferendarum.* 37
Receptaculum *in flore quid?* 81
Reformationis *hiſtoriam illuſtrantia Acta collecta.* 343 ſſ. 348 ſſ.
promovendæ adjumenta. 344
Refractionis *horizontalis quantitas.* 158
Regis *titulo quando vox* Romanorum *addita?* 279
Reineſius *(Th.) notatus.* 163, 424
Religionis *Chriſtianæ notitia ut optime comparetur?* 380
Renaudotius *(Euſ.) laudatus.* 453
Renaudotii *(Euſebii) Diſſ. de Genna-*

Gennadio recuſa. 429
Renum *ſuperficies inæqualis.* 319
Res *materiales ſunt phænomena.* 92
Reſiſtentia *fluidi unde oriatur.* 494
Reſonantia. 149
Rheumatiſmus *fonte Freyenwaldenſi curatus.* 316
Rhythmus *rejectus.* 47, 48, 79.
Robertellus (*Franc.*) *caſtigatus.* 260
Roma *Babylon.* 103
— *ebria & rubra cur dicta apud Eſ.* 105
Roſcellini *errores.* 264
Rota *aquas elevans.* 194
Rothweiliſch, *lingua, unde dicta?* 310
Runicæ *literæ, Japeticæ.* 144
— *cur in Germania abrogata?* 144
Ryckius *notatus.* 385

De SAgis *fabulæ.* 165
Sagittarii (*Caſp.*) *vita.* 433
Salia *acida arte chymica in alcalia converti poſſunt.* 190
Saliſburgenſe *Chronicon editum.* 325
Saltatio *veterum deſcripta.* 48
Ad Salutem *quæ ſint neceſſaria?* 293
— *opus habemus Spiritu S.* 293 ſſ.
Sancio (*Harlæo*) *ſuppoſita* Confeſſio. 168
Sanguinis *defectus in cadaveribus notatus.* 317
— *motus per arterias.* 496
— *per ortam tranſeuntis celeritas.* 496
— *motus unde retardetur?* 497
Sanitatis *leges.* 399
Sapientiæ *in divinam & humanam diviſio rejecta.* 517
Saponis *uſus pro vegetabilibus fœcundandis.* 377
Sarſaparillæ *radix nullius in Medicina efficaciæ.* 506
Saxoniæ *Infer. & Weſtphaliæ Scriptores promiſſi.* 513
Saxonica *Hiſtoria El. nova.* 366
Saxum *fœtidum.* 251
— *crenarium duplicis generis.* 250
Saxorum *cultus apud Veteres.* 162
— *in electione Regum olim uſus.* 162
— *prægrandium acervus indicium monumenti ſepulcralis.* 163
Scaldi *cum Druidibus & Bardis iidem.* 144
Scaliger (*Juſt. Joſ.*) *divitiarum contemtor.* 171
Scapula (*Jo.*) *epitomator Stephani.* 427

Schi-

Schilo *quid?* 27
Schiſmatici *num in Rep. tolerandi?* 292
Schmidius (*Jo. Andr.*) *laudatus.* 350
Schminckii (*Jo. Herm.*) *Diſſ. de Athico Duce.* 334.337 ſq.
Schomerus (*Juſt. Chriſtoph.*) *Theologus pariter & JCtus.* 433
Schultingii *ad Tacitum de cauſis correptæ eloqu. notæ editæ.* 382
Scortationis *pœna ignis.* 368
Scotiæ *Rex vaſallus Regis Angliæ.* 388
Scotus (*Jo.*) *Bedæ diſcipulus.* 437
Scriptura *S. quomodo legenda?* 66
Scripturæ *S. loca explicata:*
Geneſ. I. 69
IV. 24
XI, 4. 62
XII, 4. 247
XIV. 26
18. 245
XV, 13. 247
XIX. 27
XLIX. 27
Exod. III, 2. 493
VII. 28
XV, 11. 483
XXXII, 31, 32. 28
Num. XXI. 29
Deut. XXXII. 56
Deut. XXXIV. 30
2 Reg. XXII, 3, 8. 57
Pſ. XIV, 1. 489 ſq.
Prov. I, 22. 492
Eſa. XIX, 8. 484
XXIV, 23. 100 ſſ.
XXVII. 102
XXVIII, 8. 10. 104
Jer. XXV, 3. 57
Ezech. IX, 4. 246
XIV, 8. 54
Hoſ. I, 10, 22. 523
Mal. II, 15. 522
Matth. II, 21, 22. 237
IV, 8. 110
V, 18. 238
XI, 8. 528
52. 113
XIII, 3-52. 239
XV, 5. 113
XVI, 39-44. 240
XVIII, 17, 18. 239
XXI, 15. 113
XXIV, 28. 239
XXVI, 10. 484
37, 38. 239
XXVII, 46. 240
XXVIII, 19. 493
Luc. I, 64. 112
II, 19. 110
XII, 50. 110
XIV, 18. 110
XV, 23. 113
XIX, 9. 111
XX, 3, 13. 111
XXII, 21. 113

XXIII,

XXIII, 34. 240
Joh. I, 1, 14. 493
VI, 44. 294
VIII, 6; 8. 240
37. 110
X, 8. 113
XIV, 16. 493
XVI, 28. 240
XXI, 25. 113
Act. VII, 4, 16. 247
XIII, 2. 115
20. 245
XV, 10, 11. 241
21. 241
29. 110
XVI, 13. 112
22. 242
XXVII, 40. 111
XXVIII, 2. 113
Rom. VIII, 19-22 241
1 Cor. V, 5. 241
XV, 5. 241
8. 241
29. 265
32. 242
2 Cor. XI, 14. 174
XII, 1-6. 242
Gal. IV, 24 ſq. 242
Phil. II, 6. 493
Coloſſ. I, 15. 493
1 Joh. V, 7. 493
Hebr. I, 6. 493
X, 28, 29. 493
Apoc. XXII. 69
Scripturam S. *interpretandi via optima.* 381

Ad Scripturam *S. Introductio nova.* 58
Scriverius (*Chr.*) *ubi natus?* 433
Secretiones *humorum ut fiant?* 27, 128
Secretionum *in corpore animali leges generales.* 498
— *animalium ratio.* 500
Secretoriorum *vaſorum figuræ non ſunt diverſæ.* 498, 499
Sectionis *figura, quando ſingula puncta a fluido contento viribus inæqualibus juxta datam legem premuntur.* 495
Von Seelen (*Jo. Henr.*) *promiſſa.* 515
Semen *maſculinum non eſt ſpirituoſum.* 373
Seminis *maſculini animalcula.* 375
— *natura.* 499
Seminum *multitudo in plantis.* 373
Senſorium *commune non datur.* 130
Septuagintaviralis *verſio quando facta?* 482
— *verſionis codex Syriacus ubi aſſervetur?* 480
De Septuagintavirali *Verſione theſes quædam ſingulares.* 475 ſſ.
Serapis, *idolum Græcum.* 482

Serapis, *num Joſephus, Jac. Fil.* 482
Serapeum *quid?* 482
Sericum *qui primi confecerint?* 183
ut in Europam translatum? 183, 485
conficiendi ratio. 183
Serierum *infinitarum in arte conjectandi uſus.* 133, 134
Sermonis *officia quænam?* 45
Serpens *ex ovo extractus immobilis motum a reſpiratione recipit.* 190
De Serpente *æneo Moſis Diſſ.* 29
Serpentum *exuviæ nullius in Medicina efficaciæ.* 506
S. Severini *vita.* 324
De Sibyllis *quid ſtatuendum?* 486
Siccama (*Sibrandus*) *refutatus.* 538
Signa *Leibnitiana in calculo differentiali cur præferenda Newtonianis?* 202
Silentium *in crimine Majeſtatis num olim punitum?* 11 ſſ.
an puniendum? 12
Silefia *ſubterranea.* 85
Simulationes *ut detegantur?* 40
Sirii *parallaxis.* 192
Soarius (*Cyprian.*) *laudatus.* 261
Societatis *Roſeæ Crucis autor.* 515
Societatis *ad religionis ſtudium promovendum regulæ.* 381
Solares *obſervationes.* 464
Soni *in quadrupedibus differentia unde?* 373
Sortis *doctrina.* 131
Sortes *Virgilianæ in evolutione Bibliorum olim ſæpe tentatæ.* 484
Spanhemius (*Ezech.*) *notatus.* 386
Specifica *ſunt ſubleſtæ fidei medicamenta.* 400
Spencerus *impugnatus & defenſus.* 29
Spermatica *vena in exortu bifida.* 317
Spermaticæ *arteriæ e regione vaſorum emulgentium ortæ.* 319
Sphærarum *preſſiones a chordis circumvolutis.* 194
Sphæroidum *preſſiones a chordis circumvolutis.* 194
Spinalis *medulla & nervi producunt ſpiritus animales.* 129
Spiritus *S. operatio neceſſaria.* 294
in quo conſiſtat? 295 ſſ.
in quibus fiat? 296
num ſit irreſiſtibilis? 296 ſq.

De

De Spiritus *S. operationibus Tract.* 291 ſſ.
Spiritus *animales in pia Menynge ſecernuntur.* 128
unde producantur? 129
Spirituum *animalium vis attractiva impugnata.* 395, 499, 500
De Spiritibus *ſententiæ Philoſophorum vet. ortus ex Cabbala.* 519
Stahlii (*Georg. Ern.*) *Obſervationes luculentæ commendatæ.* 232
Stamen *in flore quid & quotuplex?* 83
Staphorſtii (*Andr.*) *inedita.* 312, 313
Starckii (Caſp. Henr.) *acceſſiones ad Placcii Anonymos promiſſæ.* 433
Statuarum *baſes determinatæ,* 467 ſq.
Steinheilius (*Jo. Mich.*) *notatus.* 266 ſſ.
Stellarum *marinarum motus ut fiat?* 372
Stephanorum *de Lexicis merita.* 427
Sterilitas *ſoli ut corrigenda?* 375
Stewartii (*Petri*) *promiſſa.* 320
Stirpium *principia.* 85
facultates. 85
florendi modus diverſus. 83
Stolterfothii (*Jo. Jac.*) *vita.* 514
Stone-Henge *quid Anglis notet?* 162
Stratorum *in fodinis carbonum foſſilium ratio.* 370
Strebæi (*Jo. Lud.*) *libri Rhetorici commendati.* 259
Strumoſos *in Anglia attrectandi formula.* 532
Studiorum *methodus juveni nobili conveniens.* 378
Sturmii (*Jo.*) *libri Rhetorici alii laudati, alii notati.* 259
(*Leonh. Chriſtoph.*) *fata durtora.* 36
Subſtantiæ *veræ quænam?* 92
Suecicum *iter deſcriptum.* 250 ſſ.
Suffuſio *ex lente cryſtallina opaca & ſublutei coloris.* 319
Suiſſeti *opera commendata.* 94
Summum bonum *in quo conſiſtat?* 38
Symmetriæ *regulæ.* 466, 467
Syſtema *harmoniæ præſtabilitæ defenſum.* 95
Solare Newtonianum. 362

De T*Abernaculo Moſaico Diſſ.* 29
Tacitus *explicatus.* 309 ſq.
De Talæi (*Audomari*) Inſtitut. Orator. *judicium.* 259 ſq.
Targumim *origo.* 485
Tarnovius (*Jo.*) *laudatus.* 433

Taylor (*Brook*) *notatus.* 196 ſſ.
ut erga amicos ſe gerat? 196
plagii reus confeſſus. 198
convictus. 202 ſſ.
incompte & obſcure ſcribit. 197, 207 ſſ.
De Taylor (*Brook*) *quid Montmortius ſentiat?* 207 ſſ.
Telluris *conſtitutio interior.* 31
circa Solem motus annuus demonſtratus. 192
Temperantiæ *ratio.* 42
Tepidarii *deſcriptio.* 357
Terentii *Profeſſio Vitembergæ inſtituta.* 311
opera commendata. 379
Terræ *ſigillatæ Sileſiacæ.* 88
incultæ ut colendæ? 375
Ten arum *ortus.* 369
genera. 369
Teſtamenti *V. & N. connexio.* 481
Teſticulus *ſiniſter intra proceſſum peritonæi latens.* 319
Theoderici *Oſtrogoth. R. geſta & numi.* 352, 354
Theologiæ *myſticæ origo.* 393
Theologorum *in rem litterariam merita.* 280
Theophili (*Nic.*) *vita & ſcripta.* 514
Thermæ *Sileſiacæ.* 88
Thermarum *& acidularum convenientia.* 400
Thermopolii *deſcriptio.* 355 ſſ.
Thevet, *Coſmographi Galli, ignorantia.* 169
Thomaſius (*Jac.*) *refutatus.* 264
(*Chr*) *refutatus.* 419, 520
Van Til (*Sal.*) *refutatus.* 238
Tillotſonii *libri commendati.* 378
Timmermannus, *Guilielmi Arauſ. percuſſor, inter Martyres relatus.* 168
Timor *Dei in quo conſiſtat?* 43
Tittelii (*Aug.*) *de Ciceronis filio Diſſ.* 487
Tournefortii *methodus plantarum notata.* 81, 85
Tragœdiæ *cur magis afficiant ſpectatores quam Comœdiæ?* 46
Tragœdiæ *indoles & conditio.* 47
Trajectoriarum *problematis ſolutio Anglica examinata.* 270 ſſ.
Trapezuntius (*Georg.*) *Hermogenes Latinus merito dicendus.* 258
Tremores *fonte Freyenwaldenſi curati.* 316
Trevoltienſes *Jeſuitæ notati.* 298
Tribbechovius (*Adam*) *laudatus.* 433

Tri-

Tribus *decem ubi hodie commorentur?* 534
Trigonometria *plana & ſphærica analytice tractata.* 137, 138
Trinitatis *e Philoſophia Platonica ortus, fabula.* 419
idea ſingularis. 539
De Trinitate *ſermones.* 488
Tuba *in flore quid?* 82
Tubæ *in flore uſus.* 82
Tubi *optici inventor.* 193
In Tumore *manus glandula indurata.* 190
Turris *Babel num ſymbolum Solis?* 26
Typographia *a Moguntinis inventa.* 451

VAlentini (*Mich. Bern.*) *Pandectæ & Novellæ Medicæ examinatæ.* 232
Valerii (*Corn. & Auguſtini*) *Rhetorica laudata.* 260
Varices *fonte Freyenwaldenſi curati.* 316
Varignonius *laudatus.* 453
Ex Vaſis *ſanguineis intra pericordium mors inopinata.* 319
Vaticanus *Bibliorum Codex Alexandrino prælatus.* 474
De Vavaſſore (*Fr.*) *judicium.* 301
Vaumorierius *notatus.* 299 ſq.
Ad Vectigalia *ſolvenda clerus obligatur.* 289
Vegetabilia *petrefacta Sileſiaca.* 86
ſapone fœcundanda. 371
Vegetatio *plantarum ut fiat?* 371
Vena *cava admodum inflata.* 317
In Vena *cava inferiori valvula Euſtachii.* 189
Venæſectio *magnum ad vitam longam & ſanam remedium.* 399
Venenum *ut in corpore naſcatur?* 414
Venerabilis *titulus quibus proprius?* 124
Venetorum *contra Paulum V apologia.* 281-291
in mare Hadriat. imperium. 291
Ventriculus *plurium morborum origo.* 503
Ventriculi *dolor potu vini calidi curatus.* 125
conſenſus cum partibus. 503
Vermehren (*Paulus*) *laudatus.* 432
Veronæ *Academia trium Facultatum inſtituta.* 389
Verulamius *notatus.* 262
Veſica *fellea bifurcata & magna.* 317
Veſicæ *herniæ cauſa.* 189

Veſtitus *ratio.* 42
Vexilla *navium moderna depicta.* 188
Ab Uffenbach (*Zach.Conr.*) *laudatus.* 233, 350
Vignerius (*Hier.*) *refutatus.* 334
Villavicentius (*Laur.*) *laudatus.* 260
Vindicii Severiani (*Juſti*) *verum nomen.* 455
Vini *calidi potus ſalutaris.* 124
Vinorum *Italicorum præſtantia.* 126
Viperarum *pulvis nullius in Medicina efficaciæ.* 506
Virgilii *opera commendata.* 379
Virtutis *impedimenta.* 40
definitio. 38
ortus. 42
chriſtianæ definitio. 43
Virtutes *circa ſtatum externum hominis obviæ.* 42
Vis *attractiva ſpirituum animalium impugnata.* 395, 499, 500
pectoris ad veſicam inflandam, acquiſita. 395
De Viſco *Druidum Tract.* 164
Vitia *circa ſtatum externum hominis obvia.* 42
Vivis (*Lud.*) *libri Rhetorici notati.* 259
Ulcera *antiqua fonte Freyenwaldenſi curata.* 316
folia coryophyllatæ mundificant. 317
Unguenti *aurei præparatio legitima.* 318
Vocem *quibus Cicero ſacraverit?* 306
Voluntas *num obſequatur intellectui?* 518
ut perficiatur? 41
Voluntatis *officia.* 41
Voſſius (*Gerh. Jo.*) *laudatus.* 298
Ureter *dexter duplex.* 319
Ureterum *ſinus extra renes protuberantes.* 319
Urnæ *ſepulcrales Sileſiacæ.* 88
In Urnis *filamenta non ſunt fila linea.* 88
De Utriculariorum *collegio Diſſ.* 423
Vulnus *per thoracem, diaphragma & abdominis viſcera tranſiens per ſe lethale.* 319
Vultus *ac geſtuum cum inclinationibus naturalibus harmonia.* 40

WAlliæ *Principis inveſtitura.* 509
Walhuſæ *hiſtoria.* 473 b.
Waterlandi *vindiciæ Divinitatis Chriſti commendatæ.* 489

De Wedderkop (*Magni*) *ſata.* 432
Werlhofii (*Jo.*) *vita.* 514
Wernsdorfii *cum Syrbio controverſia.* 518
Whiſtonus (*Guil.*) *refutatus.* 488 ſſ.
notatus. 91, 489
Wicbertus *quis fuerit?* 121
cum Agio idem. 121
Wimpinæ (*Conr.*) *cum Mart. Pollichio controverſia.* 343
De Wirtembergenſis *Eccl. Actis ſcriptisque publicis Commentatio.* 349
Witikindi *ſtemma Miſn. March. aſſertum.* 367
Wœrgen (*Fr.*) *a Crenio laudatus.* 433
Wolters (*Joach.*) *elogia.* 432
Wolfius (*Chriſtian.*) *quid in Metaphyſicis præſtiterit?* 93
cum Leibnitio de philoſophicis nunquam communicavit. 92
primus Ethicam cum Methaphyſica connexam dedit. 94
Wolfius (*Jo. Chriſtoph.*) *notatus.* 532
Wolzogenii (*Lud.*) *Rhetorica eccl. notata.* 299
Woodwardi *promiſſa.* 249
Wowerius (*Jo.*) *num atheus?* 313

ZAchiæ (*Pauli*) *Quæſtiones Medico-Legales examinatæ.* 232
Zenonis *Imp. ingenium & forma.* 351
numi explicati. 351 ſſ.
Zephyrini de Pace *verum nomen.* 455
Zwetlenſia *Chronica edita.* 326

Errata Anni 1721, *ſerius obſervata.*

PAg. 177 lin. 31 pro *nolviſſe* lege *ſolviſſe*, p. 178 l. 8 l. Sect. 2 c. 26, p. 178 l. 30 lege ἀποπομπάιοις, lin. 31 l. χρημάτων, p. 180 l. 26 l. *ipſam*, p. 181 l. ult. pro ἀντίκα l. φυτίκα, p. 182 l. 33 l. δεῖ, lin. 35 pro 303 l. *adag.* 30, 31, p. 267 l. 9 pro θράσσας l. δρύσσας, lin. 16 pro ἀπεκτονότος *dele comma*, lin. 24 lin. ὅπλων, lin. 32 l. ἀσπίδα, lin. 33 pro γενόμενος l. γευόμενος, p. 268 l. 13 lin. ῥῆτα, p. 269 lin. 5 l. *afferentibus*, lin. 10 l. δακτυλίων, lin. 22 l. θηρίοις.

Österreichische Nationalbibliothek
+Z171843008

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google